



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
42 F
27

DE REP. ANGLORVM INSTAVRANDA LIBRI DEcem, Authore Thoma Chalonero Equite, Anglo.

HVC ACCESSIT IN LAVDEM Henrici Octaui Regis quondam Angliæ præstantiss. carmen Panegyricum.


Item,

DE ILLVSTRIVM QVORVNDAM ENCOMIIS MISCELLANEA, CVM EPIGRAMMATIS, ac Epitaphijs nonnullis, eodem authore.









LONDINI,
Excudebat Thomas Vautrollerius Typographus.
1579.




6

1 Sol decorat terras, inſignia Principis Anglos.
2 Vita fuit Chalonere tibi Burghleius Heros.
3 Teſtamenta piè VVreyus prouexerat æquus.
4 Teq; notāt doctis tua docta volumina vatem.
5 Et tua te coniux chariſſima luxit ademptum,
6 Fœmina præclaro rurſum ſociata Broketto.

Guliel. M.

GVLIELMVS D. BVRGHLEIVS THESAVRARIVS ANGLIÆ IN MEMORIAM THOMÆ CHALONERI Equitis aurati ab Hiſpanica Legatione redeuntis, & ad cæleſtes beatorum oras proficiſcentis.



Væ nobis viridi concordia cœpta iuuenta,
Regia cum primùm iuuenes coniungeret aula,
Quæ ſociæ curæ, moles quid publica poſcat,
Dum tua cura foris legati munera geſſit,
Et mea cura domi vigilaret ad ardua regni:
Vt recolam ſemper memori te mente ſepultum
Sunt iuſtæ cauſæ, ſunt magni ponderis inſtar.
Quòd mihi commiſſis rebus, cum ſcanderis aſtra,
Vxorem, natum, famulos, & ſingula veſtra
Credideris noſtræ fidei, tutandáq; nobis,
Iuſtior incubuit (quid ni iuſtiſſima dicam?)
Tunc mihi cauſa, tuis peragendi debita votis,
Vt peragi cupio noſtrum poſt funera votum.
Nunc tua cum geſtit produci poſthuma proles,
Ingenij proles, peperit quam plurimus vſus,
Publica priuatis moderando negotia Muſis:
Quando tibi limam mors inuidet, inuida ſummis,
Me meus illabefactus amor committere mouit
Malimi ſtudio, quò tandem prodeat illa



Cultior ornatu,meliore induta metallo.
Vt tua ſuſcipiant monum̄enta libentèr amici,
Vt tua ſuſpiciant omnes hæc pignora dena,
In quibus Angligenûm Reſpublica ſacra relucet.
Hinc te militiæ dijudicet ordine dignum,
Dignum tergeminis cognoſcat honoribus orbis,
Dignum Principibus, victuro nomine dignum.
Hæc ego grandæuus poſui tibi carmina pauca,
Carmina manſurum ſtudium teſtantia noſtrum,
Semper inoblita quia ſis mihi mente repoſtus.
Idque ſciant ſeri, poſt plurima ſæcla, nepotes,
Grata quibus fuerit pietas, prudentia, virtus,
Quæ diuiſa alijs, Chalonero iuncta fuere.

ILLV-



ILLVSTRISSIMO VIRO, OMNIBVS VIRTVTIS, DOCTRINÆ, ET CONSILII LVMINIBVS CLArissimo, D. Gulielmo Cæcilio, aureæ periscelidis Equiti aurato, D. Burghleio, Magno Angliæ Thesaurario, Serenissimæ Reginæ Elizabethæ à consilijs, & Academiæ Cantabrigiensis Cancellario dignissimo

ἀ δαιμόνως διαζῆν.





BROKETTVS *vir genere, ac humanitate cõspicuus, qui Dominam Chaloneram duxit in vxorem, doctiss. Chaloneri aliquot abhinc annos defuncti, ac Equestris ordinis viri opuscula quædam, simul atque literas (Heros nobilissime) tuas ad me dedit: quibus id potissimùm voluisti non modò in illis vt dissipata colligerem, & corrupta emendarem: sed an aliquo certo cum fructu in vulgus emanare, ac in publicum prodire necne potuissent, tibi significarem. Quorum vtrũque etsi (vt verè fatear)* ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, *vt Homeri verbis vtar, in me primò recepi, cum propter Sisyphium illud saxum, quod indies voluo, tum propter virulentas quorundam otiosorum, nimisque arrogantium linguas, quæ temerè, & effrænatè in alios celerrimè concitantur: difficultates tamen has tandem grauẽs vicit humanitatis pristinæ tuæ recordatio, ac recens istud tuum de meipso iudicium. Hoc enim boni in illo malo adipiscor, quod quamuis recusandi potestatem literæ mihi tuæ abstulerint: attulerunt tamen si non perficiendi scientiam, at aggrediendi voluntatem, ac nonnullam de præsenti hoc negotio dijudicandi facultatem. Quod ego tuæ amplitudinis iudicium*

tanquàm obicem latrantibus opponere decreui, quibus ῥᾷόν ἐστι μωμεῖσθαι, ἢ μιμεῖσθαι. *His itaque præſidijs, tanquàm Palladis ægide munitus, talium hominum calumnias (cum ne optimis quidem maledica lingua ſoleat parcere) tacendo reprimam, vel contemnendo potiùs conuincam. Nunc quibus in rebus noſtra potiſsimùm ſudauerit induſtria, paucis explicandum iudicauimus. Nam cum ab authore ipſo decem illi de Repub. inſtauranda libri (quibus nihil ferè poteſt eſſe perfectius) ad* βιβλιογράφον *quendam, neſcio quem, exſcribendi tantummodò cauſa deuoluerentur: tantis vndique ſcatebant mendis, tantúmque in orthographia erroris relictum fuerat, vt maiorem ſanè, vtiliorémque præſtitiſſet operam, ſi intactos omninò eoſdem ipſos reliquiſſet. In hoc itaque opere, etiamſi mihi quaſi Augiæ ſtabulum exhauriendum eſſe vidi, quod Herculeas ferè poſſet vires delaſſare: omnes tamen in eodem ipſo latebras perpurgare, errata non ſolùm in forma, ſed in materia etiam crebrò ſuſim diſperſa corrigere, ſingula demùm, quoad potui, priori integritati, ac natalibus ſuis reſtituere conatus ſum. Idem etiam præſtiti in Miſcellaneis de illuſtrium quorundam encomijs ab authore ipſo conſcriptis. In varijs etiam epitaphijs, ac epigrammatis eandem pro viribus telam pertexui. In ſingulorum prætereà decem de Repub. librorum argumenta (quò Lectori faciliores ad intelligendum forent)* ὀγδοάστιχον *præfixi. Quæ etſi ſeriùs fortaſſe ad manus tuas (vir illuſtriſsime) nunc peruenerint, quàm expectabas: procraſtinationem tamen hanc, ſiue tarditatem, meam in liberando fidem facilimè excuſabit tua ſolita clementia, & negotiorum meorum moles. Etenim moleſtum hoc noſtrum viuendi genus rariſsimè ad longum aliquod tempus iter interrumpi ſuum patitur. Hoc itaque modo etſi iuſta omni culpa liberor: niſi cum aliqua tamē adeò longi temporis vſura, ad te iſta proficiſci, nolui. Nam vnà cum ſuperioribus illis Domini Chaloneri libris*

(penè

penè dixeram liberis, quos eius prudentèr concepit, & excogitauit ingenium, confirmauit ratio, iudicium disposuit, & manus demùm scitè perpoliuit, ac efformauit) libellum illius planè aureum in laudē Henrici Octaui nuper Angliæ præstantissimi, ac potentissimi Regis conscriptum, quē anno Domini 1560. *Serenissimæ, Augustissimæque Heroinæ D. nostræ Elizabethæ Dei gratia Angliæ, Franciæ, Hyberniæque Reginæ, &c. sine nominis appositione dedicauerat, attexendum, atque excudendum curaui: vt & tanti Principis, ac Herois vnà cum authore diuturnior esset memoria, & ne diutiùs nostrates, fidelésue subditi tanto bono, tam necessario præsertim, aliquot iam annos Cimmerijs quasi tenebris obruto, posthâc defraudarentur. Illùc nunc dilabor, ad priuatum nimirùm meum de publica Domini Thomæ Chaloneri virtute, eiusdémque de Repub. libris testimonium. In quo non multis opus est, quoniam & tibi, dum viueret, quamplurimisque alijs nobilibus erat notissimus, tum etiam quòd qui eum non cognôrunt, facillimè* ἐκ τῶν ὀνύχων τὸν λέοντα, *ex scriptorū scilicèt varietate posteris relicta æstimare possunt. Fuit igitur patria Londinensis, studio Cantabrigiensis, educatione aulicus, religione pius, vereq; Christianus. Itaq; cū iuuenilem ætatem, mentémq; suam humanioribus studijs roborâsset, Domino Henrico Kneuetto à potentissmo Rege Henrico eius nominis octauo ad Carolum v. Imperatorem transmisso Legato, vnà cum illo profectus est tanquàm familiaris amicus, vel eidē à consilijs. Quo quidē tempore Carolo v. nauali certamine à Genua, Corsica in Argyram in Africa cōtra Turcas classem soluente, ac hostilitèr proficiscente, ornatissimo illo Kneuetto Legato Regis, Thoma Chalonero, Hērico Knolleo, & Henrico Isamo illustribus viris eundē in illa expeditione suapte sponte sequentibus, paritérq; militantibus, mirificè vitam suam Chalonerus tutatus est. Nā triremi illa, in qua fuerat, vel scopulis illisa, vel grauissimis procellis con-*

quassata, naufragus cũ se diu natatu defenderat, deficientibus viribus, brachijs, manibúsq; lãguidis, ac quasi eneruatis, prehensa dentibus cum maxima difficultate rudenti, quæ ex altera triremi iam propinqua tum fuerat eiecta, nõ sine dentium aliquorum iactura, ac fractura sese tandem recuperauit, ac domum integer relapsus est. Henrico posteà demortuo Rege, ac Edoärdo Sexto eius filio præclarissimo, & rarissimo Principe regnante, finita clade Scotica Muskelburgensi (qua quidem fortissimus ille Schellæus occubuit) à Duce illustrissimo Somersettensi, cum alijs nonnullis nostratibus, inclytis viris, ex equestri ordine vnus 28. Septembris, anno Domini 1547. creatus est. Deuoluta tandem ad augustissimam Reginam nostrã Elizabetham rerũ summa, singulari cõmendatione tua, & virtute propria ab eadem ad potentissimũ Hispaniarum regem fuit trãsmissus orator, & quasi Hermes dignissimus. Quo quidẽ legationis tẽpore hos illum de Repub. libros successiuis horis dum in Hispania demoraretur, scripsisse, ex ipsius testimonio, & exemplari primo (quod adhûc etiam extat) manu propria confirmatum, liquet. Cuius verba hoc modo sequuntur.

Deo auspice, Thomas Chalonerus Londinensis, Equestris ordinis vir, Serenissimæ Angliæ &c. Reginæ Elizabethæ ad potentissimum Hispaniarum regem Philippum Legatus, animi recreandi, cum otio abundaret, causa, libros hosce decem de Repub. Anglorum instauranda incepit 25. die Decembris, anno Domini 1562. perfecit verò 21. die Iulij 1564. quum horis tantùm successiuis, ídque ferè antelucanis, ad componenda carmina se conferret. Atque hunc archetypum manu propria conscripsit.

Vnde pro comperto est, non modò quãtum laboris libentèr foris exantlauerit, sed quàm breui spacio res magnas, idonea studijs suis tempora quasi suffurando tractauerit, atque absoluerit. Sed breue tempus satis longum est paratis. Principis itaque Serenissimæ nostræ mandato domum reuocatus, atque illo benè, fidelitèrq; legationis finito munere

nere, non multò pòst nescio quo fato Londini Londinensis Chalonerus Nonis Oct.1565. Fatis concessit, ac in ecclesia diui Pauli honorificè sepultus iacet, nō sine graui familiarium tantummodò amicorum, sed studiorū etiam iactura, & nostratium vulnere. Etenim singularis erat in illo diligentia, rarum ingenium, iudicium altum, varia lectio, mores cum sale festiui, vita integra. In istis Politicis singula ferè plena sunt grauitatis, sapientiæ, consilij: memoriam repræsentat iurisconsultorū, sententias consectatur philosophorum, verba poëtarum: Virgilium, ac Horatium imitatur maximè. Et quoniam poëma debet esse reconditum, teste Cicerone, historicam quandam veritatem verborum nonnunquàm integumentis obumbrat: tum etiam breuissimis quia versibus omnia pingit, poterit fortassè (quia breuitas est obscuritatis mater) quibusdam videri subobscurior. Has tamen spinas, & vepres omnes facillimè tollet frequens eiusdem lectio, & diligens consideratio. Nusquàm enim sui dissimilis est. Nam quāuis πολυΐστωρ, *ac variæ lectionis fuerat Chalonerus: vtilitatem tamen potiùs veræ, quàm ostentationē variæ eruditionis mihi quæsiuisse videtur. Sed de his hactenùs. Nunc igitur cum reliquis eiusdem rapsodijs (amplissime Cæcili) ad te* τὸν πολιτικώτατον *Chaloneri* τοῦ πολιτικοῦ *remitto* τὴν πολιτείαν*: sed cultiore, quàm anteà fuerat forma, habitúq; vestitam: qua tibi quoties libeat, licebit vti, & frui. Non enim quibuslibet scriptis animus tuus circa commune bonum occupatus, est implicandus: sed hijs maximè, quibus defessus refocillari, ac iuuari Respub. potest. Ita vt grauiora negotia, ac studia tua hijsce studijs amœnioribus, nec minus frugiferis condire queas. Solent enim peregrinantes, qui longinquum, ac arduum iter ingrediuntur, cum aliquantulum confecerint, quasi subdefessi in locum amœnum animi relaxandi causa de via aliquādò secedere. Tu verò quàm longum, ac spinosum iter iamdiu ingressus sis, grauissima ad nominis æternitatem istius Reipub. Atlantis instar, humeris tuis onera*

ſupportando, non modò noſtratibus, ſed exteris etiam nationibus notiſſimum eſt: qui proprijs, ac domeſticis neglectis commodis, Reipub. curas in te libentèr ſuſceperis, ædes tuas tam pauperioribus, quàm ditioribus æquè pateſeceris, quamplurimorum cauſas benigniſſimè audiueris, controuerſias æquiſſimè diremeris, Academiam Cantabrigienſem foueris, ac ſuſtentaueris, neminem denique, in quo aliqua virtutis ſcintillula appareret, triſtem à te dimiſeris. Sed ne videar λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ ἅπτειν, *ſic tuis de laudibus, quomodò Saluſtius de Carthagine, concludā. Nam de Carthagine ſilere malo, quàm parum dicere: tum etiam ne mihi fortè, ſi in laudes tuas decātando longior eſſem, ſuccenſeas, vt eſt apud Euripidem in Iphigenia.*

Αἰνούμενοι γὰρ οἱ 'γαθοὶ, τρόπον τίνα
Μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν.

Sed loquacitatis, quàm ingratitudinis mihi notam inuri malim. Nam quum ingratus non modò ſit, qui beneficium acceptum non fateatur, eiuſdémue immemor videri velit, ſed qui in alijs expreſſam virtutis imaginem contemplādo, eandem nulla vnquàm ratione, cum poterit, exprimit: in vtroque nunc genere peccâſſem, ſi præſentem occaſionē negligendo, alterutrum conſultò prætermiſiſſem. Etenim quas, quantáſq; Heroicæ virtutes tuæ mereantur laudes, ità vt per ſingulas huius regni partes diſſeminentur, neminem penè latet. Me verò Londinum ab Antiochena ciuitate, Conſtantinopolitana ſeu Byzantiaca, Hieroſolymitana, aliiſque nonnullis illuſtribus Aſiæ, ac Europæ ciuitatibus, & prouincijs reuerſum (cum ab honorādo illo Domino Ambroſio Cauo in tuam præſentiam primò deductus fueram) quàm humanitèr exceperis, menſæ tuæ communicaueris, quemadmodum cum nobiliſſimo illo, ac illuſtriſſimo Comite Leiceſtrenſi, Domino meo ſemper colendiſſimo, ac eximio patrono, teipſum meam in gratiam coniunxeris, atque cum illo propter me Regiæ Maieſtati ſupplicaueris, omnibus demum humanitatis officijs proſecutus ſis: ipſe

mihi

mihi optimus testis sum, & quoad viuam reminiscar, nec idē sæpiùs meorū quamplurimis prædicare destiti. Quorsum hæc? Nempè vt cognoscas me de præsenti hac oblata animum testificandi apud te meum occasione lætari, nihilque mihi magis in optatis esse, quàm istam tuam in me propensam voluntatem honesta aliqua ratione magis magisq; demereri. Etenim est ingenui (vt ego interpretor) ac aperti hominis conari, testatā animi sui gratitudinem illis, quorum apud se beneficia constant, relinquere. Hinc etiā fit, vt egregia illa Chalonera, eiusdémque optimæ spei filius, illustris illius Chaloneri hæredes, lautam hanc supellectilem iamdiu ædibus inclusam, lucubrationes nimirùm hasce præsentes tibi, cui vni dum viueret, debebat ferè omnia, libentèr nunc demum excludant, offerant, atq; dedicent. Quod officiosè ab illis factum, tuo iure expectare, ac vendicare possis. Nam cum gratissimus ille, tuique studiosissimus Chalonerus, non solùm (quod certissimè scio) opera, siue lucubrationes suas, sed filium etiam vnicum testamento tibi reliquerit, & in tuam solius tutelam legauerit: æquissimum est, vt non solùm eorundem possessionem, sed vsumfructum etiam retineas. In quo quidem cum officij probentur illi memores, tum hoc vnum mihi cum illis conuenit, vnica ista vel maximè ratione, videlicèt nominis tui celebritate laboribus nostris à bonis honestam opinionem, ab inuidis munimen parari posse. Debitum igitur hoc nostrum in te (honoratissime vir) officium eodem nunc animi candore, precor, accipe, quo me domum peregrè regressum complexus es. Sic magnas meorum in te accessiones facies, studiū meum posthàc exacues, aliósque ad maiora summæ humanitatis tuæ contemplatione, concitabis. Vale maximum studiorum decus, studiosorum ornamentum. E schola Paulina, pridiè Idus Augusti. 1579.

Honoris tui semper obseruantissimus,

GVLIEL. MALIM.

PRAECLARISSIMO VIRO, DOMINO GVLIELMO CÆCILIO, EQVITI AVRATO, DOMINO BVRGHLEIO, ſummo Angliæ Theſaurario, & ſuo Patrono vnico, Thomas Chalonerus F. Neſtoreos precatur annos.

RECTE nos ſuadet Iſocrates, (mi Mecœnas vnice) decere nimirùm liberos, quemadmodum in re familiari relicta, ſic in paterna amicitia, & beneuolentia ſuccedere. Πρέπει γὰρ τοὺς παῖδας, ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν. Nam in hoc excolendo magna vis honeſtatis ſita eſt, & ingens in negligendo, dedecus. Ego verò, Deo auſpice, quantum in me eſt, ſic actiones meas, & reliquum vitæ curſum poſthâc moderabor, vt & tui ſemper obſeruantiſſimus eſſe, nec à paternis, quibus me dudum antegreſſus eſt, veſtigijs, aliquando deflexiſſe, videar. Quibus, quantíſque nominibus tibi, vir honoratiſſime, cui vni debebat ſanè omnia, pater meus dum viueret, fuerat deuinctus, quámque intimè eundem complexus es: noſtrates ferè omnes vel me tacente ſciunt, & eodem iamdiu demortuo, ego cum matre mea chariſſima ad nominis tui perennitatem, & ſingulare beneficium noſtrũ, indies experimur. Nam non ſolùm eandem viduam omnibus in cauſis vmbra auxilij tui texiſti, ſed nunc etiam in matrimonio cum domino Broketto vitrico meo iunctam, defendis. Me

verò quantum hactenùs rure commorantem ſemper foueris, & nunc in Oxonienſi Academia ſtudentem bonis literis ſedulò erudiendum cures, cum neminem meorum lateat, non opus eſt attexere. Pro quibus omnibus maximas tibi in præſentia & agimus, & habemus gratias: & cum referre nobis nullo modo liceat, aſſiduas ex animo Deo Opt. Max. pro ſalute, ac incolumitate tua ſuppliciter preces fundimus. Adferimus nunc igitùr tibi (Patrone rariſſime) cum alijs quibuſdã fragmentis, decem de Repub. libros, paternas ſcilicet opes ex maternis ædibus profectas, procuratione, & ipſo iure tuas. Nam cũ pater meus moriens non tãtùm hos libros, ſed me etiam ipſum tibi pro legato, ſuo teſtamento reliquerit: par eſt, vt cum ego filius adoptione tuus factus ſim, vt noſtra omnia tanquàm acceſſoria, me quoque ſequantur. Satis enim præſidij fortunis, ac facultatibus meis in veſtra ſolius beneuolentia eſſe relictum, expertus in vita nouit. Quæ omnia domeſtica noſtra perinde ſunt, vt tu vnus acceperis. Tantùm hoc cupio, & à teipſo (vir illuſtriſſime) flagito, vt propenſam hanc gratámq; voluntatem in te noſtram, & alienam in his perpoliendis induſtriam beneuolè, vt ſoles, interpreteris. Deus te quamdiutiſſimè ſeruet in eodem ſtatu, in quo nunc es florentiſſimo. Oxonijs è Collegio Magdalenenſi, Calendis Auguſti. 1579.



Tsi vereor (optime Lector) vt par est, doctorum reprehensionem, ac prudentium: non ita tamen reformido, vt propter hoc honestam à me causam negligentiæ latebras quærendo, abijciam, vel tanti Herois iusta petitione (qui mihi imperare suo iure potest, & debet authoritate me frangere) nihil mouear. A quo, dum illi paruerim, desiderari malui perfectionem, ac diligētiam meam, quam si id non fecissem, beneuolentiam. Nam si meapte sponte in hunc laboris labyrinthum memet præcipitassem, iustè tum quidem temeritatis ad me reprehensio potuisset allini: sin illius rogatu hūc descendo (quem nostrates tantoperè amant, exteræ nationes propter prudentiam admirantur) non me decuit θεομαχεῖν. Afferimus itaque nunc tibi clarissimi illius Chaloneri decem de Repub. libros, ac reliqua eiusdem opuscula nonum nunc depressa per annum (vt Horatius suadet) varijs temporibus, varijs de rebus ab eodem elucubrata, ac horis successiuis à me correcta, ac locupletata. Quibus ex laboribus meis, si quid tibi voluptatis legendo, vel vtilitatis emerserit, excellētissimo illi Cæcilio, summo huius regni Thesaurario istorum librorum vsuram, inclytis Chaloneri hæredibus sortem acceptam referre debes. Quid verò nunc ego separatim in hijsce libris præstiterim, non opus est repetere: actum enim agerem, si superiora in minutas partes excutiendo, euentilarem. Ità vt non tam quærendum tibi sit, quid à me nunc expectare possis, aut pertexi velis: quàm à teipso mihi impetrādum, ne antè de labore hoc nostro iudicium

facias, quàm cum iudicio, hoc quod in manibus est, perlegeris. Duo sunt crura, quibus nō modò incumbunt bonæ literæ, sed quibus etiam imprimis propagantur, & conseruantur, diligentia nimirùm, & fauor: quorum illa ad me, alióſque spectat omnes, qui aliquid corrigere, explanare, vel in medium afferre conantur: hic verò non modò sese ad bonarum literarum patronos porrigit, verùm etiam alienæ industriæ censores. Horum enim interest studiosis non solùm fauere, sed illorum quantum possint studia impensiùs alere, ac fouere. Sed nihil cuiquam præscribo. Hoc me nunc egisse spero, alienis laboribus meas manus admoliendo (si quid omissum, aut non rectè commissum fuerit) vt si non laude satis dignus, æquo tamen Lectori venia saltē non prorsus indignus esse videar. Quòd si in istis subodorandis fuerit nasutior aliquis, quàm est necesse, non magnoperè laboro. Tantum enim abest, vt illi succenseam, eidem vt libentèr ignoscam: qui tum rectiùs, ac æquiùs de alijs sentire discet, cum ipse alios fructuosum aliquod docere sciet, aut volet. Vale.

IN

IN ORNATISSIMI EQVITIS, THOMAE CHALONERI DECEM DE Repub. libros, Laurentius Humfredus.

PRosperitas, generis splendor, praeconia Martis,
Militis aurati nomen, Equestre decus:.
Hæc sunt magna quidem, verùm terrena, cadéntque:
Terra suum repetit, quod dedit illa, vorat.
Hæc tua sunt Chalonere, tuæq; insignia gentis,
Immò non tua sunt, dico fuisse tua.
Hæc tua sunt acies mentis, doctrina, Camœna,
Ingenij fœtus, gloria Pieridum.
Hæc monumenta tui consumet nulla vetustas,
Fama manet doctis perpetuata libris.
Non sic exornant gemmæ, non marmora durant,
Viuet scriptorum gloria sola tibi.
Instituis pubem, ciuésque, & percolis artes,
Rustica facundè, classica ritè canis.
Qui sint regnorum nerui, Respublica florens
Qualis, perbello carmine significas.
Christe tuo clauo nostratem dirige nauem,
Hanc ô Christe foue, perpetuóque bea.

GVLIELMVS FLEETWOODVS Recordator Londinensis.

PEnsa notant Chalonere tuos finita labores,
Magnanimus veluti noscitur vngue leo.
Te iuuenis iuuenem noui, quem cura scientem
Reddidit, expertum tempora longa virum.
Vicisti tamen vsque tuis virtutibus annos:
Plurimus hinc scriptis omnibus vsus inest.
Quæque diu lapsa est, Respublica nostra resurgit,
Per te quando nouas discit inire vias.

Heroas tantis nostrates laudibus ornans,
Efficis officij tu videare memor.
Metra Sophocleo quòd surgant vestra cothurno,
Ingenij neruos dexteritate probas.
Quæ quoniam cautè nonum premerentur in annum,
Accessit titulis tempore maior honos.
Chare mihi Chalonere vale, si fata dedissent,
Dignus eras Pylij viuere secla senis.

Christophori Carlili carmen.

CArmina suauiloquens emendat clauda Malimus,
Carmina concinnis perpolit apta modis.
Est de defunctis meritus benè manibus ille,
Qui sobolem digno donat honore rudem.
Dulce Chaloneri fateórque poëma periti,
Ingenij sobolem fertilis esse suam.
Splendor debetur tam charo quantus amico,
Qui tanto absentes ornat honore viros?

Eiusdem.

Qui nouas terras, peregrina regna
Lustrat, haud vllum fugiens laborem,
Est is in summo pretio vehendus
Laude perenni:
Pertulit frigus, tolerauit æstus
Feruidos, fluctus tulit & marinos,
Quò suo posset patriam iuuare
Marte Malimus.
Deuijs tandem rediens ab oris,
Artibus, linguis, iuuenes ad omnem
Regulam vitæ reuocat, decorum
Discere suadet.

EDO-



EDOARDVS VVEBBVS ROFFENSIS.

SI labor, & laus est, peregrinis ædita linguis
In patrios quenquam vertere scripta sonos:
Si labor, & laus est, inuentis addere primis:
(Quod nemo inficias vel mediocris eat)
Huic an danda forent hederatea serta poëtæ,
Ausim iudicio linquere Mome tuo.
Dignus eras vixisse diu Chalonere, Britannûm
Gloria, in æternum viuere dignus eras.
Te tamen extincto superant tua pignora nobis,
Queîs fugienda doces, queîs imitanda doces.
Verùm quanta tibi debet tua patria, tanta
Debes Malimo tu quoque iure tuo.
Scilicèt hic corrupta graui tua scripta labore
(Qualia si legeres vix tua scire queas)
Hic inquam, sudore graui cultißima fecit,
Diluit in varijs crimina crebra locis.
Quid referam? multum gens Anglica debet vtrisque,
Cum Malime tibi, tum Chalonere tibi.

BARTHOLOMAEVS CLERCVS LEGVM DOCTOR,



Curiæ Cantuar. de Arcubus Lond. Decanus,
Gulielmo Malimo suo S. P. D.



CVM ad aures meas fama percrebuisset (Malime doctissime) Chalonerum nostratem decem de Repub. libros Heroico carmine scripsisse, eósq; nobilissimo Domino Burghleyo, summo Angliæ Thesaurario dicasse: perculit animum meum singularis (nescio quæ) de libris illis opinio, & propter authoris excellentiam, & propter Patroni authoritatem. Posteà cum eosdem tuis castigationibus commissos audirem, non dubitabam, quin satis politè, & elegantèr in publicum prodirent: verebar tamen (id quod sæpenumerò tali in re solet fieri) ne spei nostræ, atque expectationis magnitudo, librorum elegantiam, vbi primùm in illos inciderem, paululum apud me imminueret. Nunc vero cum illos per tuam humanitatem semel atque iterum viderim, tantum in illis grauitatis, ingenij, lectionis, artificij conspicio, vt contra communem consuetudinem, spem, atque expectationem meam, ipsa poësi, scribentísque virtute, & præstantia multò inferiorem confitear. Numeros habet illius carmen Vergilianos, inuentionem Homericam, phrasim, & venam diuitem, reconditam, admirabilem, & (vt presse dicam) verè poëticam. Hanc artem etsi Aristoteles inter virtutes Heroicas enumerarit, vtpotè qui mentes artificum excellentium diuina quadam flamma cœlitùs incendi putauit: tamen ego Chalonero nostro non nudam solùm poësim attribuendam puto, sed veram etiam philosophiam: qui generales philosophorum de Repub. instituenda regulas, in particularia præcepta, & practicas conclusiones suis carminibus sic diduxit, vt illas non iam à Platone, aut Aristotele audire, sed à Chalonero nostro oblatas, manibus contrectare videar. Quarè & Chalonero doctissimo gratiæ immortales sunt agendæ, qui hæc ad nostram omnium vtilitatem conscripsit: & Thesaurario nobilissimo, tanquàm vnico doctorum Mecœnati, qui ista nobis diuulgauit: & tibi, qui castigationibus doctissimis effeceris, vt illius scripta emendatè, & politè in lucem prodeant. Vale è nostro Musæo, vij. Calendas Augusti. M. D. LXXIX.

GVLIELMI



GVLIELMI MALIMI IN SINGVLORVM DECEM DE REPVB. LIBRORUM argumenta, Ογδοάστιχα.



I.

IN primo Brittanna graues Politeïa libro
Indignis lacerata modis, dat ab ore querelas.
Angliacæ diuersa refert encomia terræ.
Vtque Deo dignos referamus supplice cultus
Corde monet: stolidos reprehendit posteà nautas,
Quorum luctifici causa est inscitia damni.
Hinc Euangelij doctoribus admonet aures
Intendens vulgus, mores componat, vt æquum est.

II.

MOnstrat vt à cunis soboles sit alenda Secundus,
Vt pia se præstent pueris exempla parentes.
Taxat eos, titulis quos luxuriare paternis
Non puduit, patrijs cum nil virtutibus addant.
Inde notat quænam siet indulgentia matrum.
Carpit & hæredes, qui dempto patre paternas
Diuitias, & opes in luxum, & scorta profundunt.
Heroäs canit Eduardo cum rege Britannos.

III.

TErtius à studijs, stolidi quos ima popelli
Fex generat, stupido nimiùm crassóque cerebro
Natos, ingenua & dissuadet ab arte Mineruæ.
Sit cœcæ vis quanta Deæ declarat, & ægrè
Fert, quòd in has fuerint transuecta exotica terras,

Anglica vel modico quæ funderet ora labore.
Diuitias auido reprehendit fœnore partas.
Et malè fucato condemnat hypocrisin ore.

IIII.

QVartus aratra pedo præponit, & irrita legum
Fulmina conqueritur: dãnantur auara colonûm
Pectora: in externas malè transportarier oras
Plebs patitur fruges: tam crebráque pascua taxat,
Neglectósque agri cultus: pòst concinit vnde
Turba tot erronum satagat sibi quærere victum.
Oceanum ob pisces pulchrè commendat, & vdo
Neptuno statuit libamina thurea demus.

V.

QVintus vt ardenti laudatus pectore ciuis
Pro patria pugnet, laribúsque, & coniuge, suadet.
Hinc iuuenem Musis primùm, castrensibus inde
Postulat instructum studijs, prodesséque multùm
Eloquium in bello memorat: queîs debeat armis
Vti miles, & hic quòd ferre famémque, sitímque
Non renuat, proprijs patriam tueamur & armis
Admonet, & quæ laus subdat calcaria, narrat.

VI.

SExtus equos alijs quoniam mercamur ab oris
Conqueritur, proprijs quando ad castrensia terris
Munia quadrupedes facile est nutrire: monétque
Vt non tam nitidis Equitum decorata tapetis
Aula micans extrà, pulchrísque extructa columnis,
Quàm camera interiùs telis castrensibus ipsum
Commendet dominum patriæ suspensa parentem.
Pòst tormenta refert, aptásque ad bella sagittas.

VII.

SEptimus vt faustas Saturni Patris ad oras
Transuectus fuerit canit, & quæ viderit illic.
Cordáque nostratûm nimiùm præpostera carpit,
Vtpotè

Vtpotè qui nullum reputent pretiosius esse,
Quàm carum, ac alijs quod transportatur ab oris.
Inde dolet, queritúrque homini quòd nectat iniquas
Alter homo insidias, quódq; hospes ab hospite tutus
Esse nequit, gnatúsque suo struat arma parenti.

VIII.

OCtauus grauiora refert incommoda ciues
Stringere, cum certant odijs cõmunibus, alter
Alteriúsque petit iugulum, quàm mille phalanges
Hostiles si quando struant in mœnia technas.
Liuorémque notans mordaci carmine, punctim
Vt figulus figulo, fabro faber inuidet, infert.
Posteà quæ nostrûm gula sit, luxúsque virorum,
Turpior & reliquis damnosa superbia, pingit.

IX.

NOnus fœminei quæ sit petulantia sexus,
Quis fastus, tum quæ morosa proteruia, mõstrat.
Inde monet qualem deceat duxisse puellam,
Nec sponsa optato nimis immatura marito
Iungatur, miserè torpere per otia corpus
Neu sinat, ast aliquas in queis versetur opellas
Iugitèr exquirat: sacros extollit honesti
Coniugij ritus, & cunctis suadet idipsum.

X.

COmmendat leges Decimus, dubiámq; tyrannûm
Cõmemorat vitam, quam mille pericula cingũt.
Tum queritur, leges quia permutantur in horas.
Stultitiam taxat vulgi: ciuilia damnat
Dissidia: integram noctem dormire regentem
Dissuadet, quales regem per somnia curæ
Discrucient, referat: ne Princeps prodigus extet
Suadet, adulantûm neu det sermonibus aures.

FINIS.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



DE REP. ANGLORVM INSTAVRANDA,

Liber primus.



AIVS opus moueo, ſtipula quàm pangat agreſti
Quilibet ad patulam fagũ proiectus in vmbra
Paſtor, vbi æſtiuo ſtridunt ſub ſole cicadæ
Per ſata, iamdudum flauis nutãtia ſpicis,
Sæpius ipſe ſitim fontano flumine ſedat,
Qui procul vt ſumma pendentes rupe capellas
Frondentum cernit fruticum decerpere tonſas
Ore comas, alacriq; exhinc colludere ſaltu,
Magnum habet alternis Mopſo certare ſodali,
Phyllidis argutos oculos iuueniliùs ipſe
Dum ciet: at niueæ præfert ille oſcula Niſæ,
Hic te (magna Pales) hic te (Pan piniger) altè
Perſonat inflatis, ſylueſtria numina, buccis.
Rura ſuas habeant alijs laudanda Camænas,
Immemor atque herbæ ſtupeat pecus omne Menalcam,
Dum canit: Arcadicis non ſunt hæc apta cicutis
Carmina, ſed plectro potius tractanda potenti
Illius (vt perhibent) quem Syluæ, & ſaxa canentem
Audierant, poſitóq; ſtupebant flumina curſu:



Aut noua Dircæis primus qui mœnia Thebis
Constituit, silices ipsos testudine mulcens.
Quum videar, dempta figmenti ambage, laborum
AEmulus, & studio ductus propè fungar eodem,
Ius, mores, ritúsque, atque incunabula gentis
Effrænæ, in melius fausto deflectere versu.
Si tamen haud vano saliunt mihi pectora nisu,
Nec frustrà resides Musas exciuit Apollo
Sanctior, & patriæ numen venerabile nostræ,
Quam colimus, sempérque pio refouebimus ipsi
Conatu memores, ceu quisquis sacra parentis
Antiquæ decora (heu nimium collapsa) reponit.
Nam mihi non dubio visa est se ostendere spectro
In somnis, lacerata comas, circundata amictu
Pannoso, & varijs centonibus vndique fœdo,
Vndique inæquali, qualem nec fœmina possit
Ritè suam, nec vir concinnus dicere vestem.
Quippe tegens talos illinc stola fluxit ad imos:
Hinc medias vix vsque nates succinctior ibat:
Vellera commiscens Cilicensi Serica villo,
Totáque neglecto propriæ telluris honore
Degener externis cingebat tempora plumis.
Ex humero pharetram telis gestabat inanem,
Ingentem & læuæ sine neruo aptauerat arcum,
Cincta latus gladio obtuso, cui cuspide dempta
Plurima desuetum infecit rubigo nitorem.
Quóque etiam mirere magis, dissertior ensis
A capulo duplici pendebat mantica sacco,
Causidicûm retegens per trita foramina cartas,
Fasciculo innumeros vnà cogente libellos.
Sublatæ, & capiti admotæ conamine dextræ,
Nescio quid supplex signans, similísque petenti
Implorabat opem. Specie dein corporis ipsa,
(Hei mihi) quam se aliena stetit? veterísque figuræ

Dissimilis,

Dißimilis, notos non amplius extulit artus.
Ampla caput, paruos humeros, & brachia parua
Quæ facile obtegeret porrecta verticis vmbra:
Non quia mole foret capitis prouectior æquo,
At capiti exiles humeros, & brachia, tanto
Decreuisse videns, optasset Symmetriastes
Illa etiam iusta rursus pro parte reponi.
Colla sibi inflatis turgebant obsita strumis:
Ceruicésq; retrò gibbus deformiter arctis
Excepit scapulis: sed enim (mirabile dictu)
Vberibus centum pectus manabat opimum,
Et totidem lactis riuis operosa fluebat,
Vndique inexhaustos promens à corpore succos.
Tota adaperta sinus, laterúmque torosa renudans
Ventre tenus, vasto sed distentißima ventre,
Et femora, atque nates referant quæ dolia forma
Vix benè distortis ferret quæ pendula suris.
Longa per extensum procurrens tibia nullis
*Musclorum * ordinibus, æquè tendebat ad ipsos* * Cæsura.
Indistincta pedes: sed nec pede clauda valebat.
Cætera repletis pollebat succida venis:
Et roseum referens rubicundior ore colorem,
Visa fuit non tam macie deformis, ab ipso
Quàm potius nimio forma cecidisse decenti.
Immortale tamen frontis decus, atque virentes
Nulla genas potuit tam tristis perdere imago,
(Ipsa licet lacrymans, & mæsto nubila vultu,
Penè fateretur contractum corpore morbum,
Quin aliquà exprimeret vestigia certa decoris
Antiqui: poscásq; illud (nec amabile velle)
Restitui in melius, quamuis seiunctior Indis,
Antipodásue colens, vix hanc à nomine nôsses.
Mirabar: nec quæ, nec quo sata diua parente,
Nec quibus ex oris, poteram cognoscere signo

Perſpicuo, cælúmne colens, terráſne, vel vdos
Per maria alta ſinus, an furui mœnia Ditis,
Multáque conijciens dum longius illa remoto
Diſtaret ſpacio, quoniam pharetrata Diana eſt
Venatrix, laterique canem ſolet addere fidum,
Hæc quoque quadrupedem loro per colla reuinctum
Duceret, eſſe aliquam Triuiæ de gente putabam
Stultior: ille etenim fidus comes, ille moloſſum
Ingreſſu primo referens, turpiſſima tandem
Quum propè factus erat, fit ſimia, corpora ſaltu
Húc, illûc, agili iactans per inania, collum
Atque humeros dominæ, quandoque & crura petulcè
Inſiliens, rictúque ipſo ridenda, proteruas
Monſtrabat fœdè diducta per ora lacunas.
Vſque adeò, vt ni me ſtupefactum inculta magiſtræ
Turbaſſet ſpecies, potuiſſem non ſine multo
Beſtiolam ad quiduis mimam ſpectare cachinno.
Verùm, vbi noſcenti ſimilis vicinior illa
Aſtitit, atque latus blandè conniſa iacentis
Attigerat, clara compellans denique voce,
Dirigui: horrentéſq; comas cutis aſpera duro
Frigore contraxit: glaciem ſentire medullis
Viſus eram: nec vox tremefacto pectore quicquam
Ter conata loqui potuit proferre petenti.
Tum dea (ſentit enim) fili ô chariſſime, dixit,
Pone metus: non hic lemures, lamiáſue nocentes
Pertimeas: tua ſum genitrix, vitalibus auris
Naſcenti quæ prima dedi incunabula vitæ.
Mater ego infelix, præbens hæc vbera alumnis
Indefeſſa meis: ſempérq; benignior extans
Ingratis: meruiſſe alio procedere cultu
Quid iuuat? indigno poſtquam violata meorum
Conſilio, fœdas referam pro munere ſordes?
Scilicèt hoc meruit pietas mea? diſpice ſaltem

Effigiem

Effigiem hanc miseræ: tum si quid corpore nostro
Displicet, hoc totum scito euenisse per illos.
Nempe ego vicinis vel nunc regionibus almo
Anteferenda situ, tam pinguis & insula glebæ,
Illa ego, quondam opibus, rerumq; Britannia dote
(Heu) nimium felix, certè inuidiosa videnti,
Non semel vt gemitu liuens detexerat hospes,
Ecce vides quantum facie mutata priori,
Cogar inexpletos animos lugere nepotum:
Qui mea sic studio turparunt membra supino.
Hæc effata gemens, imo suspiria duxit:
Humida nec lachrymis caruerunt lumina obortis.
Visa fuit nimio verba imperfecta dolore
In medio questus superata abrumpere cursu.
Hic ego paulatim pulsa formidine, fibris
Vt vigor, ac notus rediit calor (ora loquentis
Lenia nam fecere animos) sic farier vltrò
Incipio, & magnos matris lenire dolores.
O mihi certè oculis, certè ista dulcior aura,
Chara parens (si me non vanis improba falsum
Ludis imaginibus) sic nostros fata secundent,
Et mihi currentes foueant successibus annos
Sydera fausta nouis, vt te deformitèr isto
Aspiciens habitu, doleam, & compungar ab imo.
Tene ita (proh mores, maculosaq; tempora) ferre hæc
Quæ nec ab hoste feras ludibria tanta tuorum?
Ah piget: & si non deterrima pectora quicquam
Pænitet, at pudeat meliores: omnibus vnà
Forsan aberrandi non stat sententia menti.
Dic age quid cupias: me fido vtêre ministro:
Nam tua non tacitis vulgabo oracula scriptis:
Quicquid erit, pulchrum est patriæ profundere vitam.
Illa nihil contrà, nisi quæ proferre modesta
Debuit: ecce vides quantum mutata recliner,

Quantáq; nunc, ipsa me iudice, fabula fiam.
Quorsum opus, vt longis refricem mea vulnera dictis?
Quòd doleo, ac pereo, totum hac sub imagine pictum est.
Viue, vale, nostri memor: et si pectus honesti
Cura subit, patriæ aut quicquam pietate petentis
Duceris: hæc scripto actutùm committe fideli.
Ipse Deus qui prima dedit consortia genti
Humanæ, voluitq; pijs sub legibus omnes
Viuere ad exemplar patriæ cælestis, abundè
Cætera dictabit. Nec & hoc sine numine factum est.
Dixit: & excusso vigilem frustrata sopore,
Liquit: & in tenues abiens disparuit auras:
Qualis ab exesa tandem pinguedine flamma
Deficit, & noctis tingit caligine vultum.
At mihi vibranti salientia viscera pulsu,
Vdus & à toto distillans corpore sudor,
Spem dederant non hæc vanis simulachra figuris
Morphea mentitum: (tam certo somnia visu
A capite ad calcem quum rarò æqualia constent)
Quin potiùs verè genij melioris ab arte,
Ostentum hoc tacito subtus contendere sensu.
Natiuos etenim non ficto corpore vultus,
Membra simul patriæ reputans pulcherrima nostræ,
Qualia terrarum reliquus vix exerat orbis,
Esse aliquid rebar magni discriminis, isto
Cur habitu, hos artus tantum mutata referret.
Nam quamuis alio tendentem Cynthius ipse
Me vetet incepto quicquam diuertere cursu,
Aut Satyræ accedens in laudem exire poëma:
(Quum nemò exiguo possit comprehendere versu
Iusti operis molem, qualis qui dona Britanni
Ampla soli studiò peruerso cogat in arctum)
Attamen, vt parcè liceat laudare merentem,
Phœbe precor facilis veniam largire petenti.

Pauca legam: & pronos iusta indignatio versus
Sponte sua faciet: nam quæ facundia plenis
Extulerit velis diuinas ordine dotes?
Seu canimus colles pulchros, & amæna viroris
Perpetui totis paßim spectacula campis,
Siue metalliferas montana per ardua venas,
Aut nemora, & gratis syluas seceßibus aptas?
Vndique fonticulis salientis murmure lymphæ,
Iucundam medio requiem suadentibus æstu.
Dein, quæ Mæonij contendens cura poëtæ
Ritè pares rerum pro maiestate camænas
Afferat? vt cultos nostris regionibus hortos
Prædicet? aut lætas valles, aut florea prata,
Qualia Naïadum tenero pede turba sororum
Lasciuis cupiat longùm exercere choreïs?
Parte alia, docilem peregrino semine terram,
In quodcunque voces (ne quis desyderet vsquam
Vndantes latè distentis fructibus agros,
Ruráue fœcundis Cereris nutantia donis)
Si canat altiloqui sublimis musa Maronis,
Vix canat: ipsa modos vt duplicet: ille Gradiui
Arma virúmque licet nostræ telluris amore
Deserat, & totus repetita Georgica tractet.
Pascua nam certè rediuiuo vberrima succo
Penè fidem superant: armenta expleta peritis
A dominis cernas, non dum satiata, reduci
Sæpè domum, nimio ne rumpant ilia pastu.
Rursus at exesis is pullulat humor ab herbis,
Vt si manè petas, noctem non ampliùs vnam
Interhibens, frustrà proiectam gramine virgam
Iam super inductam rediens quæsisse labores.
Nunquam igitur tantis mortalis fistula rebus,
(Iudicet ipsa Pales) censebitur æqua canendo.
Pasce boues iterum: ne quæras Thessala rura,

(Delie) sume Lyram: quod laudes dignius, hic est.
Siue canas vitulos, Lactentia corpora, Pandis
Nuribus adstantum pulsantes vbera matrum,
Vbera, non ipsam tantum tangentia terram,
Et quæ terna die vix dum mulctralia siccent,
Siue canas, mensæ dubiæ laus prima iuuencus
Quantus ad æthereas tollat se cornibus auras.
Quin etiam teneræ quæ vis occultior herbæ
Montibus æquatis, læuatáque per iuga formet
Lanigeræ pecudi preciosam vellera mercem,
Vellera molliculæ Serum certantia bysso,
Quæque suis Pallas deposcat cæsia palmis,
Pan Deus arguta recubans si pangat auena,
Pan Deus insoliti tactos modulamine cantus
Adstantes stupeat, Syluestria Numina, Faunos
Suspensósq; Palen, Satyrósq; ad carmina gressu
Tot circum glomerari: auscultans rupe sub ima
Miretur pastor Corydon: miretur Amyntas.
Præterea volucrum syluas, aut stagna colentûm,
Innumeræ species alis quantum aëra densent?
Aut quota dumosos colles terat vngula cerui
Alipedis, pictæue ante ora latrantia damæ,
Millia quot pauido fugiant per deuia cursu?
Exin nauigero quæ flumina progerat alueo,
Bis refluum quocunque die instaurantia cursum,
Quosque lacus, quæ stagna cauis piscosior edat
Visceribus venosa parens, mirabile fibris
Quot passim exsudans, dum glaucis amnibus vrnas
Implet arundinea velatis tempora fronde,
Aut demum toto ludentes littore, Nerei
Squammigeros latè variata per agmina cætus
Vt foueat, cæco præbens vada tuta recessu,
Si memorem: memorare iuuet simul insita cælo
Sydera: & Archimedem secter numerator arenæ.

Sed

Sed tantis quum tanta viget, tamen omnia vincit
Addita temperies, cælique beatior aura.
Torreat ardentis Phœbus si terga leonis,
Tuta suo superant hic semper gramina rore,
Intensos Zephyris blandè mulcentibus æstus.
Canáue si gelidis rigeant iuga summa pruinis,
Est rigor ille tamen tolerabilis: & citò victus
Lentescit, tepidósque resoluitur actus in imbres.
Vnde etiam hæc hominum producit corpora tellus
Viuida: proceros natis & temperat artus
Formosis: niueum Tyrio miscente colorem.
Adde, quòd ipsa situ toto celeberrima prostet
Cincta mari: & vitreis contemnat mœnibus hostem.
Hinc sua Sarmaticis obuertens cornua terris,
Germanos, Rhenúmque patrem, Batauósque salutans,
Hinc Gallis obiecta, sinus procurrit ad ipsos
Hesperiæ: & latè commertia mutua miscet,
Tot populis fidos concedens hospita portus.
Haud aliter quàm quæ diuerso littore gentes
Italia innumeras peninsula dia tuetur.
Hæc igitur terræ quum sit genuina beatæ
Effigies, talésque oculis vberrima nostris
Promat opes: quem non moueat tam iusta querentis
Et vox, & forma species inuersa prophana?
Nam quòd in hos potuit sese conuertere vultus
Aut patria, aut patriæ genius mandante suprema
Sic anima mundi, quæ terræ cuilibet addit
Custodes genios; nemo non dixerit, almæ
Qui sacros sophiæ latices à fonte petiuit.
Sacrum etenim in terris hominum genus, alta deorum
Cura sumus: nos & propter quum cætera fiant,
Credibile est bonitate sua nos velle potiri,
Qui Deus ipse bonum, non illud denegat autor.
Quarè etiam errantes reuocans, pietate superna

Dirigit, & cæca lapsos caligine tollit
Admonitor, varijsque ciens obiecta figuris,
Semper adest, loquiturque stupendo incognitus ore.
Vnde trahunt pondus semper miracula certum,
Et certum scrutata solent portendere finem.
Seu rutilis æther cudat metuenda Cometis,
Siue per aërios concurrant prælia tractus,
Terráue monstrificos producat in omnia partus,
Siue aliquod moto monstrum deforme profundo
Emicet, aut summas legat ipse Tridentifer vndas,
Cæruleo inuectus curru, latera ardua circum
Cui Tethys, nataque impulsis vorticibus dent,
Et Triton, Glaucúsque, & Proteus, & Melicertes,
Turba vdo comitum genitori affusa bimembris,
Seu quæcunque oculis species diuina prophanis
Visa parum, raróque aliquo sine pondere visa,
Relligione solet trepidantia corda mouere:
Imprimis si vox testis demissa per auras
Intonet, aut non suetum animalia bruta loquantur,
Exiliénsue adytis virgo furibunda calescat
Plena Deo, crinémque rotans meditetur anhelum,
Mille modi: & totidem curanda piacula surgunt.
Hinc ego, nescio quos iamdudum pectore motus
Experior: Phœbóque sacer, iam non meus, alto
Efferor afflatu, iuuat indulgere labori
Ingrato, & læsi contemnere murmura vulgi,
Dum reuoco amissam viuendi rectius artem:
Tantus amor patriæ, possessum & cura fatigat.
Nempè oculis species iterumque, iterúmque petentis
Adstat, & infixos inculcat sedula vultus.
Sed quid ago? aut quorsum nodosam Sphinga lacesso?
Parce precor dubijs, (Mater veneranda) retortos
Aut aperi griphos: positóque ænigmate, clarum
Pande tuo vati, quem fers sub imagine, sensum.

Si placet vt nudis tantum hæc miracula verbis
Describam, nihil vlterius non Oedipus addens:
Dixi, & quæ dederas plenè mandata peregi.
Non deerit vafer, emuncto qui cætera naso
Ciuibus exponat, Silenósque eruat altos.
Sin etiam vlterius cupis hæc ab origine duci,
Quo posita pulchri specie, deformia contrà
Facta palam, per se iam fastidita facessant,
Accingor. Nunc ô Superis placatior oris
Adsis cura Deûm, proles Astræa Tonantis,
Neu fuge congressus condignè excepta viriles:
Templa tibi statuent, templísque altaria sanctè
Rursus adornabunt Nabathæis fumea donis.
Nam quæ (ni socios tu prima, per oppida cœtus
Iunxisses) hominum crudelis vita fuisset?
Non leo sic Libycis, non Parthis tigris in aruis
Sæuit, nec Geticis errat qui saltibus vrsus,
Vt rudis immani cunctos feritate superstans
Fertur homo in cædes, & vi grassante rapinas,
Indomitos ausus si nulla repagula sistant.
At tu Diua piè nostros miserata labores,
Dirigis immissis paulatim legibus actos
Conuentus iustúmque doces, Numénque vereri.
Vnde etiam vtilitas tractos dulcedine cœpti
Trudit in vlterius: tua sic inuenta iuuentus
Multiplicans, varios vitæ transformat in vsus.
Haud aliter culti quàm si discriminis hortus
Ostendat dubios diuersæ stirpis honores,
Et passim innumeras, certo tamen ordine, plantas.
Hic fons irriguis radices alluit vndis,
Hac rubus in sepem tendit sua mœnia custos,
Illic densatas platanus se porgit in vmbras,
Nata refrigerio: Quincuncem respicit arbor
Poma ferens: lauri virides, Myrtique virum,

Hinc atque inde latus ſtipant: tum floribus ipſis
Tale decus patulis diſtincta per agmina fulget,
Quale refert vario in Solem Thaumantias ore.
Colligat hic Venus alma roſas, & lilia Näis
Plena ſinu, & violas pallentes flaua Napæa:
Vſque adeò pulchrum, pulchríque decentior ordo
Præſtat, & illectans Diuos demulceat ipſos.
Sic cultrix Aſtræa rudes prius artis, ab antris
Tranſtulit inſuetos domibus, dein miſit in vrbes,
Et totum adnatis compleuit gentibus orbem.
Lege tamen proprium, certo diſcrimine rerum,
Inde etiam à primo emiſſus ſtatuente colonis:
Ne vagus inſultans alienis ſedibus hoſpes,
Fœdera turbaret, diſcretáq; tempore regna:
Neue nocens patriam ciuis graſſetur in ipſam,
Conſtituit iuſtos nota virtute magiſtros,
Qui regere imperiò poſſint, & faſcibus agmen
Stare loco doctum, diræ formidine pœnæ.
Nam licet ipſa Iouis Minos oracula iactet,
Ipſe Iouis genere, & ſceptris, ſolióque ſuperbus:
Ni tamen inſtantes vltrix vindicta ſecures
Expediat, nihil eſt legum farragine laruas
Nitenti in vetitum populo prætendere inanes.
Tum quoque ſacratas per ahenea vincula leges,
Et Phalaris temnet tauros, & corpore quicquid
Turba luit, pœnas ſic tandem morte paciſcens,
Si non vlteriora animo proponat iniqui
Supplicia, & multa ſe relligione refrænet.
Eſt Deus: hoc cunctis alto ſtat pectore fixum,
Et Numen trepidis ſe infundit mentibus vltrò.
Quamuis Caucaſeis horrens à rupibus exit
Ora gelu concreta Scythes, impexáq; menta,
Maſſyliue leues, Nomadúmue acerrima curſu
Agmina, deſertis feſtinent tendere arenis,

Nullus

Nullus in orbe locus superis caret: hîc sua figit
Sede sub ambusta delubra retorridus Ammon:
Illic sparsa rigat Mauors altaria tabo:
Barbaricóq; Deus studio celebratur vtrinque.
Quàm bene? non operis nunc huius pertinet ad rem:
Sufficit incultos aliquem prætendere cultum,
Nec frustrà æthereram iaculari fulmina dextram.
Attamen, hæc animo purus qui cernit acuto,
Agnoscit visu informem, solúmque fatetur
Esse Deum, colitur nobis qui trinus, & vnus.
Hic est, quem perhibent arcano biblia versu,
Quem vates cecinere pij, quem fida per orbem
Ora olim populis commendauere prophanis.
Quem perhibent, si scripta neges, si testibus ausis
Detraxisse fidem, si nil miracula ducas,
Nec moueare vlla iam relligione parentûm,
Hæc, quicunque vides: pudeat terræque, marísque,
Et cœli obiecta specie, pueriliter vnquam
De Domino dubitasse suo: circumspice, an vllum
Pulchrius, aut opere hoc vsquam perfectius extet.
Quo digito hæc dicas olim molita? scientem
Artificem, fabróque omni fateare necesse est
Maiorem, hæc primus qui dissita iunxerit autor,
Eq; suo solum produxerit omnia verbo.
Proh Deus: vt mira est operosi machina mundi!
Quàm certo pede fulta! quis vnquam puluere formas
Tam scitas noster geometres duxerit, ac se
Vasta ferunt elementa affabrè iuncta, locorum
Alternante situ? proprio & libramine centro
Circumfusa suo cunctarum semina rerum,
Ordóque cœlestûm constanti lege globorum?
Quos temerè, aut casu fieri qui dixerit, & non
Mente regi (quæ mens Deus est) ille absonus, amens,
Nil ait: & digno pro dictu verbere flagri

Exceptus, solas exul migrare meretur
In terras: quintúsue sodalis quattuor addi
Insutis: ne terra scelus, nec contegat aër,
Nec latices, omni indignum pro labe sepulchro.
Quòd si hæc, aut istis maiora, effinxerit iste
Nictu oculi Plastes, quum vult, & sanctius omni
In terris animali hominem præscribere cunctis
Iusserit, à solo pendentem Numinis almi
Arbitrio, vt gratas referat pro munere laudes:
Iustum erit ore Deum, tum corde faterier omnes.
Quin etiam omne genu curuato vt poplite flexum,
Omne caput, manus omnis, & alto brachia cælo
Tensa, iterum atque iterum percusso pectore, tanti
Suspiciant regis plusquam venerabile numen,
Officiosa pio cultu, signísque receptis
More patrum, prona vnde queat constare voluntas.
Quam licèt ille olim norit, neque postulet ac si
Indigeat, poscit tamen: & placatior id dat
Quod petitur, si quis reuerentèr, & ordine poscit.
Omnibus hic ergò cultus, pro lege verenda
Pontificum, queis sacra Dei, & sacraria curæ,
Infixus teneris vnà concrescat ab annis,
Nôsse Deum, laudâsse Deum, & prece compellâsse,
Immensum, immotóque mouentem singula nutu,
Cuius inexpletus complectitur omnia pugnus,
Æthera, terram, auras, latices, & quicquid in illis
Gignitur, aut vasto quod circumuoluitur axe:
Qui sua promeritis dat præmia, reddit iniquis
Et sua, cunctorum ex æqua dum facta bilanci
Noscit, & ad minimas perpendit singula partes.
Sponte fauens iustis, inuitus crimina plectens,
Illa tamen plectens pœna, quô seriùs, alta.
Vt tandem indomitos tenebrosa in Tartara trudat
Tartara, inextinctis dirùm crepitantia flammis,

Et

Et planctu, & lachrymis æternùm à funere cassis.
Sæua vbi sanguineo flammantia lumina gyro
Contorquens, atris & Alecto sibilat hydris:
Vipereique super consurgens verbere flagri
Transadigit costas miserorum. It clamor ad aulæ
Culmina Tartareæ tetro squallentia fumo:
Vnde repercussu horribili septemplicat Echo
Frendentum gemitus: illa insatiata malorum
Obijcit insultans impuræ crimina vitæ,
Auditu grauiora, & amarum denique ridens
Intercepta nouis distinguit iurgia flagris.
Dum soror hos imo mersat Phlegetonte Megæra,
Stridentes, largóque implentes omnia questu,
Hos infanda rotis, hos tenso torquet equuleo,
Hos in frusta secat, rediuiuáque viscera curuis
Harpyis lanianda locat. (Proh Numina) quid non
Vmbræ humiles frustrà implorant? etiam horrida toruæ
Prostrant se ad furiæ genua, & demissiùs orant.
Surdior illa suo tamen aspide, plurimus atras
Qui circum vittas, impexáque tempora serpit,
Infernale vlulat: pœnísque proterua nocentum
Irritata manet. Quis tam crudelia dictu
Arrectis horrore comis non ipse tremiscens
Efferat? & Stygiæ tamen hæc pars quantula pœnæ est?
Præcipuè in partes, vel non accita, sororum
Tertia si veniat longè immanissima? cœptis
Supremáque manu pondus tam tristibus addat
Tisiphone? hæc ipsis plærunque sororibus atrox
Quum rugit, & totas irarum laxat habenas,
Siq; suo: infernis Acheron qui labitur vndis,
Infausto genitori, & Nocti denique opacæ
Quæ mammas dedit, & furuis peperisse sub antris
Perniciem & pestem tantam mortalibus ægris.
Dicitur, infrendens gelida formidine cogit

Stare comas,(sæuo tanta inclementia vultu est)
Quanta per vmbrarum pallentia regna feretur
Luctu,horrore,metu?
Nam nec quos rabido depascat Cerberus ore,
Aut trahat impastos ipsius fuscina Ditis,
Hic animus memorare audet : nec dicere tutum est,
Pauper,ad excelsi dum fertur tecta Tonantis,
Quot quondam vittis celebres,gestisq; tiaris,
Atria seruantes subtus Plutonia cernat.
Sufficit haud auro redimi,nec crimina regno:
Ipse lues commissa tuo post fata periclo,
Quisquis es : hæc noxæ lex immutabilis esto,
Innumeras scelerum vt facies,tot & ordine pensent
Vltrices Erebi irremeata per atria pœnæ.
Contrà,alias animas vitæ melioris,Olympo
Ille idem Diuûm Pater,ille idem atque hominum rex
Destinat.Hæ scelerum puræ pertæsa malorum
Corda olim sacri pascebant semine verbi.
Vota Deo : patriæ officium,maioribus ipsis
Cultum & condignè cunctis,seu ciuis,an hospes
Præstantes animi fructus & munera grati.
Fœlices animæ : vobis en nectare currunt
Stillantes fluuij,turgent campiq; liquentes
Ambrosia : vobis concessum est lucida summi
Ora Boni coram,maiestatémq; profundam
Cernere,quo melius rerum in compagine nil est.
Quare age,qui pulchrum per se metiris honesto,
Turpe simul vitas,omni vel teste remoto,
Quid facias? vbi cuncta Deus per viscera serpens
Cognoscit,tacitósq; reuoluit pectoris ausus?
Quem neque si cupias,falles : dabis improbe pœnas,
Aut pius,olim agili transcendes æthera saltu.
Promisit solidè verax,immobile cuius
Prodit ab æterno sancitum pectore verbum,

Non

Non tam per Stygias Plutonia claustra lacunas,
Quàm per (quo maius quàm sese, non habet vsquam)
Quicquid inexhausti spacijs mens supputat orbis.
Tuq; adeò hæc animo voluens, discrimina cautè
Discutito, an tanti est nictu peritura voluptas,
Aurum, ebur, Attalicæ vestes, dubiæue petitis
Vndique delicijs epulæ, aut portenta priorum
(O vtinam ne quid rursus lugenda) tyrannûm,
Vt iugi redimas tam sera piacula pœna?
Tale quid imbutis operatur mentibus, omnes
Relligio tabulas, consulta, edicta Monarchûm
Et placita, & populi vndantis psephismata vincens.
Quorum etenim sculptos aut ære, aut marmore versus
Proponas, tacito imperium temnentibus ausu?
In vitio mens est, quam ni prius ordine flectis,
Nil agis: haud peccat moles hæc carnea nobis,
Ni primum affectus circum præcordia moti
Spem dubijs faciant, & titillantiùs instent.
Non aliena petam, non testis perfidus ausim
Periurare Deos, non liuens dente canino,
Aut odijs ferar occultis, non pocula felle
(Quis putet) arridens tendam medicata rubetæ,
Non magicas artes, & non innoxia verba
Ante diem quo funus eat, non denique magnum
Intentâsse nefas, animo renuente parârim.
Hic prius admonitor, technæ structórque latentis,
Inuigilat sceleri: quòd si spes fulserit istuc
Clàm fore tunc seruæ iungit socia agmina dextræ,
Et vocat exiguas in partes corporis vsum.
Rectè igitur, plusquámque salubriter, omnis ab ista
Relligione dator legûm, tanquam ab Ioue, prudens
Incipiat. Populum venerato Numine suetum
Et cælum sperare, & formidare Acheronta,
Ducet in optatam, quo vult, ad cætera normam.


At neque multifidis operoſus legibus inſtet,
Hac vna ſolido tandem fundamine iacta.
Vt coruis ſtatuas vicina cadauera viſis,
Corpus & ægrotum medicorum turba reuincit:
Sic numeroſa ſtrues legum, & conſuta ſupellex
Labentes populi mores, & proxima ſignat
Nunc inſtare viris corrupto ex ordine fata.
Degeneres poſtquàm fucos natiua reliquit
Simplicitas. Tanti eſt deflexo tramite trito
Admiſiſſe aliquid ſtabilita in iura nouatum.
Vin' breuiter paucis complectar vt omnia verbis?
" *Relligio princeps animos informat honeſto:*
" *Proxima vis pueros à primis educat annis:*
" *Tertia, ſine coli modico vult corpora frugi:*
" *Vltima ius patrium conſtanter ſeruat ad vnguem.*
Verùm aliâs iſthæc tractabimus, ordine quæque
Dicta ſuo. Nunc vt commota non ſine bile
Pauca querar, locus eſt: labefacta & relligionis
Damna cothurnata protollam ad ſydera voce.
O ciues, ciues: quonam metus ille Deorum
Nunc abyt? quota pars veſtrûm pietatis amore
Tàngitur ingenuo? nec fictis æthera palmis
Sollicitat? ſatis eſt Chriſtum profeſſa per ora
Iactantes, ſcelerum ſubtus contendere Lerna,
Et facilem aut nullum proponere Numinis vſum?
Scilicet, excutitur tandem reuerentia recti,
Quæque latent homines, ſecuri à Numine, turpes
Exequimur: ſolúmque dolet non tempora votis
Quæque dari, vt ſolidæ abſcondant trieterica noctes,
Nec pudor vmbratis maculis ingratior inſtet.
Vir bonus, aut caſto mulier digniſſima peplo
Eſt hodie, quorum næui non frontibus ipſis
Inſcripti eludunt populi ſuffragia falſi.
Vſque adeò magnum eſt nunc & ſimulare decenter,

Si

Si bene fucato procedat hypocrisis ore,
Nec vitia ostendat plebeio more reclusa.
Sed neque nunc simulare opus est, socialiter omnes
Quum peccent, veniámque malo confecerit vsus.
Qualis enim Græcas offenderit aduena mensas,
Ni bibat, atque comat, maioráque pocula poscat:
Sic cultu simplex, & moribus integer albis,
Luxuriata nigri perpessus scommata vulgi,
Fœnum habet in cornu, demissa sentiet aure:
Nec lateri comes, aut cuiquam conuiua recumbet:
Quin Pandioniæ metuet fastidia testæ,
Iussus inaccessos muros habitare Platonis.
Vnde hoc? quæ tandem probrosa hæc secula Erinnys
Exagitat? vel quæ labis dicatur origo
Tam validæ, vltra omnem cancro serpente medelam?
Ah pudet: at verum est vitio euenisse medentum,
Vlcera consilio longùm neglecta maligno
Qui sordere sinunt, decimo dein turpiter anno
Nescio quæ illotis emplastra sacerrima palmis
Expediunt blandi? sed non radicibus imis
Conscia parentes sibimet, cauteria figunt.
Cura sui postquàm nunc est antiquior istis
Officio, vt nummo prodant potiore salutem.
Christe Deus, dederas pastores sanguine primùm
Effuso astrigeri tutantes mœnia regni,
Exemplóque piæ, plus quàm per dogmata, vitæ,
Lucrantes motam persuaso pectore plebem.
Illa nihil dignis nimium rata, primitùs vltrò
Obtulit hijs iacti verbi vice, præmia victus
Lauta satis, voluítque aliquid superaddere certi
Prædioli: traxit primus dator æmula corda,
Certatim incautis cœlum redimentia donis.
Donec ab infuso pietas labefacta veneno
Sensit auaritiæ possessa per ilia morbum.

Tumprimum, sed adhuc dubiè, dictante decoro
Dulce fuit nomenque Patris, primúsque sacratis
Accubitus, comitésque dati famulante caterua,
Bullatusque terens spumantia fræna caballus.
Inde etiam fului species generosa metalli
Detinuit captos oculos, inuersáque dona
Pauperibus dempsit, propriísque recondidit arcis.
Et iam tota labens pietas incendia venis
Traxit, inexpleti superata cupidine quæstus.
Corrumpens, adimens, addens, sensúque priori
Detorquens genuina lucro seruire nocenti
Compulit, vt tandem proprio sub pondere pressa
Relligio, tanquam satiata cruoris hirudo
Excidat à partis, terrámque cacumine tangat.
Intereà plebes (quoniam compage soluta
Somnus habet vigiles, & iam sub nocte profunda
Fluctuat impingens scopulis surgente procella
Errabunda ratis) nequicquam respicit igneis
Laternæ extinctos, & cæcos cæca magistros
Ore ciet vano. Tum demum lumine dempto
Peruigil è speculis tenebrarum retia Princeps
Exilit intentans: blando quoque carmine Siren
Huc (ait) ad læuam: cautes qua plurima læuæ:
Quin etiam nox ipsa nihil moderabile suadet.
Quid faciant? clament? surge heus, dormísne Canobe?
Veh miseris, stertit, stertente simul Palinuro.
Extemplò fœdis naucleros vocibus omnes
Insimulant, vitæque cient repetita prioris
Crimina, consurgit tandem cerebrosior vnus,
Et valido accensas ita flamine promouet iras.
O Socij (neque enim vel si spes spondeat ipsa,
Hijs ducibus sperem optatos contingere portus)
Exturbate pecus ventris studiosius æquo.
Ferte manus celeres: mea vos inuenta, Charybdes,

Et Scyllas, Maleásque omnes superare docebunt.
Annuit admoto capite, & clamore fauente
Turba leuis, medijs dormitantésque magistros
Protrudunt vndis, petulanti non sine sanna.
Tum verò auscultant, arrectísque auribus omnes
Excipiunt auras, laudant quæ primitùs ille
Dixerat, at nondum plenè satis: alter, & alter,
Infert se medium: gaudent nouitate, nec vltrà
Nunc opus exclamant ducibus, magneticus ex quo
Ille lapis planam patefecerit omnibus arcton.
Quin etiam tabulas, ventos, portúsque notantes
Quas olim vt sacras tracti liuore premebant,
Ecce licet proprio nunc tandem euoluere Marte.
Hîc sita Taprobane est: hîc fortunata relucet
Insula, fulgenti malo celeberrima quondam
Hesperidum: Quî scis? rogitas? quando vltima Thyle
Tam propè depictas vicina hîc exerat oras?
Falleris, (alter ait) totísque erras parasangûm
Millibus, ad Meroën Nilo circumflua Thyle est.
Hesperidum at littus, nemo non dixerit ipsam
Italiam. Quò tu nunc audacissime tendis
(Hic prior ille refert) mene hæc nescire? tuóque
Sic tandem ingenio vacuæ dominabere puppi?
Quo fretus genitore? aut qua bonus arte superbis?
Scilicèt, an tanti est calamo triuisse labellum?
Nouimus at qui te: qui te quoque (reddit amarè
Ille alter) cerdone satum, nec vilia dudum
Erubuisse vago vendentem scruta popello.
Et mihi Phœbus inest, & sunt mea tempora sertis
Cincta corymbiferis æquè ac tua: desine solus
Calliopen sperare tuam: circumflua turba
Miratur, magnósque putat certare duello
Stoicidas: poscit tabulas, litémque suopte
Iudicio censens, absurdis omnia scitis



Distrahit: ac tandem in partes se tota refundit.
Heu Superi: quisnam medicati toxica pomi
Obtulit hijs veterator, & vltrà quàm decet altùm
Gustantes voluit censuram denique rerum
Sumere? num scire, aut nimium scire officit istis?
Quis regat hos vnus, quorum vel quilibet instet
Esse Senatorum princeps? disquirere & idem
Omnia non dubitet rationibus vsque minutis?
Et damnet minimum quod non sibi quadret ad vnguem?
Bellua sed populus, postquàm bacchata refractis
Carceribus furit, & proprias malè conscia vires
Cognoscit, tali præceps per deuia cursu
Fertur. Habes precium neglecti triste magister
Officij, medióque natant tua membra profundo.
Quid iuuat? insano si tum quoque naufraga ponto
Hùc, illùc miseranda ratis per dissona corda
Iactetur? certéntque altis clamoribus vnà
Vectores, nautæque? nec adstet dextera clauo
Apta satis tantis sese conferre periclis?
Quid lapis Herculeus? quid bardis nautica prodest
Carta viris, nullos indē elicientibus vsus?
Quæro ego num melius consultum est moribus ipsis?
Viuitur? anne agitur quicquam perfectius, ex quo
Scitur? & è manibus verum nimis altercando
Labitur? vnde ambas inflat sapientia buccas
Detestans scioli nugacia corda popelli?
Tolle tuas precor ideas, atomósque recuruos,
Et vacuum, antiquúmque chaos, tum cætera mitte
Soli nota Deo: sit certa scientia vitæ
Formandæ in melius. Superorum sobria sunto
Iudicia, & quantum præstat cognoscere cures.
Malo lacernatos quouis de rure colonos
Indoctos, humiles, gnauos, sensúsque modesti,
Vrbica quàm nimium cultæ fastidia plebis,

Si

Si neque nunc totis perstat contenta Theatris,
Quin gladiatores etiam, & funambula poscat,
Aut Circensis equi fauisse coloribus instet.
Est modus: & certa gaudet consistere meta
Extremis medium virtus compacta duobus.
Non ego tam culpo quodam tenus esse peritos,
Pectora quàm stolido dudum turgentia fastu
In nimium erupisse queror. Postquàm omnis ab actu
Vita hominum nunc se transfert ad inania verba.
Quemlibet audieris media de plebe loquentem,
Ab Ioue præfatus, necnon Iouis omnia plena,
Barbatos tibi Chrysippos, rigidósq; Catones
Expinget: rogites demùm quid mantica tergo
Illa velit? pallor sudantia tempora fundet.
At saltem per amicitiam dic (chare) quid hoc sit?
Non mittam, & lapidi nunc dixeris: eia age postquàm
Scire cupis, paucos Epicuri hæc mantica condit
Commentariolos: dudum sex assibus emi
Insignes, (neque enim tantum deliquerat ille,
Si recte, & proprio perpendas singula sensu)
Omnibus instar apis, passim liberrimus insto.
Quod placet, hoc mel sit: quod non placet, esto aconitum.
Nullàne tam varijs immixtum incuria fallit?
Nec specie recti quandoque impingis iniquo?
Quî putus, purúsque siem, quum dictat in aurem
Socraticus Dæmon? nec abest mihi Lesbia norma.
Mirum ais: at vide sis, ne quando audacia tanta
In neruum erumpat: proprijs qui viribus vltrà
Quàm satis est fisus, denso se vellere captum
Induit, Æsopi coruo similabitur, alis
Ridiculè ac tonsis puerorum præda recedet.
Quid mi igitur suades? durum est liquisse libellos
Tam pulchros: iterúmne iubes idiota sutrinam
Noctes atque dies, musis procul omnibus, ornem?

Nescio: consilium pendet, dum planius hæc quo
Consilio facias, finis produxerit ipse.
Si pius augustas venerаris Numinis aras,
Qualis ab innocua superis probitate Philemon
Charus, vt hospitio, postquàm vicinia tectis
Reppulit auratis, capiat magale Tonantem,
Aut studio veri, patriæ & cœlestis amore,
Sobria si cartis immittis lumina, sudi
Luce magis Phœbi radiantibus: hinc tua noscens
Stemmata ab antiquo vitiata, & crimine ab vno
Crimina tot nostris passim enascentia campis,
Conscia vix cœlo attollis confusior ora,
Multa super minimis tormenta reatibus horrens,
Nec malè longanimes spe pœnas ducis inani,
Non illos iactata fides quum præbeat vsus,
Ipse humilis si iussa facis, contentus & illa
Quam tibi sors dederit vitæ ratione, modestum
Regibus impendas, patriæque, & ciuibus vsum.
Iam nihil est cur te quisquam deterreat illos
Euoluisse libros per quos via ducit Olympo.
Sin leuis, & ventis longè inconstantior ipsis
Ter secreta sacri quæras abscondita verbi,
Iamque procax, ideóque procax quia nescius, omnes
Rabbinos facili præ te molimine temnas,
Nescio quid taciti iamdudum murmure rauco
Eructans, quoniam non æqua prædia sorte
Omnibus ad iustas prostent æqualia partes,
Et tandem in medio cauponæ puluere reges
Sollicites, pugnásque iterum meditere gigantum:
Iam niger es: túque hunc diademate cincte caueto.
Optima sic tandem gladios ad pessima strictos
Relligio armabit: quæque omnia lege coërcet
Interna, emittet bipatentibus inscia valuis
Rullósque, Gracchósque, & te (Catilina) minaci

Tendentem

Tendentem gressu, quo lex Agraria suasit.
Nunc igitur, quoniam dixi quæ noxa reuinctis
Post tergum manibus vim tendat relligioni,
Nec timui demens sic irritare crabronum
Pastorum, populíque, retortis spicula linguis,
Vos, quibus ardenti scintillant pectora vero,
Testor, an Harpocrates hic digna silentia labris
Imponat, digito causam prodente receptam?
Si nihil est, rectè est: sin est, sine certet vterque
Collapsas reparare vices: præfulgeat alta
Sublimis specula pastor, primúsque cathedræ
Ante eat exemplo iussus: benè sedulus adstet
Dictanti populus, tum quæ dictantis ab ore
Hauserit, impigrè mores transformet in ipsos,
Inde ego tercentum linguas, totidémque canori
Expediam in laudes vocalia munera plectri,
Subliméśque ambos meritis ad sydera tollam.
Intereà, an teneras scalpo nimis acritèr aures?
Num dolet? ingratóue cietur nausea vero?
Scilicèt ingratè (vt puto) & importunitèr insto
Innumeris: toto quicquid delinquitur orbe,
Aufer in exemplo fretos transferre Britannos,
Turba sibi ignoscens, monitori atque aspera dicet:
Nec soli sumus, & peccanti murmur in aurem
Præstiterat: non sunt hæc fortè erratula tanti.
Ergò aliquid fecisse iuuet, narrâsse pudori est?
Vnus homo peccet, magnũ est? numerum adde, minutũ est?
Et nunc turba labans causæ, se iudice, fidit?
Dij melius: nemo hæc prudens erratula sero
Distulerit reparanda die: nec tempserit omen:
Saucia quum tanto Respublica vulnere nutet
Hijs super: extèrno pietas vbi cortice freta,
Nescio quo marcet senio radicibus imis,
Vix vllam antiquæ retinens vel imaginis vmbram.

Feruida Apostolicis produxit pectora sæclis,
Alloquio dignata Dei: Nunc viuere purè
Postquàm desuetum est, non puros vitat & ille
Congressus, clausóque negat thura irrita naso.

LIBRI PRIMI FINIS.



DE REP. ANGLORVM INSTAVRANDA,

Liber Secundus.



ISSA sed vt posita faciã hæc spinosa querela,
Nitar in vlterius: quoniã pars plurima labis
Istius, à primo sumet medicamina cultu:
Si noua per teneros ætas benè flexilis annos
Imbibat actutũ memori pulcherrima mente
Dogmata, quæ longo ad canos seruabit odore,
Vix vlla scindente tenacia vincla bipenni
Iam semel admissi primæua ab origine moris.
Est aliquid clara prognatum stirpe puellum
Esse suis similem: nutricis ab vbere quiddam
Nutricem referens affecto se indit alumno:
Seminis, & lactis, tanti momenta sagaces
Si facimus, quidnam formans industria tandem
Conficiat, summis operæ si partibus instet?
Munera & alterius præstans potiora parentis
Ars bona, naturam recta ratione sequacem
Instruat ad vitæ finémque, & vota cupitæ?
Ergò nouis quisquis committis semina campis,

Luxuriem

Luxuriem duro ni primùm vomere frangis,
Ad solis radios, ad brumæ frigora versam,
Speratæ incassum præstruxeris horrea messi,
Pro spicis lolium, & sterilem execratus avenam.
Pessima sponte etenim, & nullo conamine crescunt,
At vix apposita consurgunt optima cura.
Quò magis vt soboles ciuilis munera vitæ
Inde etiam à puero, lactenti & pectore discat,
Hoc opus, & tota hoc moles se cardine versat.
Quum nihil aut tectis, puero tibi teste, sub ipsis,
Siue foris clara geritur sub luce, quod acri
Non ille excipiat cerebro: non psittacus æquè
Exprimit humanas voces, non simia fictrix
Assimulat nostros quoscunque libentiùs actus,
Quàm puer: hunc specie falsum si prodis honesti,
Turpia per primos imitantem te duce passus,
Bis peccas: patriæq; iterum vim porrigis hostis.
Hûc etenim catuli, quondam monstrante Lycurgo
Tendebant, vno genitore & matre, gemelli,
Diuersos studio Dominus quos reddidit altor.
Hoc leporem emissum sectante per inuia cursu,
Germano ignauè pultem lambente culinæ
Riserat adstantum cœtus discordia fratrum
Proposita, & quidnam hæc vellent commenta? petebat:
Ille suis tandem non expectata reponens,
Hæc (ait) est vitæ (ciues) pars plurima vestræ:
Nec tantum genuisse sat est: plus perficit vsus:
Vsque adeò artifici pendet spes altera cultu.
Euge hercle inuento hoc pulchro ter macte Lycurge,
Dignus eras, cuius non vllo obnoxia scripto
Scita sub æquali morum seruata tenore,
Per septingentas regerent Lacedæmona brumas,
Et meritò: postquàm assuetis tractabile quidvis
Redditur: à vitulo incipiens, & pondera tauri

Tollet ouans, ſtadióque humeris feret arduus imo.
At quoniam varijs Reſpublica partibus vna eſt,
Diuerſoque fluunt diuerſi tramite in vnum,
Nil opus eſt vnum nimium ſtatuamus: eodem
Nec ſoboles ſtudijs ſe tota informet eiſdem:
Quum benè vix quicquam faciat, qui plurima ſolus
Aggreditur: verùm tunc perfectiſsima fiunt,
Vnum opus vnus homo propria ſi penſitat arte,
Atque opere in tanto componitur vnus ad vnum.
Hinc etiam altrici cura par limine primo eſt,
Diuerſi vt diuerſa ſui documenta ſequantur
Propoſiti: hic iuſſus non detrectare iubentum,
Hic regere imperio, cui ſtat commiſſa poteſtas.
Ars etenim longè diſtinctum regia tractat,
Oppoſita populi, quæ ſemper paret, ab arte.
Crediderim & Graij ſalua grauitate magiſtri,
Non adeò ſcitè æquales parere viciſsim,
Quàm qui perpetuo inſueſcunt ſe ſubdere ſceptro,
Nec mage quid cupiunt, quàm quod rudis indidit vſus.
Si confert pecudi, & ſtulto cuſtodia, poſtquàm
Non valet ingenio impendens præuertere damnum,
Et bona pars hominum, fortaſſe & maxima, brutis
Non adeò excellit, quin quantum proficit illis
Cura viri, vt ſtabulis torpentes condat opertis,
Quum niue canet humus, collectáque pabula promat,
Tantundem excellens animo, cuſtodibus ipſis
Præſtiterit, recta vt ſtolidos ratione gubernet.
Nam licet hanc quiuis diuinæ particulam auræ
Arroget, haud cuiuis ratio ſe prodidit æquè.
Siue quid obtuſi præſtructa per organa fiat,
Siue patrem proles ſequitur, ſeu cura magiſtri
Defuit: hos ſemper pronos melioribus eſſe
Tam iuuat, vt nulli ſint, ſi non ſint alicuius.
Rurſus & hunc alicui ſua ſubdere colla iubebo,

Donec ad excelsi regalia sceptra monarchæ
Conueniant cuncti, & gradibus stata iussa capessant.
Ordinis hæc vis est, quam si confundere pergas,
Armentum vt stabulis nullo ductore petitis,
Exigat à se hominis curam, regat atque bouem bos,
Quid dignum tanto referes turbator hiatu?
Quid? nisi contemptus precium mox excita sæui
Ora lupi, & coruis proiecta cadauera pastis?
Parte alia, quoniam paucos moderarier æquum est:
Dein reliquos omnes iurare in verba iubentûm:
Quem potius mauis doctrinæ munere fungi,
Qui iubet, an iusso arrectas qui porrigit aureis?
An sonipes duro sua præbeat ora lupato,
Tantundem ac sessor, quantóque huic viribus ante it,
Si sciat? immò æqua fretus ratione, rebellis
Dentibus, & multa metuendus calce resistet.
Nec cicuri totam vt domitor communicet artem
Consiliúmue putes, nisi quatenus inscia corda
Scire sat est: discat ceruicem flectere, dorso
Ferre equitem: vlterius pullus si sciuerit, actum est:
Ars præfracta regit, paruo tibi machina nisu
Corpora vasta mouet: qui nulla insistit ab arte
Hic Phaëtontæos expectet denique casus.
Scilicèt, vt teneat scuticámque & lora superbus,
Iura ferat, meliora suo qui pectora sensu
Aut tenet, aut saltem qui se tenuisse putârit:
Nempe (reor) paribus facile est submittere fasces,
Vt nihilo inferior non det pro munere murmur.
Nil minus. At vulgo prodest nescire, suóque
Aut aliud præferre nihil, siue arma, modúmque
Ignorare, quibus possit tractare cupita.
Scimus enim cupiant vt nullo ex ordine cuncti,
Quæ meliora putant. Sed quum non omnibus æquè
Aura flat, aut bimarem cuiuis datur ire Corinthum,

Quanto erit hoc votis moderati optatius? id ne
Suspirare quidem, quod fors fortuna negauit,
Dicere nec melius quicquam, se iudice, sortis
Quàm propriæ primo quod prodidit alea iactu?
Sic etenim quæuis rurestri Thestylus ore,
Ilia, & Ægeria est. Sic & sub agreste palato
Indocto sapiet Sybaritica fercla moretum.
Quòd si istoc animus viuat contentus, abundè
Iam diues, sapiens, & fortunatior esto.
Hoc tamen vt fiat, sola ignorantia causa est:
Quum benè te fallat mentis gratissimus error.
At malè si toto tandem promiscua vulgo,
Et passim triuijs commissa scientia prostet:
(Vt taceam dominos cunctos, totidémque iubendi
Artifices, nullo paribus parente magistris)
Scire velim, an calamo manus hæc exercita, stiuam,
Siue graues iterum tractet non pigra ligones?
Quis cerdo? quis sutor erit? quis denique fabra
Molle latus, molléstue exerceat arte lacertos?
Et tamen humanæ nequit vt consistere vitæ
Hijs sine conditio, rursúmque, vt pluribus vna
Mens poterit dextris operæ præscribere formas:
Sic Natura parens quæ nil molitur ineptè,
Quæque suo prudens componit singula fini,
Mille viros potiùs curuo producit aratro,
Et totidem curuos opera ad fabrilia condit,
Quàm, qui alijs recto ingenio præfiniat, vnum.
Tantæ molis erit, nec ligno ex quolibet exit
Mercurius, cura iunctim sculpendus & arte.
Scire etenim eximium paucis datur: & regere ipsum
Multo vsu, variisq; ars quædam est condita libris,
Queis optem à primis generosa incumbere cunis
Pectora nobilium, doctos vt docta parentes
Ad viuum referant, & stemmata prodat acumen.
Quale

Quale tyro seruile scelus tamen extulit, ortum
Ingenuo Solis versa ratione docente,
Vt seruatorem tegeret noua purpura seruum.
Nam latet in claro quædam vis sanguine, si non
Degeneret forsan materno sanguine dispar:
Vt pòst ipsa etiam exponam, connubia quantum
Intersint, iunctis paribus, nec dispare cultu.
Nunc agit hoc Erato mea, regno ut regia proles,
Natáque nobilium sceptris fœtura secundis,
Ingenuas animo quamprimùm perbibat artes.
Vt quantum titulis defert ignobile vulgus,
Tantum etiam ingenij subdat se dotibus alti.
Hoc etenim primos peperit virtute fauente
Induperatores: populo suffragia sponte
Plus merito cunctis, & se tribuente regendum.
Hi patrijs gnatos formantes artibus, ipsos
A genere, & cultu, quiddam spectabile rursus
Spondentes, votis commendauere sequutis.
Tertia surrexit fatis concordibus ætas,
Inde alia, atque alia, egregios longo ordine fundens:
Exinde vt raras soboles sit passa repulsas,
Quæ non degeneri maiorum stemmata cera
Oblineret, satagens exempla domestica luxu
Perdita abhorrentis populi obiectare susurris:
Vnde odia, & crebris consurgunt vocibus orti
Contemptus, animos quando indignatio ringit
Tam bona tam nihili seruire nepotibus arua,
Qui sua non digno patrimonia maxima sumptu
Non cordi, aut cerebro, sed ventri, aut fœdiùs imæ
Impendunt pubi: quod si quid denique restat
Hoc scurra, aut scopulis damnosior alea tollat.
Sed quamuis tardam iam deplorata medelam
Concreto in callum vitio, prætexta iuuentus
Suscipiat, quæ purpureis vt primula cunis

Vagijt, & mammis lac auxiliaribus hausit,
Turgescit bullans, floréque emittit, at vltrà
Vix vnquam matura suo dat tempore fructus,
Ante malis vuas inuertere sueta labruscis,
Attamen vt fungar vice cotis, & improba taxans
Sic acuam accensos animos conamine recti,
Me Deus inuitum increpitans crinitus Apollo
Vrget, & ignauam iubet altè incessere pubem.
Heu pubes Ithacæ sponsis numeranda puellæ:
Quæ toties generis Crambem spumosa recoctam
Eructas, titulósque recolligis vsque petitos
A Mynijs, claróque ab Iasone, Bellerophontes
Siue magis placeat, iactatáque monstra Chimæræ,
Seu ferro anguicomæ secuit qui colla Medusæ.
Siccine nobilium pergis decora alta parentum
Asserere? & pennas volucris Iunonia pandis,
Quando aquilas, tauros, Nemeique tremenda leonis
Ostentas clypeis, & pictis ora tapetis?
Quid tum? iure licet signis clarere paternis:
Hæc genitor ferre arma dedit, pater optimus illi,
Nonus ego accipio, & Deus est in vtroque parente.
Laudo equidem, & ius est Heroum agnoscere prolem:
Attamen hoc clari (quæso) dic nominis hæres,
Num tuus ille olim qui primus stemmata genti
Constituit, solùm hac texit sua pectora parma?
Nulla nec vlterius cor ipsum lamina sepsit?
Lamina? quid tibi vis? quis ineptiùs arma tuendæ
Facta cuti, interiùs cordi, aut pulmonibus aptat?
Quando igitur nescis, dicam (clarissime) quid sit,
Vt tua sint varijs hæc scuta inducta lituris.
Illa tamen cordi propriè quæ optauerat arma,
Ille tuus, nono quem tu nunc ordine tangis,
Iamdudum neglecta tibi, collecta tulere
Terrigenæ, Marius, Cato, Tullius, hij noua proles
Obscuris

Obscuris titulis: tum libertina propago
Nescio quis Flaccus, paribus se partibus effert,
Charior Augusto, quàm tu, propiórque cubanti
Conuiua, & vacuis longè præclarior horis.
Proh scelus: audaces certum est haurire duello:
Nec mea quæ fuerant, alius gestauerit vnquam
Me viuo: at quæ sunt illa arma, & lamina? pande.
Scire cupis? cordis tegumen præstantius auro,
Duricie & ferrum vincens, adamantina virtus
Illa fuit: quam tu, deceptus imagine picta
Despicis: ille tuus multum sudauit & alsit,
Sanguine tum vigili perrumpens inuia cura,
Quò meritis patriam, fama distenderet orbem.
Hanc vnam obtendens clypei vice, Gorgonis ori,
Et Scyllæ canibus, rediuiuæ & rictibus Hydræ,
Euasit: iecítque tuis fundamina ceris.
Tu segni imbelles artus prostratus in vmbra,
Audis quæ ad citharam cantat crinitus Iopas,
Et valdè inflaris, vano si carmine bardus
Pangat opes veteres, aut fortia facta parentum:
Illa tuo veluti constarent ædita Marte,
Quem scimus: sed enim si te (generose) tuorum
Laus capit, eia aliquid titulis tute adde paternis.
Semper ego proauos tantùm? nunquámne nepotis
Gesta legam? durum est toties assurgier vmbris.
Si refugis: dicam, generis nec Dardanus autor,
Nec tibi Diua parens: mentito at proditus ouo
Nescio quem potius Thersitem moribus effers.
Sed cape dicta memor versæ denuntia sortis:
Ni resipis (neque enim tantis tu solus inanes
Intendásue minas, aut sesquipedalia verba)
Nil erit huic quare clypeo confisus, & isti
Cassidis in summo nutat quæ vertice cristæ,
Antiquum speres fastu retinere decorem.

Ecce vides postquàm fatalis lamina vestro
Prodita contemptu, fœdéque abiecta, nouorum
Præda hominum facta est, vestris vt gnauitèr armis
Vos etiam oppugnent, conuersa & sorte vetusto
Exuere imperio pergant, & nomine herili.
Vnde etenim tot castra, & tanta palatia signis
Antiquis insculpta nouos virtute fauente
Suscepere suis dominos penetralibus? vnde
Scipiadum fundus, Lepidi domus, atria Scauri,
Mercurij accedunt, alieno ex ære, clienti?
Aut sua rostratæ qui dedicat ora Mineruæ?
Vnde genus clari Valeri? aut stirps postera Codri
Nunc tunicata, suis quondam famulatur? & vltrò
Dediscit proauos? nec prima crepundia nouit?
Vnde? nisi amissa postquàm virtute, palati
Posthuma progenies, plusquàm studiosa, seueræ
Non vltrà seruat ferulæ præcepta: nec vllos
Fert genitrix paruo domino bis stulta magistros
Peccanti improbulos, virgis abstergere næuos?
Nempè etiam à primis recipit puer vndique cunis
Verba salutantum: bullataque tegmina gaudet
Ferre humeris: pictóque obuincit crura cothurno.
Dein primùm vt tenero balbutit blæsulus ore,
Accumbit mensis præcox conuiua prophanis,
Audit & illicitos olim genitoris amores,
Et temerata thori vicini, non sine risu,
Iura, patríque suam corrupta matre puellam
Ablatam: hîc geminis applaudens cætera palmis
Turba fauet, sponda parasitica quæ cubat ima.
Tum postquàm caluere animi, num exusta Syphacis
Castra? vel Annibalis flagrantes cornua tauros?
Aut metuenda fuga Parthorum tela locutos,
Disceptare putas ductoris nobile prisci
Vllum opus, exemplo versuto imitabile, vt olim

Mos

Mos epulas inter Philopœmenis esse solebat?
Longum opus hoc: narrent potiùs quibus ardea gyris
Accipitris vitet demissum, vt fulmina, iactum:
Aut celer Ichnobates præuerterit omne Melampo
Vt stadium, qualisue Lacon latratibus altis
Solus opus lasso sub sera crepuscula ceruo
Confecit. Positis num reris denique mensis,
Immanes Ericis produci in prælia cæstus?
Immò aliud: geminos salienti murmure talos.
Luditur? immò agitur dubio res seria sensu:
Sæpè per vnius postquàm dispendia iactus,
Exeat implumis gallinæ filius albæ.
Quod, quoniam tali lusores alea peste
Disperdat cupidos, & quæ variata lituris
Puniceis, pullisque suo stat charta veneno
Infamis, miror quonam Respublica pacto
Vlla queat tantæ contagis noxia ferre
Semina, non penitùs totis à finibus acta.
Præsertim hac scelerum tam fœta ætate, nefandi
Postquàm Pantolabus, Balistáque, fúrque Voranus,
Simalio, atque Harpax, balatrones hoc genus omne
Obsideant mensas citreas, & luce sub ipsa
Nunc coniuratis veniant ad classica talis.
Heu fuge crudeles hæres nummate sodales,
Nec te decipiat mentiti forma Patrocli:
Quilibet istorum Vertumno inuersior ipso,
Perfidus apposito prætendet amabile vultu,
Aulam habitans, cœtu medius, (nam byssina comptus
Indumenta geret, digitos ornante pyropo,
Ex auro & triplici nectet sua colla catena)
Finget amicitiam, captatáque tempora Lynceus
Obseruans perdet paruum non inscius, vt te
Iam totum decima consurgens obruat vnda.
Quod te per Genium, magno patre creta virago

Regia permiſſè viridi cui faſcia candens
Frontis honos, gemmis, auróque intexta refulget,
Hanc vnam actutùm terris diuertere labem,
Oro: & carminibus ſi qua vis denique reſtat,
Obteſtor: ſupplex mecum ſua brachia tendit
Et Patria, & iuuenum ſpes non temnenda labantum
Hijs ducibus. Non eſt hæc oblectatio tanti,
Vt quoquam eueniens damnum excuſare colore
Facundi poſsit vel clepſydra Quintiliani.
Intereà Aſtyanax tacita hæc qui ſingula mente
Aſpicit, æternùm & condit penetralibus imis,
Paruulus Aſtyanax, paruo ſociatus Iülo
Conuocat Euryalum: magnorum exempla Deorum
Fortiter vt paruis imitentur viſa fritillis.
Seruulus hic nebulo punctos docet, & puerilem
Abiectis nucibus iubet æri inſiſtere ludum,
Per caput alterius iùrare, altúmque tueri
Inſtruit, & totis iam bellum indicere libris,
Atque odiſſe viros (velut anguem) grammaticaſtros.
Quippe dolet puero caput, aut latus imbecilli.
Mater, te appello: & per dulces eripe mammas.
Mi vir, ſi ſponſæ benè vis, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, ſerues communia pignora: noſter
Hic tener eſt: tetricis quid vexas pectora cartis
Vſque adeo? anne aliquem formaueris Amanuenſem?
Non tibi ſuccedet? Non huic tua prædia linques?
Vnde queat doctis numerare ſalaria ſeruis?
Sic facilè inſulſæ precibus caper ille maritæ
Ducitur, & barbam fatuam permulſus, iniquis
Adſcribet votis molitæ exinde ruinæ
Nominis, & generis læſo fundamine primo.
Vicimus, & meus eſt: (exclamat mater) opacas
Venatum in ſyluas famuli deducite noſtrum
Aſtyanacta, ſciat Berecynthia cornua ſcitè

Inflare,

Inflare, & sacras venantum addiscere voces:
Nomina det canibus, pugno simul accipiter stet.
At neque vos præter lepores, capreásque fugaces,
Adm.. vt nostro quicquam obiectetis ocello
Dente, vel vngue ferox: æstiuι syderis ardor
Ne capiti noceat, neu vesperis aura, cauete,
Tum succussantis ne scandat terga caballi,
At placidi, & ventos qui æquabilis ante eat ipsos.
Me miseram, vt metuo? nam vos, mala turba, remoti
Postquàm è conspectu secceditis, ilicet istum
Ah teneros lassantem artus per aprica, sinetis
Aut lucta certare, aut longo tendere cursu,
Aut disco, aut iaculo, vel iniquo denique saltu,
Vt referat madidos, & stantes puluere crines
Aureolos. Hera pone metus: nec cornibus atrox
Huic sese obijciet ceruus, nec dentibus vrsus.
Ah puer infelix: & qui genuere parentes.
Hunccine sic decuit penitùs nescire elementa,
Linguarum, librúmque rudem? contemnere Diuûm
Nomina? tam paruos digitos lassare fritillo?
Hactenùs & syluis votum meliora iuuentæ
Tempora, nil olim eximij promittere fructus?
I nunc: & tali famulo committe regendum,
Quisquis es, imbutum pulchris qui moribus optas
Astyanacta suis oculos tibi claudere palmis.
Id verò atque lubens faciet: nam Firmicus illum
Consultus narrat patrios inquirere in annos.
Quin simul vt pheretro impositum te cymba Charontis
Transuectat Stygias metuentem multa per vndas,
Inuolat in loculos præceps: & questus hianti
Spe minus Astyanax sese inuenisse, profundit
Vel triduo aggestam per tot tibi lustra monetam
Ingluuie, & pompa, & scortis, aliásque per artes,
Quas pridem admissas didicit puer improbus vsu.

Sic postquàm immodicis nec centum millia mensis
Sufficiunt, patrius quod census fudit in annos,
Prima manus velites, auratis pocula signis,
Inde boum prostant armenta à fœnore capta:
Pòst ouium versura decem legionibus instat:
Hæc quoque quum clades proferre Triaria suasit
Subsidia, & totis insternere viribus hostem,
Tunc villas, fundósque & prædia subijcit hastæ:
Postremùm cineres maiorum, ipsósque penates
Distrahit, & parma tum demùm inglorius alba
Ingemit, & patrios algens reminiscitur Argos.
Intereà (hæc quoniam messis sperata fefellit
Et regem & populum) præstantes rebus agendis
Vndique confuso admittet Respublica lectu.
Nec quærit proauos terræ num filius affert,
An rarum sola comitatum Pallade pectus,
Quæque suis olim titulos pronepotibus addat,
Virtutem. Quid enim? dum vos me proditis (inquit)
Et mea deseritis resupino munia fastu,
Quid faciam? aut quibus insistam patria indiga fulcris?
Vestrum erat à serie sic dependere paterna,
Vt ne quid magnum exigeret iactata vetustas
Arentis senio frondis, quam secula quondam
Troica Achilleo capiti flexere virentem,
Ni sua sæpè noua circundare tempora lauro,
Postera cantati contenderet AEacidæ stirps.
Laurus? vbi est? vestris planta hæc an crescit in hortis?
Ecce rosas video: Peneia marcuit arbos
Iamdudùm contracta situ: squallentia tristis
Brachia nam ponit, valdè indignata, rosetis
Sobria quòd madidis adeò postponitur: ipsi
Quippe inhonoratæ toto vix angulus horto est,
Solis egens, & fontis egens. Si fortè triumphos
Vel fictos simulet dispar prosapia primæ,

Expectate

Expectate (viri) dum laurus sicca nouellos
Rursus agat ramos, nunc nomen inutile trunci est.
Scilicèt expectate (viri) paritérque liquentis
Ad vada Sabrinæ nigros expectet olores
Dedita nugiloquûm præscitis Cambria vatum:
Seu quandoque suas Rutupino littore rupes
Cantia Lunensi posituras marmore cretam.
Quippe (reor) si exempla placent, morúmque magistris
Stabitur: en quos archetypos, quæ prisca rigentis
Virtutis monumenta, & dignas stemmate plantas
Laudato, vnde meis quæratur surculus hortis.
Eheu, quid volui miseræ mihi? perdita sulcis
Semina degeneris loliÿ, lappásque, rubósque
Interserta queror segetem mihi tollere in herba,
Ingentique vmbra totos obducere campos.
Quum quibus exemplis, quibus atque authoribus, omnis
Contagem populi manus emollita sequacis
Contrahat, Æacidum resupina fatebitur horum
Purpura, imaginibus fallens, ignaráque vulgi
Inducens studia in præceps conamine prauo,
Dum quis, non adeò quid, penditur. Ille tonans si
Iupiter hoc fecit: cur Chærea tale libentèr
Non faciat? facit insistens: & crimina Olympo
Plebs deducta solet plærunque autore leuare.
At forsan lætas luxus benè condeceat res:
Nec durè tetricos Tatiÿ sub Marte Sabinos,
Romulidásue petam priscos, nunc aurea Roma est.
I puer, & dubiæ prestò miracula cœnæ
Omnibus intendas neruis: in Apolline lis est
Iudice sub Catio: ni cœna liguriat vna,
Quod victi inuideant Æsopi filius, & qui
Ægyptum squillis inhians properauit ab vrbe.
Quæret amatorem chelidon irata recentem:
Nullus ero? Immò hoc tu nullius, pessime gurges.

Id metuis? non hoc metuis, quòd fama laborat?
Res abit? & nudum mox sera crepuscula plectent?
Quid, si sylua meis minitetur classica ripis?
Dira virûm facies inimicas littore plantas
Imprimat? insuetis populetur & omnia flammis?
O iuuenes: nemon' prodit? num ter tribus horis
Dormitur? nec adhûc hesternæ crapula cœnæ
Digeritur? quid vis? iam iam expergiscimur: hora est
Nec dum vndena: licet paulo ampliùs. Hei mihi, vos an
Vos tales, tantum mutatos Hectore ab illo
Ista dies videat, muros scandente Sinone,
Vt propè stertenti vigili plus audiat anser?
Nec sacræ Elysys maiorum sedibus vmbræ
Hæc narrata ferent animis, aut auribus æquis:
Nec meus ille pudor, nec qui sol omnia lustrat
Dedecus hoc grato rubicundior aspicit ore.
Corripite è stratis actutùm corpora: nunc ô,
Tempus adest quo se virtus iactata parentum
Marte probet proprio. Nunc primos tendere in hostem
Vestrum opus, & vestris patriam hanc defendere dextris.
Qualiter ingentûm memini quum tempore auorum
Dura sub assiduа callebat casside ceruix,
Nulla dies, humeris qua non tegumenta placerent
Squammea, loricam nodo cogente trilícem,
Vtpote Sericeo non dum thorace rigéntes
Eneruante toros pulposi pectoris: auro
Nullus honos: clauis galeæ decus interstinctum
Forsitan æratis tremulum fulgebat, eodem
Fimbriáq; armorum radiabat puncta metallo:
Cætera terribili crepitabant obsita ferro:
Vt ferrugineos ferri laus prima mouebat.
Nunc si aliter visum est, causæ quid suspicer? idne
Tritius? effœtam tandem sterilescere stirpem?
An quia militiæ nunc (ah) nunc altera vestræ

Laus

Laus est? setosum deceant nempe Hectora pugnæ:
Tu Pari semper ama: fortes Milesia tellus
Quondam aluit, nunc ipsa suo mage vellere pexa est.
Nempe feros, nempe incultos prior ædidit ætas:
Huic fractæ mage molle placet: refugitque pruinas
Ire per, & soles dispar prosapia primæ.
Vnde sonent rauco si Martia tympana bombo,
Increpitet si Mars, si Pelias hasta lacertis
Nequicquam (ah) teneris tollenda expromitur: istos
Mirum omnes ni Erycina suæ ferat esse cohortis,
Qui digito scalpunt vno caput, obstipique
Incedunt, femora atque humeros centone referti,
Surgere sæpè plicis soleat qui pluribus, olim
Quàm stetit Aiaci septeno ex tergore scutum.
Ilicet ista tuis bombycina corpora castris
Dure Gradiue petas? clames licèt, & tua quantum
Quinquaginta alij vocalia guttura soluas,
Quum benè clamâris, frontem si contrahat illa,
Et super impingat verba imperiosa labanti,
Pauca, sed irati telo grauiora Tonantis,
Extemplò conuersa retrò fera corda resident:
Et cedes posita Mars importune querela.
Nam quid agas, veris si vinceris? Ilicet istud
Dedecus haud vllo purgarit Tullius ore.
At pallent: possitque etiam laudarier ille
Liuentûm exanguis macerato corpore vultus:
Si vigili soles studio præuertere primos
Vix dum etiam exiliens Tithoni lutea coniux,
Aut seram à sophiæ libris auferre lucernam,
Prætextos videat nox intempesta Catellos:
Plus olei vt dicas quàm consumpsisse Falerni
Pallidulos. Nugæ: non ista inducitur arte
Hic color, aut lateris macies elumbis: adultos
Nam stertunt soles, studij nox conscia sola est.

Siue alij punctis rem totam expungere pergant
Insomnes: (tanti est toties emittere pyrgi
Carceribus geminos quadrato ex osse caballos)
Siue aliud solas alijs tractasse per vmbras
Et sine teste placet: procul ô procul este prophani.
Sed quid ego hæc? quorsum aut nequicquã ingratiùs insto?
Cedò aliquid. Priscas si poscere dura videbor
Castrorum pelles; galeæ nec pondera ceruix
Sustineat, plumis etiam nunc mollior ipsis,
Si nimium est tetricæ libros triuisse Mineruæ,
Si fortasse piget Latij, & temnuntur Athenæ,
Muta silet vobis etiàm vernacula lingua?
Mitto ego nunc Paulos, Labeones, atque Sabinos,
Nomina Pandectis adeò solennia: priscum est:
Nec paret tabulis ius municipale vetustis:
Audio: quid? patrias etiam nescire potestas
Æqua datur leges? an & hoc tolerabile dicam,
Prognatam imperio sobolem, populóque regundo,
Ignorare quibus coëat Respublica vinclis?
Aut demum quæ sit diuersa in sorte facultas,
Quam penes imperij vis est? quantúmque iubendo
Differat, vnus homo? an plures? an concio legem
Constituant? (neque enim prosit pugnantia secum
Frontibus obuersis componere) quod iuuat isthic,
Forte illic mera est iniuria. Nemo prophanus
Ritè tuos (Astræa) modos, formásque iubendi
Colligat, hanc ni vim deducat fontibus ipsis,
Quid fuit, informi à victu quod depulit olim
Syluestres homines, quos ni tabulare vagantes
Carmen in adstrictæ sociâsset fœdera vitæ,
Nunc quoque posteritas glandem ructaret inertem?
Et tamen huic sæclo paruum, & triuiale videtur,
(Quippe humiles specie prima) disquirere causas
Cur vetat ista minax? proponit blandior illa

Præmia?

Præmia? nec pro re quauis lex æditur vna?
Hæc variata loco, persona, & tempore, túnc
Illotis manibus tractes: sacrariáque ipsa
Introëas, elementa velis ni discere prima?
Quòd si Patricios monstrari, & dicier, hic est:
Hic ille est: turbæque iuuat leuis aura sequacis,
Cur non ante fores responsa petentibus omni
Pura lucro iuris patrÿ proferre peritos
Tam deceat, quàm te Laberi? aut te Scæuola quondam?
Totque viros primæ classis decuisse, Quiritum
Testantur fasces, oblatáque sella Curulis
Non minus hÿs, quàm quos suadela diuite Pitho
Instructos voluit regnum exercere forense?
Siue per edomitas scandens victoria gentes
Iussit demeritæ plebis sperare tabellas?
Nunc, neque ius patrium vacat euoluisse: nec oci
Quantumuis superest, tantum canis, ardea, tali
Concedant: vndante foro nec turbida vestrum est
Ingenia, aut moti fremitus compescere vulgi.
Nec scitis, quid sit subsellia tota togatis
Artibus in vestros conuersa reflectere vultus.
Quin potiùs studio indigno contemnitis omne
Quod sapit: ipsa etiam vitatis nomina docti,
Tanquàm aliquid doctrina nothum contermina cristis
Adferat, aut pictas dispungat acumine ceras.
Ergò, malis quoniam corrumpitis artibus artes
Maiorum antiquas, quid mirum si nouus alter
Succedat vacuo eripiens præsepia fuco?
Dicite quantumuis nouus est: nos vtile cælo
Donamus: ciuésque suos miratur Olympus
Hoc olim creuisse modo. Mortalibus adsis
Quisquis es, inuento pulchro, cape præmia summo
Digna viro: patriæ prosis, spera omnia: postquàm
Virtuti, & meritis, nil non donabile restat.

Vagijt, & mammis lac auxiliaribus hausit,
Turgescit bullans, florésque emittit, at vltrà
Vix vnquam matura suo dat tempore fructus,
Ante malis vuas inuertere sueta labruscis,
Attamen vt fungar vice cotis, & improba taxans
Sic acuam accensos animos conamine recti,
Me Deus inuitum increpitans crinitus Apollo
Vrget, & ignauam iubet altè incessere pubem.
Heu pubes Ithacæ sponsis numeranda puellæ:
Quæ toties generis Crambem spumosa recoctam
Eructas, titulósque recolligis vsque petitos
A Mynijs, claróque ab Iasone, Bellerophontes
Siue magis placeat, iactatáque monstra Chimæræ,
Seu ferro anguicomæ secuit qui colla Medusæ.
Siccine nobilium pergis decora alta parentum
Asserere? & pennas volucris Iunonia pandis,
Quando aquilas, tauros, Nemeíque tremenda leonis
Ostentas clypeis, & pictis ora tapetis?
Quid tum? iure licet signis clarere paternis:
Hæc genitor ferre arma dedit, pater optimus illi,
Nonus ego accipio, & Deus est in vtroque parente.
Laudo equidem, & ius est Heroum agnoscere prolem:
Attamen hoc clari (quæso) dic nominis hæres,
Num tuus ille olim qui primus stemmata genti
Constituit, solùm hac texit sua pectora parma?
Nulla nec vlterius cor ipsum lamina sepsit?
Lamina? quid tibi vis? quis ineptiùs arma tuendæ
Facta cuti, interiùs cordi, aut pulmonibus aptat?
Quando igitur nescis, dicam (clarissime) quid sit,
Vt tua sint varijs hæc scuta inducta lituris.
Illa tamen cordi propriè quæ optauerat arma,
Ille tuus, nono quem tu nunc ordine tangis,
Iamdudum neglecta tibi, collecta tulere
Terrigenæ, Marius, Cato, Tullius, hij noua proles
Obscuris

Obscuris titulis: tum libertina propago
Nescio quis Flaccus, paribus se partibus effert,
Charior Augusto, quàm tu, propiórque cubanti
Conuiua, & vacuis longè præclarior horis.
Proh scelus: audaces certum est haurire duello:
Nec mea quæ fuerant, alius gestauerit vnquam
Me viuo: at quæ sunt illa arma, & lamina? pande.
Scire cupis? cordis tegumen præstantius auro,
Duricie & ferrum vincens, adamantina virtus
Illa fuit: quam tu, deceptus imagine picta
Despicis: ille tuus multum sudauit & alsit,
Sanguine tum vigili perrumpens inuia cura,
Quò meritis patriam, fama distenderet orbem.
Hanc vnam obtendens clypei vice, Gorgonis ori,
Et Scyllæ canibus, rediuiuæ & rictibus Hydræ,
Euasit: iecítque tuis fundamina ceris.
Tu segni imbelles artus prostratus in vmbra,
Audis quæ ad citharam cantat crinitus Iopas,
Et valdè inflaris, vano si carmine bardus
Pangat opes veteres, aut fortia facta parentum:
Illa tuo veluti constarent ædita Marte,
Quem scimus: sed enim si te (generose) tuorum
Laus capit, eia aliquid titulis tute adde paternis.
Semper ego proauos tantùm? nunquámne nepotis
Gesta legam? durum est toties assurgier vmbris.
Si refugis: dicam, generis nec Dardanus autor,
Nec tibi Diua parens: mentito at proditus ouo
Nescio quem potius Thersitem moribus effers.
Sed cape dicta memor versæ denuntia sortis:
Ni resipis (neque enim tantis tu solus inanes
Intendásue minas, aut sesquipedalia verba)
Nil erit huic quare clypeo confisus, & isti
Cassidis in summo nutat quæ vertice cristæ,
Antiquum speres fastu retinere decorem.

Ecce vides postquàm fatalis lamina vestro
Prodita contemptu, fœdéque abiecta, nouorum
Præda hominum facta est, vestris vt gnauitèr armis
Vos etiam oppugnent, conuersa & sorte vetusto
Exuere imperio pergant, & nomine herili.
Vnde etenim tot castra, & tanta palatia signis
Antiquis insculpta nouos virtute fauente
Suscepere suis dominos penetralibus? vnde
Scipiadum fundus, Lepidi domus, atria Scauri,
Mercurij accedunt, alieno ex ære, clienti?
Aut sua rostratæ qui dedicat ora Mineruæ?
Vnde genus clari Valeri? aut stirps postera Codri
Nunc tunicata, suis quondam famulatur? & vltrò
Dediscit proauos? nec prima crepundia nouit?
Vnde? nisi amissa postquàm virtute, palati
Posthuma progenies, plusquàm studiosa, seueræ
Non vltrà seruat ferulæ præcepta: nec vllos
Fert genitrix paruo domino bis stulta magistros
Peccanti improbulos, virgis abstergere næuos?
Nempè etiam à primis recipit puer vndique cunis
Verba salutantum: bullataque tegmina gaudet
Ferre humeris: pictóque obuincit crura cothurno.
Dein primùm vt tenero balbutit blæsulus ore,
Accumbit mensis præcox conuiua prophanis,
Audit & illicitos olim genitoris amores,
Et temerata thori vicini, non sine risu,
Iura, patríque suam corrupta matre puellam
Ablatam: hîc geminis applaudens cætera palmis
Turba fauet, sponda parasitica quæ cubat ima.
Tum postquàm caluere animi, num exusta Syphacis
Castra? vel Annibalis flagrantes cornua tauros?
Aut metuenda fuga Parthorum tela locutos,
Disceptare putas ductoris nobile prisci
Vllum opus, exemplo versuto imitabile, vt olim

Mos

Mos epulas inter Philopœmenis esse solebat?
Longum opus hoc: narrent potiùs quibus ardea gyris
Accipitris vitet demissum, vt fulmina, iactum:
Aut celer Ichnobates præuerterit omne Melampo
Vt stadium, qualisue Lacon latratibus altis
Solus opus lasso sub sera crepuscula ceruo
Confecit. Positis num reris denique mensis,
Immanes Ericis produci in prælia cæstus?
Immò aliud: geminos salienti murmure talos.
Luditur? immò agitur dubio res seria sensu:
Sæpè per vnius postquàm dispendia iactus,
Exeat implumis gallinæ filius albæ.
Quod, quoniam tali lusores alea peste
Disperdat cupidos, & quæ variata lituris
Puniceis, pullisque suo stat charta veneno
Infamis, miror quonam Respublica pacto
Vlla queat tantæ contagis noxia ferre
Semina, non penitùs totis à finibus acta.
Præsertim hac scelerum tam fœta ætate, nefandi
Postquàm Pantolabus, Balistáque, fúrque Voranus,
Simalio, atque Harpax, balatrones hoc genus omne
Obsideant mensas citreas, & luce sub ipsa
Nunc coniuratis veniant ad classica talis.
Heu fuge crudeles hæres nummate sodales,
Nec te decipiat mentiti forma Patrocli:
Quilibet istorum Vertumno inuersior ipso,
Perfidus apposito prætendet amabile vultu,
Aulam habitans, cætu medius, (nam byssina comptus
Indumenta geret, digitos ornante pyropo,
Ex auro & triplici nectet sua colla catena)
Finget amicitiam, captatáque tempora Lynceus
Obseruans perdet paruum non inscius, vt te
Iam totum decima consurgens obruat vnda.
Quod te per Genium, magno patre creta virago

Inflare, & sacras venantum addiscere voces:
Nomina det canibus, pugno simul accipiter stet.
At neque vos præter lepores, capreásque fugaces,
Adm.. vt nostro quicquam obiectetis ocello
Dente, vel vngue ferox: æstiui syderis ardor
Ne capiti noceat, neu vesperis aura, cauete,
Tum succussantis ne scandat terga caballi,
At placidi, & ventos qui æquabilis ante eat ipsos.
Me miseram, vt metuo? nam vos, mala turba, remoti
Postquàm è conspectu seceditis, ilicet istum
Ah teneros lassantem artus per aprica, sinetis
Aut lucta certare, aut longo tendere cursu,
Aut disco, aut iaculo, vel iniquo denique saltu,
Vt referat madidos, & stantes puluere crines
Aureolos. Hera pone metus: nec cornibus atrox
Huic sese obijciet ceruus, nec dentibus vrsus.
Ah puer infelix: & qui genuere parentes.
Hunccine sic decuit penitùs nescire elementa,
Linguarum, librúmque rudem? contemnere Diuûm
Nomina? tam paruos digitos lassare fritillo?
Hactenùs & syluis votum meliora iuuentæ
Tempora, nil olim eximij promittere fructus?
I nunc: & tali famulo committe regendum,
Quisquis es, imbutum pulchris qui moribus optas
Astyanacta suis oculos tibi claudere palmis.
Id verò atque lubens faciet: nam Firmicus illum
Consultus narrat patrios inquirere in annos.
Quin simul vt pheretro impositum te cymba Charontis
Transuectat Stygias metuentem multa per vndas,
Inuolat in loculos præceps: & questus hianti
Spe minus Astyanax sese inuenisse, profundit
Vel triduo aggestam per tot tibi lustra monetam
Ingluuie, & pompa, & scortis, aliásque per artes,
Quas pridem admissas didicit puer improbus vsu.

Sic postquàm immodicis nec centum millia mensis
Sufficiunt, patrius quod census fudit in annos,
Prima manus velites, auratis pocula signis,
Inde boum prostant armenta à fœnore capta:
Pòst ouium versura decem legionibus instat:
Hæc quoque quum clades proferre Triaria suasit
Subsidia, & totis insternere viribus hostem,
Tunc villas, fundósque & prædia subijcit hastæ:
Postremùm cineres maiorum, ipsósque penates
Distrahit, & parma tum demùm inglorius alba
Ingemit, & patrios algens reminiscitur Argos.
Intereà (hæc quoniam messis sperata fefellit
Et regem & populum) præstantes rebus agendis
Vndique confuso admittet Respublica lectu.
Nec quærit proauos terræ num filius affert,
An rarum sola comitatum Pallade pectus,
Quæque suis olim titulos pronepotibus addat,
Virtutem. Quid enim? dum vos me proditis (inquit)
Et mea deseritis resupino munia fastu,
Quid faciam? aut quibus insistam patria indiga fulcris?
Vestrum erat à serie sic dependere paterna,
Vt ne quid magnum exigeret iactata vetustas
Arentis senio frondis, quam secula quondam
Troica Achilleo capiti flexere virentem,
Ni sua sæpè noua circundare tempora lauro,
Postera cantati contenderet AEacidæ stirps.
Laurus? vbi est? vestris planta hæc an crescit in hortis?
Ecce rosas video: Peneia marcuit arbos
Iamdudùm contracta situ: squallentia tristis
Brachia nam ponit, valdè indignata, rosetis
Sobria quòd madidis adeò postponitur: ipsi
Quippe inhonoratæ toto vix angulus horto est,
Solis egens, & fontis egens. Si fortè triumphos
Vel fictos simulet dispar prosapia primæ,

Expectate

Expectate (viri) dum laurus sicca nouellos
Rursus agat ramos, nunc nomen inutile trunci est.
Scilicet expectate (viri) paritérque liquentis
Ad vada Sabrinæ nigros expectet olores
Dedita nugiloquûm præscitis Cambria vatum:
Seu quandoque suas Rutupino littore rupes
Cantia Lunensi posituras marmore cretam.
Quippe (reor) si exempla placent, morúmque magistris
Stabitur: en quos archetypos, quæ prisca rigentis
Virtutis monumenta, & dignas stemmate plantas
Laudato, vnde meis quæratur surculus hortis.
Eheu, quid volui miseræ mihi? perdita sulcis
Semina degeneris lolij, lappásque, rubósque
Interserta queror segetem mihi tollere in herba,
Ingentique vmbra totos obducere campos.
Quum quibus exemplis, quibus atque authoribus, omnis
Contagem populi manus emollita sequacis
Contrahat, AEacidum resupina fatebitur horum
Purpura, imaginibus fallens, ignaráque vulgi
Inducens studia in præceps conamine prauo,
Dum quis, non adeò quid, penditur. Ille tonans si
Iupiter hoc fecit: cur Chærea tale libentèr
Non faciat? facit insistens: & crimina Olympo
Plebs deducta solet plærunque autore leuare.
At forsan lætas luxus benè condeceat res:
Nec durè tetricos Tatij sub Marte Sabinos,
Romulidásue petam priscos, nunc aurea Roma est.
I puer, & dubiæ præstò miracula cœnæ
Omnibus intendas neruis: in Apolline lis est
Iudice sub Catio: ni cœna liguriat vna,
Quod victi inuideant AEsopi filius, & qui
AEgyptum squillis inhians properauit ab vrbe.
Quæret amatorem chelidon irata recentem:
Nullus ero? Immò hoc tu nullius, pessime gurges.

Id metuis? non hoc metuis, quòd fama laborat?
Res abit? & nudum mox sera crepuscula plectent?
Quid, si sylua meis minitetur claßica ripis?
Dira virûm facies inimicas littore plantas
Imprimat? insuetis populetur & omnia flammis?
O iuuenes: nemon' prodit? num ter tribus horis
Dormitur? nec adhùc hesternæ crapula cœnæ
Digeritur? quid vis? iam iam expergiscimur: hora est
Nec dum vndena: licet paulo ampliùs. Hei mihi, vos an
Vos tales, tantum mutatos Hectore ab illo
Ista dies videat, muros scandente Sinone,
Vt propè stet tenti vigili pluś audiat anser?
Nec sacræ Elysys maiorum sedibus vmbræ
Hæc narrata ferent animis, aut auribus æquis:
Nec meus ille pudor, nec qui sol omnia lustrat
Dedecus hoc grato rubicundior aspicit ore.
Corripite è stratis actutùm corpora: nunc ô,
Tempus adest quo se virtus iactata parentum
Marte probet proprio. Nunc primos tendere in hostem
Vestrum opus, & vestris patriam hanc defendere dextris.
Qualiter ingentûm memini quum tempore auorum
Dura sub aßidua callebat caßide ceruix,
Nulla dies, humeris qua non tegumenta placerent
Squammea, loricam nodo cogente trilicem,
Vtpote Sericeo non dum thorace rigéntes
Eneruante toros pulposi pectoris: auro
Nullus honos: clauis galeæ decus interstinctum
Forsitan æratis tremulum fulgebat, eodem
Fimbriáq; armorum radiabat puncta metallo:
Cætera terribili crepitabant obsita ferro:
Vt ferrugineos ferri laus prima mouebat.
Nunc si alitèr visum est, causæ quid suspicer? idne
Tritius? effœtam tandem sterilescere stirpem?
An quia militiæ nunc (ah) nunc altera vestræ

Laus est? setosum deceant nempe Hectora pugnæ:
Tu Pari semper ama: fortes Milesia tellus
Quondam aluit, nunc ipsa suo mage vellere pexa est.
Nempe feros, nempe incultos prior ædidit ætas:
Huic fractæ mage molle placet: refugítque pruinas
Ire per, & soles dispar prosapia primæ.
Vnde sonent rauco si Martia tympana bombo,
Increpitet si Mars, si Pelias hasta lacertis
Nequicquam (ah) teneris tollenda expromitur: istos
Mirum omnes ni Erycina suæ ferat esse cohortis,
Qui digito scalpunt vno caput, obstipique
Incedunt, femora atque humeros centone referti,
Surgere sæpè plicis soleat qui pluribus, olim
Quàm stetit Aiaci septeno ex tergore scutum.
Ilicet ista tuis bombycina corpora castris
Dure Gradiue petas? clames licèt, & tua quantum
Quinquaginta alij vocalia guttura soluas,
Quum benè clamâris, frontem si contrahat illa,
Et super impingat verba imperiosa labanti,
Pauca, sed irati telo grauiora Tonantis,
Extemplò conuersa retrò fera corda resident:
Et cedes posita Mars importune querela.
Nam quid agas, veris si vinceris? Ilicet istud
Dedecus haud vllo purgarit Tullius ore.
At pallent: poßitque etiam laudarier ille
Liuentûm exanguis macerato corpore vultus:
Si vigili soles studio præuertere primos
Vix dum etiam exiliens Tithoni lutea coniux,
Aut seram à sophiæ libris auferre lucernam,
Prætextos videat nox intempesta Catellos:
Plus olei vt dicas quàm consumpsisse Falerni
Pallidulos. Nugæ: non ista inducitur arte
Hic color, aut lateris macies elumbis: adultos
Nam stertunt soles, studij nox conscia sola est.

Siue alij punctis rem totam expungere pergant
Insomnes: (tanti est toties emittere pyrgi
Carceribus geminos quadrato ex osse caballos)
Siue aliud solas alijs tractasse per vmbras
Et sine teste placet: procul ô procul este prophani.
Sed quid ego hæc? quorsum aut nequicquã ingratiùs insto?
Cedò aliquid. Priscas si poscere dura videbor
Castrorum pelles; galeæ nec pondera ceruix
Sustineat, plumis etiam nunc mollior ipsis,
Si nimium est tetricæ libros triuisse Mineruæ,
Si fortasse piget Latij, & temnuntur Athenæ,
Muta silet vobis etiàm vernacula lingua?
Mitto ego nunc Paulos, Labeones, atque Sabinos,
Nomina Pandectis adeò solennia: priscum est:
Nec paret tabulis ius municipale vetustis:
Audio: quid? patrias etiam nescire potestas
Æqua datur leges? an & hoc tolerabile dicam,
Prognatam imperio sobolem, populóque regundo,
Ignorare quibus coëat Respublica vinclis?
Aut demum quæ sit diuersa in sorte facultas,
Quam penes imperij vis est? quantúmque iubendo
Differat, vnus homo? an plures? an concio legem
Constituant? (neque enim prosit pugnantia secum
Frontibus obuersis componere) quod iuuat isthic,
Forte illic mera est iniuria. Nemo prophanus
Ritè tuos (Astræa) modos, formásque iubendi
Colligat, hanc ni vim deducat fontibus ipsis,
Quid fuit, informi à victu quod depulit olim
Syluestres homines, quos ni tabulare vagantes
Carmen in adstrictæ sociâsset fœdera vitæ,
Nunc quoque posteritas glandem ructaret inertem?
Et tamen huic sæclo paruum, & triuiale videtur,
(Quippe humiles specie prima) disquirere causas
Cur vetat ista minax? proponit blandior illa

Præmia?

Præmia? nec pro re quauis lex aditur vna?
Hæc variata loco, persona, & tempore, túne
Illotis manibus tractes: sacrariáque ipsa
Introëas, elementa velis ni discere prima?
Quòd si Patricios monstrari, & dicier, hic est:
Hic ille est: turbaque iuuat leuis aura sequacis,
Cur non ante fores responsa petentibus omni
Pura lucro iuris patrij proferre peritos
Tam deceat, quàm te Laberi? aut te Scæuola quondam?
Totque viros primæ classis decuisse, Quiritum
Testantur fasces, oblatáque sella Curulis
Non minus hijs, quàm quos suadela diuite Pitho
Instructos voluit regnum exercere forense?
Siue per edomitas scandens victoria gentes
Iussit demeritæ plebis sperare tabellas?
Nunc, neque ius patrium vacat euoluisse: nec oci
Quantumuis superest, tantum canis, ardea, tali
Concedant: vndante foro nec turbida vestrum est
Ingenia, aut moti fremitus compescere vulgi.
Nec scitis, quid sit subsellia tota togatis
Artibus in vestros conuersa reflectere vultus.
Quin potiùs studio indigno contemnitis omne
Quod sapit: ipsa etiam vitatis nomina docti,
Tanquàm aliquid doctrina nothum contermina cristis
Adferat, aut pictas dispungat acumine ceras.
Ergò, malis quoniam corrumpitis artibus artes
Maiorum antiquas, quid mirum si nouus alter
Succedat vacuo eripiens præsepia fuco?
Dicite quantumuis nouus est: nos vtile cœlo
Donamus: ciuésque suos miratur Olympus
Hoc olim creuisse modo. Mortalibus adsis
Quisquis es, inuento pulchro, cape præmia summo
Digna viro: patriæ prosis, spera omnia: postquàm
Virtuti, & meritis, nil non donabile restat.

At piger, ementitus, iners, melioribus vsu
Cede loco, & tota hinc vel cum Carthagine migra.
Scipiadas veros sua debita palma sequuta est:
Tu verò an pariles tam dispar credis honores
Deberi effœtæ iamdudum stipitis vmbræ?
Crede mihi tanti non est numerosa reductos
In digitos series: nec cœlum in vtroque parente,
Larua sibi vt poscat, facies quod vera negârit.
Non hoc ista sinunt tam sæuis tempora turbis
Concita, non claui moderamina danda perito:
Nec vacuus ferat vlla diu Respublica sedes
Stare sibi, tardè veniente ad munera primo,
Quo minus ipsa locum properanti exhausta secundo
Elocet, atque aliqua persona vitet inane.
Palma etenim in medio posita est certantibus: & lex
Succurrit vigili: stertentes præterit Hora,
Hora deæ caluæ famulans. Si ritè recordor,
Magnus Alexander moriens consultus Eois
Quem vellet populis post se regnare secundum,
Illum (ait) inter vos quisquis dignissimus extet.
Rectè herclè ò iuuenis Pellææ gloria gentis.
Quippe magistratu (lapis ac si Lydius aurum
Atterat) à gnauo caudex discernitur: omnis
Amphitryoniadæ non apta est dextera clauæ:
Nec benè pomilio stellantem sustinet axem.
Esset opus generis: generi quis plurima claro
Deberi inficias rectè iuerit? integer ipse
Surculus, & pulchro non impar brachia flexu,
Si tantùm reliquæ toto se vertice syluæ
Efferat, atque humiles inter generosa myricas
Aërio solita est se attollere vertice pinus.
Verùm frustrà homines nec stare diutiùs æquum est:
Nec valet annosi tantum nunc nominis vmbra,
Vt queat obtutu gnaris imponere primo,

Si nihil vlteriùs quàm ductus stemmatis affert,
Quisquis erit, canos qui somniat vsque triumphos,
Calleat, arguto quum nunc & turba palato,
Doctior à primo fatuum deprehendere morsu.
Pulcher erat, magnóque satus puer ille parente,
Cui loquere vt videam, solus vel Apolline teste
Dixit Eryctho nijs sapiens prognatus Athenis.
Vsque adeò est animus generis certissimus index.
Quò magis egregium genus vt doctrina coronet
Virtutum genitrix, claræ & spes altera stirpis,
Omnibus hûc genitor neruis incumbere debet:
Nil potius toto quoniam possederit asse
Ipso animo pulchrè instructo spectabilis hæres.
Quòd quamuis stupidos, illustria signa parentum
Qui malè dispungunt fœdis obducta lituris
Musa gemens multo spargat sale, & acritèr instet:
Non omnes hæc carta notat, nec fortè Britannos
Mæuius hoc solos taxari carmine dicat:
Cuiascunque suas mutato nomine, de te,
Déque tuis si quid damnosa canicula menti est,
Aut Phryne, aut Tiberi mullus (quia Cæsaris) emptus
Immani, res est vitijs: stant plurima nobis
Pectora nobilium claras potiora per artes,
Siue togam spectes, seu partas vulnere lauros.
Abstineam viuis: verùm quos Parca sepulcro
Intulit, inuidia maiores quosque recenti
Iactura meminisse datur, si ritè reuoluo,
Dignum erit vt studio gens æmula prodeat æquo,
Indigitésque suos imitandos ducat in actus.
Norfolchi genus antiquum, quot pignora fudit
Magna libris, maiora armis, & maxima fido
Consilio, haud facile est properanti extendere paucis.
Vnus at heu demptus fatis crudelibus Heros
Præpositus cunctis poterat Surreyus esse,

Ni fera surgentes Lachesis truncâsset honores,
Obliquóque nocens incautis fascine liuor.
Crudelis Lachesis: crudelis tu quoque liuor:
Ni quiddam potiùs crudeli dirius esses,
Quo te cunque vocent inuisum nomine ciues,
Monstrum anceps, Erebo emissum, fatale Britannæ
Iam toties aulæ, sed nulla inuisius vmbra,
Exclamare libet, quæ tanta licentia noxæ est,
Vt quæ nunquàm ausit campo se immittere aperto,
Grassetur sub nube Calumnia freta susurris?
Perfida speratos patriæ præcerpere fructus
Túne impunè potes, tam crebra innecta securi?
Semper & erectis mutilare cacumina plantis
Credulitate labans? quid non commiserit error?
Si faciles monstrum hoc, & quas non debuit aures,
Præueniens, tacito insontes onerârit aculeo?
Ille obijt: pœnas liuentum à sanguine dudum
Exegit Nemesis: nec tanto crimine flagrans
Inuidiosa diu manus est lætata superstes.
Vulnus adhùc oculis occurrit flebile nostris,
Quo nimium pronas iuuenis luit inscius iras:
Cui si ingrata dies, & ineluctabile tempus
Non adeò extremam cœptis superaddere limam,
Vitatósque ferè casus, superare negâssent:
Nescio quid maius vidissent secula nostri
Temporis, aut claris illo præstantius actis.
Tanta sub ardenti tendebat pectore virtus,
Tantus & ille fuit generosi spiritus oris,
Et vigor aptus equis, structo & concurrere campo,
Aptus item sacro Parnaßi vertice cultam
Cæsariem viridi cantans ornare corymbo.
Proximus huic, gentis cui nomina signat hirundo,
(Infelix puer ille etiam, Matrauersius vmbris
Additus ante diem) nostro decus orbe refulsit,

Quale oriens nitido iubare exerit auricomus sol,
Nube tamen lætos vultus qui condat opaca,
Ante iter inceptum quàm sexta ex parte peregit.
Hunc pia cura patris, sperans ex indolis altæ
Floribus optatos olim decerpere fructus,
Bis genuit, genitum erudiens, nascentis alumni
Ore fauens læto fouit patria omine cœpta.
Et tantum iuuenis superâsset denique factis
Spem captam, quum Flandra truci legatio febri
Correptum nono per planctus extulit æstu.
Possem alios proferre viros gemmantibus actis
Insignes: possem facundi dona Viati
Dicere, purpureúmque probi laudare Kneuetti
Os: possem insignem producere Bellinghamum:
Teque vel antiquis Poyninghe heroibus æquum:
Vt taceam, validis quantum Barcleyus ille
Pelidæ propior Iohannes præstitit ausis:
Aut quantas paruo Shellæus corpore vires
Tertius à Deciјs, deuota in vulnera prompsit:
Prætereà quorum illa ferax tot protulit ætas
Proxima, grandisonis celebranda exempla poëtis:
Sed quibus ante suos immiti cuspide canos
Confectis memores maiori ex parte dolemus
Tam celeres obitus nentes statuisse sorores.
Cuius vt exemplar lecta sub imagine prostet,
Vnum & pro cunctis nostratem fama loquatur,
Hûc ô sydereis te sistas vnice claustris
Rex Edoärde tuæ nuperrima gloria gentis.
Accipe deuoto puros à pectore questus,
Et repetita tui longùm suspiria casus.
Heu miserande puer (si tu puer, ora senili
Qui studio matura viris aperire solebas)
Quò tibi vernantis periјt spes meßis in herba?
Quídue dolens statuit scelerum Rhamnusia vindex

Innocuum caput ob ſontes, crudelibus vmbris
Addere? num ſuperum tanta indignatio menti eſt?
Nam neque liuor edax cæleſtia pectora pulſans
Illud erat: nec caſus erat, qui ſorte peremptum
Conderet ante diem: Deus hoc Deus ædidit vltor,
Moribus offenſus (dignum eſt ita credere) noſtris,
Indignis tanti ſolis radiantia ferre
Lumina, quo tenebræ extincto nunc omnia fuſcant.
Sæpè malum hoc nobis non læua ex ilice cornix
Dixerat, aut Phœbo carmen præeunte Sibylla,
Sed Deus ipſe Deûm genitor, prænuncia cladis
Monſtra prius mittens, ſi mens non cæca fuiſſet.
Nam quis non fœdi deformia corpora partus
Horruit? auerſas commiſſo clune gemellas?
Quis non immanes proiectos littore cetos
Extimuit? quis non vel ſigna minantia cælo?
Commiſſáſq; acies? liquidúmq; per aëra pugnas?
Cætera de genere hoc, nobis elementa miniſtra
Prædixere iubente Deo: ſi noxia ſaltem
Gens conuerſa, ſuæ meditánſq; piacula culpæ
Diuinam vellet precibus depoſcere pacem.
Sed fruſtrà monuit Deus optimus: ille ſalubri
Conſilio cautos voluit: peruerſa virûm mens
Omina deſpiciens in riſum ſeria vertit.
Sic ergò intra aulam iam peccabatur, & extra
Plebs ſcelerata nouis iampridem turbida rebus
Incumbens, vario compleuerat omnia motu:
At procerum forſan melior ſententia menti:
Quid dicam proceres? quorum per pectora acerbi
Semina diſsidij dudum diſcordia ſeuit?
Ante etiam vt fratres, ſpirans lætale venenum
Commiſit, faciles nimium dum præbet vterque
Aures palponum diris hinc, inde ſuſurris?
Nam neque fraterni valuit reuerentia vincli,

Quò

Quò minùs insano turbarent mutua nixu
Fœdera, spem vultu simulantes, fœta sed intus
Occultis odijs gestantes liuida cordã:
Vsque adeò ambitio mortalia pectora cogit.
Quæ genitor cœli prospectans culmine ab alto,
Sic puerum sua dona viris malè credita temni,
Sic obducta foris fallacia pectora fuco
Nil factis præstare pium: verùm ordine verso
Maiores peccare, atque horum exempla minores
Perdita tam cupidis pronos amplectier vlnis:
Tandem (eheu) lentam inuitus surrexit in iram,
Omnia peccantis populi commissa rependens
Vnius ablatu pueri, quem Parca beatis
Restituit cœli, quo lapsus, sedibus: & nos
Destituit manifesta Dei præsentia in illo.
Quem si longa dies plures seruâsset in annos,
Si non maturo mors immatura negâsset
Exerere vlteriùs diuinæ pignora dotis,
Tanta tibi (ô Edoärde) fuit tum gratia formæ,
Indolis & tam rara vsque ad miracula virtus,
Ingenio docti curam superante magistri,
Tanta tibi & morum probitas, vbi mite sereni
Principis effulsit specimen puerilibus annis
Gratius, ingenio sacrum os ornante pudore,
Verbáque vel duras blandè penetrantia cautes,
Tanta, inquam, fuerant congesta hæc omnia in vnum
Dona Deûm, vt meritò post sæcla effæta creâsse
Delicium humani generis Natura putetur,
Quo duce, Britannis illa aurea tempora rursus
Lacte amnes, & melle rubos signata redirent.
Quando iterum nostris errarent Dij quoque syluis,
Dij faciles, lustrata nouis altaria donis,
Quique pias grato spectarent sydere palmas,
Et genti annuerent restaurato ordine, longùm

Relligione, togæ studijs florescere, & armis.
Nunc igitur, quoniam nos hæc per somnia tantum
Visa, iterum ante diem te concedente sinistri
Perdidimus, superéstne aliud? quàm concita & amens
Vt Patria in pullos se tota effundat amictus,
Atra comas olim virides, campósque nigranti
Sparsa super velo, & conuersis turbida lymphis,
Hijs saltem accumulet donis monumenta nepotis
AEtherei, cinerique tuo tenera oscula iungens,
AEternum mea cura vale, vale ô mea (dicat)
Cura olim: nunc ô despectans nubibus adsis
Cura Deûm, læsique Iouis prece fulmina siste:
Dignus eras triplices canus qui viuere in annos
Nestoris, ipse decem qui Nestoras vnus obires:
Cuius & imperio totus se subderet orbis,
Quà Zephyri Hesperijs, quáque Euri efflantur Eois,
Vnde tuis thyrsos Bacchus deponeret aris,
Liuerétque nouis Tirynthius ipse columnis.
Intereà, humano quoniam diuinior extans,
Dignus es ipse habitus mensis accumbere Diuûm,
Dignus eris cui nos votum immortale sacremus,
Et quem fama sonans repetat constantiùs omnes
Per numeros, cunctis moueas vt plectra Poëtis,
Dum vada thunnus amat, ludénsue per æquora saltu
Lasciuo pandus iactat sua corpora delphin.
Plura loqui nequeo: singultibus interceptos
Tempus adest parcente stylo requiescere versus.
Musa nouas postquàm pulmonibus hauserit auras,
Rursus ad inceptum mea se feret excita carmen.

LIBRI SECVNDI FINIS.

DE REP. ANGLORVM INSTAVRANDA,

Liber Tertius.



Vòd pelago fragilem vasto cōmittere cymbā
Ausus ego, medijs lassus nūc iacter in vndis,
Respiciens iter emensum, quæsitáque longè
Littora, vix oculis aduersa ex parte nigrātes
Contendens acie videam producere colles,
Angor inops animi. Tantum superasse laboris
Hactenus, auspicibus patrijs Dijs, & pede fausto.
Fortasse est aliquid quo spes se proferat vltrà,
Spes tenuis, paruóque licet concredita filo:
Quæ posito audacis paulùm conamine cœpti,
Aëra, & immensum circumspicit vndique pontum,
Et tantum superesse viæ tristata, profundam
Segnitiem stupidis paulatim obrepere neruis
Sentit, vt abiecto cupiat discedere remo,
Immemor inceptíque operis, laudísque, sacríque
Officij, quo me patriæ religauit imago
Illa meis miseranda oculis obiecta per vmbras.
Sed pudor, & pietas, & nescio quis furor imis
Sensibus, & validè possesso pectore serpens
Spem recreant, magnísque iubent insistere cœptis:
Et superata monent post prima exordia, quantum
Dimidio propior tota de mole reuulsi:
Ostendúntque ipsos portus, terrámque cupitam,
Substernúntque vndas faciles, cymbámque benignis

Iutantes dextris, pronam per cærula pellunt.
Illa volat, finditque datum fidentiùs æquor.
Ergò iterùm Ioue creta meos Astræa labores
Aspice lætanti, quo pacas cætera, vultu.
Túque vrbane potens contractibus, æquore verso
Cylleni, ignotis merces qui sistis ab oris,
Informásque manus operi, reserásque tabernas
Artificum, varióque doces incumbere lucro:
Túque Pales: túque alma Ceres: pia numina ruris:
Et tu magne Pater custos maris Ennosigae,
Cui transtra, & classes, ventosa & carbasa curæ:
Túque etiam armipotens, patriæ in tutamen Athena,
Quæ robur conferre soles, vim ciuibus addens
Vnanimem: túque ô melioris maxime sæcli
Rector falce potens, quo sub mortalia frugi
Pectora concessis tendebant finibus, omni
Ingluuie, & luxu, & vetitis procul ornamentis:
Túque Venus, cœlo genus antiquissima ducens,
Et casta, & pueri genitrix velata pudici,
Maturas quæ in vincla nurus, pactósque Hymenæos,
Cunctantes, nondúmque oblitas iura Dianæ,
Spémque metúmque inter sacris genialibus addis,
Vos (inquam) hijs oro faciles, & fronte serenos
Aspirare pia modulatis mente Camænis.
Si purum, & patriæ collatum sponte profundo
Officium, neque laudis hians, neque præmia captans,
Multorum ast odijs caput hoc non inscius obdens,
Augiæ stabulum coner peruerrere ab imo:
Vt benè purgati nobis Respublica fundi
Pignora, iam melior delecto ex semine reddat.
Nunc, istos vrbana modos, & rustica pubes
Hauriat, & populi triuialis turba minuti.
Quam postquàm imperio meliorum viuere pronam
Sors tulit, & nutu sanxit rex Iupiter illo,

Quo statuit mundo æternas in fœdera leges?
Vnde suis diuersa locis elementa quiescunt
Lite procul, pulchrè discordi iuncta ligaclo,
Dignum erit vt gratis animis sua munera læti
Procurent: concessa vt quum statione manentes
Expediunt gnauas operas ciuilibus vltrò
Officijs, tum si Fortunæ æquata voluntas
Condiat hæc animi contenti cuncta sapore,
Nil erit vt quicquam vlteriùs plebeia classis
Suspiret, neque discupiat tractare negata.
Eia ergò fortunatos, bona si sua norint
O nimiùm, hos tenui sensu, tenuíque cerebro
Agricolas, fabros, fullones, istáque vulgi
Agmina, Musarum sacris exclusa: profundas
Quæ nec concipiunt, nec voluunt pectore curas,
Ingenio facili pœnarum oblita, metúque
Liberiora mali longè impendentis, & alto
Quæ tradunt placidè stertentia membra sopori,
Synceróque magis degustant gaudia fructu,
Quàm quibus omne bonum curis corrumpitur imis,
Et lepor, & risus, præstructo in pectore acescunt.
Scilicèt ingenuus candor, natiuáque vulgo
Simplicitas, vitæ fines tetigisse beatæ
Dat propiùs, quàm qui tanto molimine doctis
Rixantes satagunt libris hausisse magistros.
Horum etenim barbis si credimus, omne beatum
Rarum erit, & multo nactum non absque labore.
Obuia plebeis passim, & concessa voluptas
Illa erit, exiguo quæ sæpè parabilis ære
Nil vltrà cupienti, animum perfundet ouantem
Delicijs, quales nec Crœsi regia sensit,
Nec tua, qui Siculas tantis terroribus vrbes
Exagitans, gladij exemplo pendentis equino
Crine, admoti epulis suprà caput assentantis,

Gaudia ſolliciti damnabas falſa tyranni.
Et meritò: nam quum ſapientis nôſſe futurum eſt,
Angor item creſcat, quantum ipſa ſcientia creſcit,
Conueniens animo eſt, qui viſa fugacia captans
Vlteriora petit, nactis nec ſuſtinet vti.
Quod quum reuerà nulla eſt ſyncera voluptas
Hic hominum, falſóſque iuuat lepidiſſimus error
Conuiuas, congerrones, vnctóſque ſodales,
Qui benè curata ducunt cute molliter æuum,
Quis non pallidulis hos præferat vſque ſophiſtis?
Poſtquàm animo hij viuunt placido, placidíſque fruuntur
Siue bonis, ſeu tantundem quod præbeat vſus,
Mentibus hoc ipſo contentis? plurimus illos
Parte alia dolor indignans corrodit, & atra
Bile facit vitæ ſuauiſſima tempora triſtes
Exigere, atque alijs, quin & ſibi ſemper iniquos,
Cogit ab effuſo in ludos migrare theatro.
Quare iſtis, vos ô faciles tunicata iuuentus,
Vrbica plebs etiam craſſa benè tecta lacerna,
Si ſapitis, vel non ſapitis: (quod iuſtiùs optem
Hijs quicunque leues fallunt genialiter horas)
Admoneo vt tetricas curas, munúſque regendi,
Et ſophiam veſtris non aptam luſibus, vltrò
Linquatis: totas ſecuri vt ſtertere noctes
Malitis potiùs, ſtudio quàm diſpare tacti
Vobíſque, nautíſque graues, damnóque carinæ
Iactatæ, vetito nequicquàm incumbere clauo.
Nam licèt in tota naui præſtantius ipſo
Naucleri officio nihil eſt, meritóque foueri
Dignus erit, qui plus cunctis deſudat, honore,
Vnde alijs animo ingrato per inertia corda
Liuor edax bullit, non rem, ſed præmia ſpectans:
Attamen æquatum cunctis qui voluere finem
Mente poteſt vna vectis per cærula priſti,

Scilicèt

Scilicet incolumi portus tetigisse cupitos
Nauigio, & Diuis soluisse in littore vota,
Iam tantum accedit naucleri ex munere fructus
Hijs, quibus iniunctum fuerat tractâsse rudentes,
Aut validis vnctam remis propellere puppim,
Seu dare vela notis, sentinæ aut sistier ipsi,
Quàm qui alios seruans, opera seruatur eadem.
Vna salus cunctis diuerso ex ordine pendet:
Nec magis hic saluus, qui primo munere præstat,
Quàm qui postremi vilem sese ordinis infert.
Quod si ita sit: rursus consultum ciuibus optans,
Admoneo, vt quo quemque loco sors condidit, illo
Perstet, & ingenuo patriæ se pectore sistat
Compositum, neque vesano nouitatis amore
Misceat ille suos alienis partibus ausus:
Quin patrias artes primis quas extulit annis
Percolat, & canos exerceat vsque senectæ.
Sic etenim cui nil melius mens culta recludit,
Gnauitèr expediet concessæ munia vitæ:
Fallet & adiuncto partim sua tædia cantu,
Partim alijs mixtus sociato cuncta labore
Condiet, vt quiduis mollescat tritius vsu.
Præcipuè si non aliud sub pectore verset,
Quàm quod agit: duráque manus obducere callo
Pulchrius esse putet, quàm culti verba palati
Effutire suis malint qui sibila bobus.
Mente etenim postquàm, connexo & corpore constet
Omnis homo, iubet hæc longè sublimior, illud
Iussa facit: quòd si studio malè dispare bina hæc
In diuersa ruant, opus absoluisse cupitum
Tum dabitur, quando Musis & Apolline læuis
Rauca queat coccyx philomelam vincere cantu.
Quare etiam pronos animos afferre decorum est,
Prona ministerio vt desudent corpora iuncto.

Tum quoque ni ſuetis manibus meditata retractet
Quiſquis is eſt, operis quicquam qui ceperit, & ſe,
Multa priùs voluens animo, diiudicet, illi
An par, vel primo exiſtat tyrocinio impar?
Nil agit: & ſaxum repetito Siſyphus vrget
Iactura patriæ vano molimine læſæ.
At neque ſic etiam completo munere quicquam
Perficiet conſtans, omnique ex parte rotundum,
Ni quando, & quo quidque loco, quóque ordine fiat,
Præcipua penſet ſolers induſtria cura.
Ordine nam toto naturæ in corpore nil eſt
Admirabilius: varios animantibus vſus
Quòd tribuens, fini ſimul inſtrumenta petito
Appropriet, pinnas ſquammoſis piſcibus addens,
Et volucri pictas, ſulcet quibus aëra, pennas,
Tum tardo in ſolidos componitur vngula greſſus
Quadrupedi, & tractu ſinuoſo reptile prodit.
Parte alia hic lóngo effodiens ſua prandia roſtro,
Lumbricos captat miſeros, aut denique luſi
Grana recens terræ furatur iacta coloni.
Hic pando tacitis ſinuoſa per æquora rictu
Piſciculis, prædo ſecreta cubilia turbat.
Hic vnco pauidas præceps agit ore columbas,
Dentibus hic melior, hic curuis vnguibus atrox,
Hic pedibus fidens ipſos præuertere ventos.
Quiſque ſuas noſcit naturæ ex ſemine vires,
Inſiſtítque ſuis, ſi vis ſeſe offerat, armis,
Tam certo, vt pedibus melior non explicet alas:
Cornua nec frendens protendat vulnificus ſus:
Nec ſua calce vnquàm defendant pignora tigres.
Quocircà, atque homines ſua munera nôſſe decorum eſt:
Quid valeant, & quo valeant, quin & quibus oris?
Ne medias, armis melior campeſtribus, vrbes
Occupet, aut pagos inuertant pharmacopolæ.

Nam

Nam quæ Mercurio collegia lucripotenti
Dedita contractus nummi exercere dolosi
Arbitrio, variásque solent exponere merces
Ambigua pro more fide, precióque bilingui:
Prætereà digitis artes tractare minutas
Qui leuibus pergunt, quarum pars iure refertur
Maxima ad ingenium, minimam vis corporis ædat,
Siue Myron sculpat, seu pingat diues Apelles:
Siue parum fidus varias compingere vestes
Instet acu sartor, nec segmina reddere curet:
Hinc cerdo, & phrygio, quique vncta dona Mineruæ
Sollicitat, radio lanam cogente sequacem:
Tum qui Dædaleo deformat munere tignos,
Siue tuis furuos sistat fornacibus artus
Mulciber, ah Cypriæ diuæ congressibus impar:
Parte alia ventris manus ingeniosa magistri
Fartores, lanij, pistor, cetarius, auceps,
Et caupo, & madidæ impurus pincerna tabernæ,
(Si tamen huic benè morata locus vllus in vrbe est)
Atque vno vt verbo expediam, quibus vrbica menti
Munera sunt, aliquo stilbontis sydere tincta,
Mœnibus hos omnes patulas inferre tabernas,
Lex esto: vt multa versatos luce, propinqui
Ne peccent, reuocet non parcens virga magistri.
Quippè leues citiùs volucer non colligit auras
Nisus, vbi aëriam videt intra nubila cirim,
Nec prius adiunctam versutus polypus oram
Induit arbitrio mutatæ pellis in horas,
Quàm genus hoc hominum solers, & mobile, prono
In vetitum studio, fallendi mille figuras
Inueniat: tantas fœcundo pectore technas,
Exculditque dolos, vt & ipsos prodere lucri
Non dubitet minima spe promergente parentes.
Qualis in Arcadicis prognate caducifer oris,

Tute vafer, rides periuria vafra clientum.
Ergò etiam plebs hæc mutandis improba rebus
Incumbit, nouitate ruens, nec gnaua seueræ
Integros operæ perfert occumbere soles:
Quin cauponanti instaurat creberrima cœtu
Symposia, & vetitos lusus, feriata profesto:
Vnde fluit fallax fluxi sartura laboris
In clandestinos pacto resoluta susurros,
Dimidium vt vendant precio maiore, ferebat
Quàm toto pridèm iustus valor: atque ità falso
Sæpè solent putridas expromere nomine merces
Ignaro, & pura mercanti mente colono.
Quem si oculis coram Archontis versuta propago
Fallere non dubitet: quid syluas inter & agros
Audeat? arcanas nullo censore latebras
Excutiente doli? campis decurrere apertis.
Si queat vrbanæ manus insidiosa sequelæ?
Rectè igitur claustris, & cincta per oppida plebs hæc
Cerea subiectas censori exerceat artes:
Vt quantò ingenio fraudi procliuior extat,
Hòc magè ne possit, cupiens fortassè, cauendum est.
Nec falcem petulans alienæ immittere messi,
Quando aliam atque aliam professò duplicat artem,
Ille vnus, teneris (vt pridem diximus) annis,
Assidua versare manu qui debuit vnam,
Ducat vt exactum constantèr circinus orbem
Ad proprium, nullo deflectens tramite punctum.
Sic etenim varijs pollens respublica, cunctos
Egregiq; fundet diuersæ sortis alumnos,
Perfectósq; sua, quam tractant, arte magistros.
Omnibus vt pateat quærendi formula victus,
Qui quantum satis est, & censu stet mediocri,
Ne nimium capiat Crassus, vix eruat Irus
Esuriens ternos in prandia curta lupinos:

Sed

Sed sua fraternis animis commercia pensent,
Alter egens opera alterius, ne solus ad omne
Sufficiat, quin sit quo præstent mutua ciues
Officia: vtilitas charos sic reddet vtrinque,
Diuersique omnes referent sua munia ad vnum:
Quilibet vt culta ciuis sic dicat in vrbe,
Tecum ego, nec sine te tantillum viuere possum
Vir Deus (ecce) viro, quoniam conuenimus omnes.
Quòd, duo quum rebus ciues studuisse nouandis
Plebeios faciant, hinc alta, & turpis egestas,
Hinc opulenta, ferox nimio fortuna popelli,
Quô quis ab extremis medio se iunctiùs infert,
Hoc magis hos statuet fidos, iussiq; sequaces:
Et quod præcipuum est, constantes semper eisdem
Propositis, vt nemo vicem mutâsse receptam
Concupiat, partis ni quis iactantior æquo
Diuitijs, posthâc triplicato nomine gaudens,
Se ferat antiquis subitò natalibus ortum:
Deque via populum latè discedere cogat.
Nam genus, & quid non, rex regum fulgidus adfert
Plutus in ærata, larium vice, conditus arca?
Mira canam: sed vera canam: speremus amantes
Quidlibet, hic ille est, à quo Venus aurea dicta est:
Cuique suos imber famosus debet amores,
Quem medium inter se reges statuisse laborent,
Cognatúmque atauis agnoscant altiùs ipsis,
Cui proceres, caniq; assurgant ordine patres,
Cuique genu flexo meditetur vota popellus.
Et miramur adhûc numen per tela, per ignes
Tam præsens, tam præcipuum si quæritur? hîc nunc
Si cubito tundens quisquam me interroget, heus tu
Quando nobilium nihil est quo fata virorum
Miremur (lapsis namque hoc concedere sæclis
Inuidia ipsa volet, meritorum & opinio prisca)

Quî fit, vt hos etiam nulla virtute refultos,
Vix benè litterulas qui noſcant ordine primas,
Atque alios hebetis ſenſus, tum naris obeſæ,
Plutus iners faciat titulis illudere claris?
Neſcio: ni ſorti quòd ſic placet instituenti:
Si Fortuna volet, fies: ſi non volet, adduc
Et Muſas, Charitéſque ſuper, glaucâmque Mineruam:
Iam rota Pallanti currit: tu ſumme ſophorum
Exi aliò formande luto, fortaſſe matella.
Ergò Hera non alia penſat ſua munera lance:
Cæcáq; tam certo ſemper pede prouehit imo
Ingenia haud dignanda loco, ni cæcior ille,
Claudus item, ſolo rectis præceſſerit auro.
Ah quia nam toties licuit, totiéſq; licebit
Hoc etiam clarere modo: ſtant fata ſiniſtrè
Et ſua diuitibus ſolo ſurgentia cenſu,
Vt neque nunc cultæ citius facundiæ linguæ,
Nec ducis ars caſtris toties Mauortia tendens,
Mille ferat decies præſtantis iugera fundi,
Quàm diues, ſacro qui tranſigit omnia nummo.
Ipſi etiam generi, & virtuti pondere certant
Tam propendentis ſeſe præponere lancis.
At neque poßibile eſt omnes ſeſtertia Craßi
Nominibus cumulare nouis: nec publica poſcet
Vtilitas, nimio ſe quiſquam vt venditet vnus:
Sed benè quum partes diffunditur in mediocres
Irrigua in numeros ſolata pecunia ciues:
Non quantum ſitiant, ſed quantum æquabile dictet.
Quod ſi ita ſit: nunc hoc quærendum æquabile cunctis
Autumo, fælicis patriæ qui mœnia ciues
Conſtituunt: ſi non latum vt ſeruetur ad vnguem,
(Hoc etenim optantûm eſt: genus, aut doctrina, vel artes
Induperatoris, quum quid ſpectabile ſemper
Vltra plebeium ſapiant, meritóq; repoſcant)

At ſaltem claſſes inter fortuna minores
Vt ſua cancellis mediocribus anguſtetur,
Vltra quos, citráq; nequit commune beatum
Ciuibus æquales æqualibus addere partes.
Ergò alicui mediocre bonum, mediocribus aptè
Diſpoſitum ſi forte placet, verùm ardua raro
Tum via, tum medio modus ignoratur habendo:
Accipe, fatidico cecinit quæ carmine quondam
Alma Themis: Phœbus dictantis cepit ab ore.
Ille Iouis cerebro natalia ritè ſecundus
Vendicet, ætheræ ſtirpis certiſſima proles,
Quem præſtans animi vigor, vnum è millibus, vltrò
Extulerit regem populo per libera vota.
Tales terra recens, nec adhûc conſperſa cruore,
Deucalionæi vidit poſt tempora fluctus,
Gentibus admiſſum ſortitò implentibus orbem.
Hinc Æſymnetæ veteres heroibus æquas
Prælati meruere à gratis ciuibus aras.
Quum vaga non vllo turba ante coërcita vinclo,
Iura viro ſtatuente bono, cui Iuppiter ipſe
Prodidit appoſitis feritatem flectere habenis,
Paulatim vitæ ciuilis commoda ab vſu
Agnouit: legéſq; Deorum inuenta, datorémq;
Vltra ſydereos prouexit laudibus orbes.
Multa modis ſed quum genitor variantia multis,
Mundi opifex, mira rerum compage creârit,
Nec ſi exempla petas, ſupereſt quibus ille petendis,
Vnum aliquod cunctis plenè quadrare videbis,
Te ſi fortè ducem populo reſponſa Deorum
Ignoto iubeant firmare in littore ſedes,
Inductóq; recens deſcribere iura colono,
Ante nouis teneram quàm cingas mœnibus vrbem,
Imprimis natura ſoli quæ polleat æquum eſt
Solerti verſare animo: & proponere in vſum

Surgentis populi, mores plærunque futuros
Qui solet ad genitricis humi componere sortem.
Nempè exhausta siti, dulcésq; orbata liquores
Squalleat inculta macie si saxea tellus,
Vix vllos decies repetita reponere fructus
Quæ soleat, sterilis plus æquo larga genistæ,
Nil opus hîc rigidis ciues sub legibus arcto
Vt detrectantes pœna exposuisse labori,
Sponte sua stimulos duris in rebus egestas,
Et feret ingenij largitor ad inuia venter.
At tibi frugiferi multa pinguedine campi
Sic vbi luxuriant, quò peste nocentior omni
Lenta quies, cunctis resecentur & otia dextris,
Tunc vigil adstricta resupinos compede cinge,
Inuitósq; instans multo sub puluere dura:
Ne bona segnitie torpentia dona parentis
Omniparæ, lateant vix quarta ex parte regesta.
Quando opus omne fugit mens vltrò ignaua, necesse
Si tollas, vario inuento quod inane resarcit.
Materiam ergò operæ ne quis sibi defore dictet,
Causandóque bonas pigrè præterlegat horas,
Vnum hoc pro cunctis, tanquàm Iouis indice scriptum
Conde memor pronæ mentis penetralibus imis.
Scilicèt, vt semper tibi sit respublica vendax,
At nullius emax, quantum non cogit egestas
Vltima, succumbénsque tuo labor irritus agro.
Hoc si gnaua boni priuatim cura coloni
Intra septa domus paruæ, pro reque minuta
Obseruet, nec te componere maxima paruis
Pœniteat: domui atque vrbi nam semina ab vno
Fonte fluunt, paribúsque vigent rationibus ambæ.
Ergò tuis si quid fieri, aut progignier oris
Cura vlla insudante potest: exotica faxis
Ignauo populo ne merx aliunde ministret;

Neue

Neue lucro incumbens, dum per maria omnia currit
Mercator, molli ex Asia mala semina luxus
Inuehat, & patrios corrumpat inertia mores,
Ridendo gentis probro, atque errore supinæ:
Stulta sub immani precio quæ noxia mercans,
Ipsa suis manibus poterat meliora parâsse,
Inuentísque suos ijsdem ditâsse, malignam
Ferre famem propria qui sic torpedine pergunt.
Vnde fit incultis passim tot millia campis
Erronum lacera chœnici insidere veste.
Hæc Themis: excipiens cithara formosus Apollo
Aurata, attonitis Heliconis vertice Musis
Reddidit: illæ alnos teneras, lauróśque fideli
Cortice, venturis insculptos prodere versus,
Dignum opus Aonidum cura statuere sororum.
Quòd si tanta subit cœlestia numina gnauæ
Cura operæ, innocuo callosa vt palma labori
Sueta suos habuisse deos libamine pingui
Forte queat citiùs, molli quàm dextera pulpa,
Quantumuis tenuem spolians sibi dactylothecam
Dura nimis pulset ficto sua pectora pugno,
Ingeminánsque aris Arabum superaddat odores:
Vos, quibus hæc Diuûm genitor dedit atq; hominum rex,
Sceptra ebore atque auro, dextris insignia ferre,
Admoneo vetitos per inertia tempora cœtus,
Otiáque vrbani nequissima plectere vulgi.
Ausim etenim, spondente Deo, qui pectore dictans
Hæc iubet (agnosco lauros, citharásque sonantes
Phœbe tuas) magnum hoc fida promittere voce:
Perfida sollicitis rarò subrepere dextris
Consilia: opposita quum semper fluctuet arte
Turba leuis, quæ si longam feriata quietem
Induerit, circumspiciens, ac freta susurris,
Rursus ad ingenium rediet compage soluta:

Facta infecta volens: mutatóque ordine rerum,
Spes animo immensas conuoluet cœca furenti.
Haud secus ac longo iamdudum carcere septus,
Si semel euasit stabulis, iam proxima cernens
Planicie ingenti sese diffundere prata,
Raptus amore loci, tactúsque virentibus herbis,
Exultim festinet eò se immittere equinus
Quadrupedante gradu pullus, mox immemor altis
Terga toris teneri det graminis, inde volutus
Exurgat, iactánsque comas, hinnitibus omnem
Aëra, vocales præterlabentis & oras
Fluminis, obiectu quà plurima densat arundo,
Sollicitétque ipsas, non muta cacumina, syluas:
Tanta sub insuetis bacchata licentia feruet
Pectoribus, longo vix castiganda labore,
Crebra licèt domino manus inclamante ruentem
Accurrens cohibere velit, prensámque priori
Reddere, quo ruptis loris aufugit, equili.
Quarè opus, & vacuas labor vt detondeat horas,
Sanum est: successus lætans hominésque deósque,
Arguerit, quantum fœlix industria præstat.
Sed neque dispositos nostro tot littore portus
Quum videam, fœtis & passim vberrima campis
Pignora, tam raras per dotes fertilis agri
Liuidus hic toto commercia mutua tractu
Arcuerim, nullam nec mercatoribus ansam
Præbuerim licita demum ditescere merce.
Quidlibet exportent nostra regione redundans,
Quo sine se potterit nutrisse domestica pubes.
Astra leuis citiùs sibi nulla queretur Olympus,
Verque suum volucres fugient, syluásque comantes:
Anglia quàm varios operosa refundere fructus,
Vndique vicinis & opes desuescat egenis.
Ergò suas semper nauis centesima merces

Euehat,

Euehat, at minimum decima vix puppe reportet
Tale, quod in proprijs nullus labor excitet agris,
Nec similare queat multa manus æmula cura.
Hic finis panda sulcandi ignota carina
AEquora lucripetis si mercatoribus instet,
(Pace tua liceat Cylleni expromere verum)
Ars dabit artifices nostris numerosior oris,
Viuere concessæ laudatos pignore vitæ.
Ars dabit hæc, quæ nunc mercamur stulti aliunde,
Multiplicata domi vicinis gentibus vltrò
Efferre: vt quantum natura hæc insula præstat,
Tantum etiam exculta reliquis se præferat arte.
Quòd si animo inuigilet vasto mercator aduncæ
Semper auaritiæ, nec publica commoda curet
Posthabuisse lucro, vetitas inducere merces
Nil dubitans, vnúsque malo præuertere multis
Consilio pergat quærendi semina victus,
Proderit actutùm nodosa repagula contrà
Obijcere, & validis turbantem cingere claustris.
Præcipuè, quoniam hic toties per sibila vulgi
Iactatus, nullo merito, sed sordibus ollæ
Euclio confidens, congestóque æris aceruo,
Captat inescatam serpenti fœnore pubem
Patriciam, & nummos tanquàm necis arma ministrans,
Instat obæratam Iano mactare Calendis
Curriculo ingratè redeuntibus, vnde propago
Aut Fabij, aut Syllæ pronepos tener induperantis
Ploret auos frustrà, villis depexus, & agris.
O ciues, ô iura, & fas, patriíque penates,
Ferte manus, pestem hanc laribus diuertite vestris.
Ne liceat, vestræ quod nunquàm proderit vrbi,
Mercurij cautos nummo sponsore clientes
Inuertisse dolo antiquæ patrimonia gentis.
Quisquis enim mercator adhùc, vada cærula sulcans

Mercibus incumbit, versis & fœnore nummis,
Is si pulchra simul grassator prædia captet,
Vrbano pagana manus sua rura danistæ
Exposita vt videat, domino migrante priori,
Non mihi si stabilem promittat Iupiter ipse
Rem fore, quæ longa sensim propagine crescat
Publica, ab hijs sperem intactam seruâsse locustis.
Hinc etenim duplici respublica læsa laborat
Vulnere, quando nouos toties tellure regestos
Admittit dominos, meritis procul, ingenerosam
Qui sobolem patriæ obtrudunt, vt maxima censu
Prædia possideat, non vlla ciuibus arte
Vtilis in summa quam census classe reposcit.
Quando etiam gnatus vestigia trita parentis
Linquit, & extremam inceptis superaddere limam
Dum refugit, falsi captator nominis audet
Degener albentes anser stare inter olores.
Ergò suis semel incipiat si excedere septis
Mercator, quocunque modo possessor agelli
Quamlibèt exigui, prater quos, emerit hortos
Fortè suburbanos, angusto aut limite villam:
Hunc iam Mercurij totis excludere sacris
Lex properet: posthâc loculos, grauidásque tabellas
Nominibus, Iani paries suffixus habeto:
Sic etenim, quæ nunc vsura voracior acri
Sarcophago ciues erodit fœnore triplo
Incautos (solum namque est nunc mutua nomen)
Mitius hoc faciet multo saturata cruore,
Si longæua strues, loculósque æquata, nepoti
Vel decimo surgat, serie transmissa perenni,
Quàm ieiuna cutem quando acriùs vrget hirudo,
Exercens nouitate malam crudeliùs artem.
Præcipuè si non vnus nummatus, & alter,
At plures simul ad puteal proponere mensis

Æmula

AEmula sic pergant, cubito & trudentia Pluti
Pignora, vt hic si fortè neget, propè laxior alter
Admittat: nam (quod quacunque optabile in vrbe est)
Mercator nequiens nummos conuertere adultos
In clari, vetitus tabulis, patrimonia Syllæ,
Dimidio minus exercebit fœnore sordes
Turpis auaritiæ: longéque benignior extans,
Maxima congeries ne frustrà indormiat arcæ
Cana situ, quodcunque lucrum, mediocréque malit
Quàm nullum. Tanti est quandoque sacerrima quæstus
Mancipia hæc, Charitum ingratis dare thura sacello.
Scilicèt impurus, barathrum, laniena, Charybdis,
Sordidus, & quicquid turgenti detonat ore
Decoctrix pubes, & quicquid pulpita clamant,
Prætereà, quicquid legum veneranda potestas,
His ignominiæ aut mulctæ quadruplicat, omne hoc
Tam vitrea pergent callosi temnere fronte,
Támque noua semper pergent eludere larua,
Vt si centum oculis custos Iunonius adstet,
Mille suis etiam foribus Respublica vectes
Obdat, viuaci renouam serpigine labem
Vt semel à totis integrè eliminet oris:
(Crede mihi) lateres æquè lauisse laborent,
Aut Mauros centum thermis albâsse nigrantes.
Quô magis hos zelo potiùs, quàm pectore miror,
Qui toties pergunt expressè fœnora cuncta
Eÿcere: ac si non sapientes tempore prisco,
Queîs vsura vorax, inuiso nomine turpis,
Ac bibulam referens naturam hydropis aquosi,
AEquè displicuit, tandem versatile, & anceps,
Ambiguúmque malum, (postquàm contractibus vsque
Mercurÿ innitens, recti & sub imagine tectum,
Iuge recurrebat) genuino incedere vultu
Malebant, noto & minus altùm rodere dente:

Quàm si pallioli prætenta impuniùs vmbra
Ceu memorem exercens vindictam fortè repulsæ,
Iam triplici miseros degluberet vndique cultro.
Quippe nepos dum non desit, mihi crede, Danista
Non deerit, quacunque resurgat imagine Proteus,
Quem minùs inuenies concessa sorte nocentem,
Quatenùs indulto iuris centesima forsan
(Hæc licèt immodicos fructus producat in annos)
Terminus exosi stet fœnoris vltimus: illud
Quàm si alia insistas frustrà irritare catena:
Vilis, & infamis, tum detestabilis esto
Fœnoris indigni tractator, iure iubente.
Et si fortè datas vltrà se limitis oras
Efferat: immani hunc Prætor pro fœnore mulctet.
Quod superest, linquat Domino Respublica curam
Vindictæ, Stygiam vt reddat pro fœnore pœnam.
Quicquid enim nulla medicus vir tollere cura,
Nec sanare potest, saltem sic obsidet aptis
Emplastris, reliquos vltrà ne tendat in artus,
Quàm vis ipsa mali iam desperata requirit
Consultò omitti: sacrum si tangier vlcus
Respuit, & durè exceptum excandescit in iras
Igniuomas, tetro suffundens membra dolore,
Quid faciat? cultros hic an cauteria promat,
Queîs fœdè miseram pellem dilancinet? altum
Quum caput vlcus edax intra præcordia condens
Sardoum ridet, contráque audentiùs instat?
Nil minus: ergò malum sapiens, quod ferre necesse est,
Hoc satagat condire modo, quo lenius illud,
Et magis affectis fieri tolerabile poßit.
Quippe per obliquum recto te occurrere confert
Impetus, aut numerus, vires si proferat hosti.
Quod magnum est, plures cautus secuisse memento
In partes: vitium sublato fomite, per se

Languescet.

Languefcet. Mores & pectora ciuibus, annis
A teneris, sancto, & frugi si protinus imbuis,
Longus odor tinget plæraque ex parte senectam.
Multa dies adimet, multa ars: quandoque recepta
Tanquàm alio irrepens detrudit opinio clauo.
Tum verò, vt durum est vi niti semper aperta:
Sic vigil oblatam sapiens non respuet ansam.
Scire malum cuiuis facile est, quod prodijt extra:
Difficile est causam primam, fontésque latentes
Eruere, & longa actutùm præscindere falce.
Ergò etiam vrbanæ plebis fœcunda nocenti
Corda dolo, præses fœcundo exporgere contra
Ingenio satagat, plexísque euoluere spiris.
Quod si etiam hîc iusto prolixior, aut minùs acri
Vrbanos videar durus perstringere dente:
Discutite ô ciues qua primùm ex parte vacillans
Incipiat vobis patrius mos nuda vetustæ
Linquere virtutis vestigia, pérque fluentes
Luxu Asiæ calles, ignotáque nomina ferri
Antè voluptatum, quas vrbs infecta refundit
In nemora, & valles, viuóque cubilia saxo,
Montibus hirsutis meliori tempore Diuûm:
Exhalánsque putrem tabenti fauce mephitim
Progreditur, totísque luem superadstruit agris.
Vnde rudes tanta tandem contage subacti
Ruricolæ incipiunt cancrino incedere gressu,
Atque suos iisdem technis superasse magistros.
Et meritò: nam si ficulneus ille Priapus,
Longo vsu, recitantis heri post terga locatus
Hauserat auscultans quædam vocabula Græcè:
Turba potest toties, vrbi congressa tabernis
Rustica versari, soles feriata nouenos,
Vt quum fallaci videat periuria lingua
Versantes, nitido nihilominùs ore subinde

Pulchellos, bene curatos, nec crimine ab ipso
Quos Pater omnipotens adigat mox fulmine ad vmbras,
Audeat ipsa aliquid fallax, non pectore fixum
Promere, iuratis mentiri atque improba verbis.
Tanta priùs puris mala fert vicinia damna:
Præcipuè si quæ reliquis vrbs regia cunctis
Spectato præit exemplo, prior ipsa labandi
Haud secus elatum prætendat pessima signum
Quàm tenebrante Polo, medijper marmora ponti,
Exerit extentas puppis prætoria flammas,
Innumeris longo ductis post ordine proris.
Nam si cana parum valeat reuerentia legum,
Iuris vbi sedes prima est, lectúsque Senatus,
Si medijs (inquam) penetralibus omne profanum
Iura, & fas niueámque fidem, moré sque pudicos
Prostituat, victrixque per intima pergat Erinnys:
Audeat extremis regni pro finibus vllus
Quæsisse ingenui post hâc vestigia recti?
Aut dubitet progressa lues quo littora fato
Vltima, tum vicos viciet, pagósque minores?
Non magis, ac morbus si cor inuaserit, æquum est
Quærere quid doleant venis salientibus artus.
Sed dubitare potest, faciem qui cernit honestam,
Non alto tacitos mores examine pensat,
Quid sit? inexhaustas quum tot videamus echidnas
Vndique cænoso stagnare à pectore ciues,
De pulchro, atque bono tanta grauitate loquentes,
Ac si alius Zeno, præfracti assertor honesti,
Clamosam rigido repararet dogmate Stoäm,
Tam diuersa, simul nodo quod iungat eodem?
Eloquar? an sileam? (dicam repetitor, eodem
Ter fodienda stylo) pepererunt ocia monstrum hoc:
Ocia: quæ Lydo vafrè mandante tyranno
Mileti quondam fortes mollisse colonos,

Et


Et legimus fractè paulatim robora Spartæ
Mascula cum toto trusisse ex vrbe Lycurgo.
Ocia Ericthonios primùm corrumpere ciues
Cœperunt, vbi puluerei neglecta laboris
Cura theatrales mirata est inscia ludos,
Infractósque modos: vbi musica, vt antè, virilis
Displicuit, sensimque lyræ chorda altera creuit.
Tum demùm clypei abiector septemplicis Aiax
Cessit, facundúsque loco successit Vlysses.
Cana situ posthâc humeris exuta ferebat
Arma sacer postis: iacuit non vncta carina:
Classi nullus honos: pro remo tibia pulsa est
Ad numeros: leuis hic socco, grauis ille cothurno
Prodijt, auriti plausu ingeminante popelli.
Hinc tandem argutos pallentis dogma magistri
Detinuit: discente atomos cerdone recuruos,
Et mundos quot non vel centum sæcula viuens
Ille subegisset, cui non suffecerat vnus.
Singula quid memorem? postquàm socordia sensim
Prætulit ingenuo linguæ pigmenta labori,
Et locus est cathedræ datus, hic roboante Lycæo,
*Hic Stoä, hic geminæ ductoribus * Academiæ,* *Ectasis.
Turbáque vel totos istis feriata locabat
Sollicitis soles exactos antè tabernis,
Tunc Pallas damnosa suas euertit Athenas:
Arce datas sedes nam facta profana Pyreum
Transtulit, & muros sese demisit ad imos.
Quòd si fortè alias eadem corrumpat Athenas,
Vsque sui ad vicium Pallas iam prodiga, dictu
Durius est, teneras quàm quod demittere in aures
Tempora lapsa velint: duro sed parcere turpe est
Te, (mea Calliope personam induta seueram)
Quæ constantèr habes calcem tenus vsque tueri.
Ergò nec hic locus est digito pressisse labellum:

Parcite, quos tacitæ mens damnat conscia culpæ.
Quum benè tot dicant, totidem violata repulsis
Nuda iacet probitas, nec summo excepta palato
Vlteriùs penetrare valet. Nunc quisquis ab ouo
Plura potest recti & sancti documenta rotundè
Laudatis proferre libris, & stans pede in vno:
Nil moror an pro re, tercentum adducere versus,
Admirandus erit. Nemo hunc, ni denique prensum
Audeat hinc vlla maculosum dicere noxa,
Aut simulare Deos. Sed quid si sanctulus iste
Mœchatur? poscit poclis maioribus? ardet
Turpis auaritiæ vitio? centesima cui non
Ter satis esse potest? odijs dehinc liuet iniquis?
Siue tumet, vanæ captans præconia famæ?
Consulit in commune nihil? sin consulit, hoc est
Consuluisse suis? satin' huic speciosa loquenti
Pòst etiam credas? Non tute fatebere, dictis
Quàm cauta est adhibenda fides: potiora sequantur
Ni quæ facta Deos mereant producere testes
Pectoris interius puri. Ne crede colori,
Quisquis es, aut tunicis, Damnatur hypocrisis, at non
Omnis in inuiso quærenda est fortè cucullo.
Quarè aliud si facta ferant, quàm verba loquuntur,
Rariùs incautos fallet eos Lydia vita.
Sperne alitèr flores facundi rhetoris: olim
Scimus quò præceps populares duxit Athenas
Concio, vel cuiuis de fæce indulta popelli:
Ceu nihil intersit, num vilis Hyperbolus oret,
An laudatus Aristides: Lacedæmone quondam
Longè aliter: prauus si dixerat opportunè,
Illa eadem post inde probum recitare iubebant
Incani patres, ne quem sua crimina cunctis
Damnatum fecere, probarent auspice lingua.
Sed quid ego hæc nequicquàm iterum in spineta relabor,

Quum

Quum liceat paucis totum hoc absoluere verbis?
Actio virtutis laus est: neque lumina condet
Sub chœnice bonus, sed coràm lucida cunctis
Præferet: obscuras longo sermone per vmbras
Commonstrâsse viam non tantùm proderit, ac si
Dux iter ingrediare, manúque errantibus adsis.
Nec potis est tenerum quisquam informare magister
Vlla alia magis apposita ratione puellum,
Ante oculos quàm si exemplum deduxerit ipsos.
Nempè oculis censura fori plus credere binis,
Quàm bis quinque solet dubiè testantibus actum
Auriculis. Sequimur magnorum exempla Deorum,
Vel quocunque modo, dociles in singula flecti.
Hinc itaque vrbanos hoc saltem nomine taxant
Ruris amatores: culpámque autore leuare
Tam satis esse putant, quàm si sua Sextus adulter
Crimina Olympiaco communia cum Ioue dicat,
Furta sub Arcadici Verres tegat omnia diui
Nomine, damnatas proscriptor Sylla Gradiuo
Attribuat sicas, & iam nunc numina culpæ
Quæque suæ faueant. Tanta est in pessima prono
Labendi desiderio via pansa per omnes
Ætates, sexus, classes, simul vrbis, & agri.

LIBRI TERTII FINIS.



DE REP. ANGLORVM INSTAVRANDA,

Liber Quartus.

NE verò agricolas vnquàm meliorbus almæ
Telluris studijs crassa incubuisse Minerua
Pœniteat, tutæ sectantes munia vitæ:
Quos vrbana procul vix summis pocula labris
Gustantes, quanto propiùs labor improbus vrget,
Assiduísque domat vicibus, per frigora, & æstus,
Nunc te (flaua Ceres) nunc te (Pan magne) cientes
Per virides colles, & pingui pascua succo,
Hòc magis innocua curam probitate Deorum
Custodum, & numen præsens hijs adforè dicas.
Quare aurata licèt donis delubra coruscent
Votiuis, regum, & populorum Delon ad altam,
Aut insignem Ephesum, Tarpeij aut culmina saxi,
Atque coronatis centum aræ stent hecatombis,
Dona ferens tumulis contrà de cespite structis
Rusticus, albentem paruis ab ouilibus agnam,
Spumantísque super fundens libamina lactis,
Fortè Deûm nares puro nidore supinas
Non minus inueniet patulas & vocibus aures,
Quas incomposito simplex sermone profundit,
Quàm præconceptis qui conficit omnia verbis.
Tantus amor ruris cœlestia pectora pulsat.
Quippe nouas segetes, & cultos Dij quoque campos
Inuento voluere suo mortalibus olim

Efferri,

Efferri, Ausonijs monstrator falcifer oris,
Atque Ceres Siculos proscindens spicea sulcos:
Vnà hominúmque pios manibus tractare labores
Diuinis, adeò non illa ætate pigebat
Quæ nomen fuluo fœlix inuenit ab auro:
Vt nymphæ agrestes cœtus, Faunique bicornes,
Et Satyri, & simo titubans Silenus asello,
Semideique alij, quin & discrimine paruo
Dij superi, ingenui mirati pectoris album,
Expeterent: nostrásque habitarent simplicis vsus
Sponte casas, hominúmque simul connubia ferrent.
Ne memorem Heroum curam, quos fortibus artus
Iuuit neruosos aptare ligonibus, atram
Et scrobibus terram egestam circundare plantis.
Stercora nam macris Laërtem inuoluere sulcis
Nil puduit manibus sceptrum quibus extulit, ijsdem.
Nec Cyrum impedijt sua purpura, stirpibus hortos
Conserere, aut platanis inflectere brachia pandis.
Triptolemum proprijs Cererem lactâsse receptum est
Vberibus: vectóque etiam per inane dedisse
Et bigas moderare sacras, anguésque iugales.
Pastor erat Veneri tantum dilectus Adonis:
Pastor erat, cui se frondosæ in vallibus Idæ
Veste deæ posita spectantibus ante dedere,
Quàm Paris alta vdis laquearia prætulit antris.
Denique, si veterum euoluas monumenta virorum,
Ruris amatores Superos, agrestia sæpè
Agmina, rarò vrbes, operoso aut marmore tecta
Hospitio calcâsse leges: infesta colubri
Consilia infaustos postquàm mortalibus astus
Indiderant, iustúmque odium meruere Deorum.
Ergò piæ præstant postquàm duo lumina vitæ,
Æquatóque vigent per rura Britanna decoro,
Hinc bonus agricola, hinc pastor, cui fistula buccas

Sæpe rudes inflat, stridenti facta cicuta,
Nesciat ancipiti vt dubius discrimine censor,
Nostra pedo, magis an committat prædia aratro,
Quæ benè culta, ferunt vena tam diuite fruges,
Quæ neglecta, nouis surgunt tam pinguitèr herbis,
Et docili vsque adeò depromunt munere vtrunque.
Hîc ego quum magnæ admirer decora alta parentis,
Ornatámque velim parili procedere honore,
Dispositum tamen, & digestos fortè requiram
Ordine stare alio diuersa ad munia fundos:
Pastor vt accliues quærens in pabula colles,
Linquat aratori campos pro iure colono.
Quantò etenim Cereri decedere Pana decorum est
Capripedem, Iouis & lecto, & Ioue fratre superbæ:
Quanto etiam victus vestitu antiquior extat,
Hôc, lanis segetes, quantumuis mollibus, æquum est
Præponi: vt potior nobis sit tergore venter.
Quòd si quis pecoris laudato nomine vellus
Prædicet, erepta cunctis regionibus hisce
Temporibus palma, quod nostris crebriùs oris,
Mittitur audaci peregrina ad littora puppi:
Vnde etiam totis mites immittere campis
Autor oues iubeat, quo diuite merce beatus
Mercator, vasto rediens nos implicet orbi
Mercibus ignotis, modiósque tot imputet auri
Quos fortunante ob pannos Stilbonte repensat:
Hæc speciosa licèt pecoris ditissimus albi
Possessor triuijs declamitet ore rotundo,
Vincat amor patriæ: nec me reuerentia veri
Hîc siluisse sinet: nostris placidissima passim
Quum niuis instar, agris effusa animalia, cernam
(Heu facinus) patrijs expellere sedibus, almæ
Innocuos Cereris, destructa pube, ministros.
Vsque adeò, vt quà mille aris Dea flaua resectas

Primitias

Primitias ſegetis votiuæ ferre ſolebat,
Quáq; caſis olim tendebat mille colonus,
Nunc rarus tria vix paſtor magalia figat,
Pro grauidis pecudum oſtendens veſtigia culmis,
Quoſque alto induxit deſuetos gramine ſulcos.
Hanc verò cultis tantam quis rebitur aruis
Vaſtitiem, pecoris curam progignere poſſe
Peruerſam? & læuo ſurgentes omine caulas?
Scilicèt: an tanti eſt lucri ſacer ardor, vt excors
Bruta ſuis diues malit conſortia campis,
Et campos vbi pagus erat, quàm fida virorum
Pectora multiplici patriæ magis apta lacerto?
Nec ſua deſertos quum cernit ouilia fundos
Tot circum lato depaſci limite, ſyluis
Stirpitùs exciſis, inhoneſto vulnere trunci,
Quumque ſuis Faunos lucis, Dryadéſque puellas
Exigit, atque (ô dij) violato iure penatum,
Antiquos migrare lares, lariúmque clientes
Quum iubet, euertique focos, aráſque reuelli,
Solus vt expoſitis paſtor ſuperincubet aruis,
Non aliquo tandem ſentit ſua pectora tangi
Commiſſi ſtimulo infandi? & ſeptemplicis horret
Vltrices Furias, penſuras ſtigmata pœnæ?
At neque ſi duros patriæ reuerentia ſenſus
Nec Superum, quæ lenta ſubit, vindicta remordet:
Cura tamen proprij poterit mouiſſe pericli:
Solus vbi in vaſtis videt incomitatior aruis
Nil præter pecudes, & ſola armenta relinqui.
Ecce ruit, ſecúmque lares, inimicáque ruris
Numina (nam proprijs expulſa è ſedibus) altum
Barbarus excidium minitans, in prælia ducit.
Quid faciat? quos imploret? quo milite fiſus
Audeat hic pecorum tantus dux tendere contrà?
Armet oues (credo) multum latrante lyciſca?

O ſpes inſanas hominum, ſecuráq; feri
Pectora: non vnquàm dabitur cauiſſe futurum,
Ni deplorato auxilio præſentius inſtet?
Quippe (reor) grauibus fax hæc non ante querelis
Materiam præuiſa dedit, conſulta fatigans
Publica: quando nouis toties obnoxia ſcitis
Incaſsùm vafro excepit tot fulmina tergo,
Eludens tabuláſq; ſacras, hominéſque, Deóſque?
Scilicèt (aſt alio poſt iſtud carmine dicam
Vberiùs:) nihil eſt immenſa volumina legum
Condere: ni Prætor legis latus, ipſe ſatelles
Armatus gladio cingat, virgíſq; ſeueris.
Quod ne ſic etiam ſi proficit: (ilicet omni
Omnia non morbo ſemper medicamina proſunt)
Vela vltrò vertenda ſibi, mutandáq; nôrit
Conſilia, atque alia portum ratione ſequendum.
Quarè ego, ſi quid id eſt, valdè opportuna locuto
Quod ſapiens quandoque olitori accedere, dempta
Fronte ſolet, modulo mediocris pro cerebelli
Nunc patriæ reſerare pio conamine tactus
Inſtitui: faueant mollitis auribus (oro)
Quos penes arbitrium eſt populum rexiſſe Britannum.
Diſplicet (vt video) neglectis plurima campis
Vaſticies, profugo iamdudum inducta colono.
Diſplicet innumero grege tam bona prædia paſtor
Inuertens, adeò pecudes nocet eſſe frequentes,
Et miſerè donis proprijs (quis credat?) auari
Perdimur, & tanquàm proprio proſternimur enſe.
Innumeris damna hæc taxantur legibus: oro,
Quid cauſæ eſt, toties diruptis callida vinclis
Ingenia elabi quod cernas, iure ſilente?
Quid? niſi diuerſis contraria frontibus, in ſe
Quod tendas ſubiecto vnà committere eodem?
Ius eſto proprio (lex antiquiſsima dicit)

Vt proprio fungi: fungar, quóque ordine fundus
Iste meus poterit plus ædere, sedulus illi
Incumbam, minimo vel differat (ecce) triente.
Nemo etenim maius cernens, minus eliget vltrò:
Nec poterit cultis quicquam lucrosius agris
Constitui, agrorum fructu pro iure fruenti.
Ast alia surgit lex parte recentior, omne
Decernens patrios frumentum cedere in vsus,
Nilque extrà proprias quoquam diuendier oras.
Parte alia precium nonnunquàm imponitur ipsi
Inuito domino segeti, & submittitur hastæ.
Tum super ingeminans lex altera, cogit aratro
Vt postliminio dudum desueta reuerti
Prædia: & hoc satagit Cererem sarcire repaglo.
Intereà Nummus mercis transactor, iniquo
Eludit precio, longè diuersus ab illo
Quod tulerant, quando lex primùm (fortè) rogata est,
Maiores, proauíque. Quid hoc? nunc hæreo pendens:
Si nequeo inuisæ legi concurrere apertè,
At dabitur lusisse dolo, atque euertere technis.
Multa negans, quæ facta iuuant, tenebrantibus vmbris
Obducam, atque alia persona tectior, alter
Ille ego vel toties pulsus tamen vsque recurram.
Certum est constantèr Diuo, meque & mea Pluto
Exposuisse, Ioui quantumuis tela trisulca
Ætnæi fratres furuo meditentur in antro.
Nempè, foret quiddam certè tolerabile, paruo
Durior afficeret si lex mea commoda damno:
Nunc verò: at præstat vanas compescere voces,
Efficiam, qui sim, res vsu dictitet ipsa.
Sic tandem tacitas fœcundo pectore fraudes
Conuocat: est aliquid socios habuisse pericli,
Quum simul innumeros vno pessundaret ictu
Pœna reos, Censor si summo iure agat acer:

At quoniam lex ipſa alienis mentibus inſtat,
Quum peccent multi, & primores diuite cenſu,
Tum (quod præcipuum eſt) delator tempore noſtro
Omnibus infamis, velut olim, & vilis habetur:
Nam nemo (Veneta quod factum cernimus vrbe)
Officij pro iure ſalaria publica ſumens
Accuſator adeſt, qui cauſam pauperis armet:
Deinde adeò pauci communem ſic agitent rem,
Vt propriam, nemo & gratis fortunam alienam
Impetat, ille prior ſi nullo vulnere læſit:
At læſi reuerà, & quos iniuria tangit,
Cenſu inopes, miſeri, abiectique, obnoxia claudunt
Ora metu, dominóque cauent inferre potenti
Imbellem, & mutam, ſi non ſphinx aurea dicam
Cauſidicis fuluo commendet tergore ſurdis.
Hinc reor, has toties, tam bruto fulmine leges
Marmoribus figi: tanquàm dixiſſe minantèr
Sat fuerit, vario contrà tendentibus auſu.
Quanto rectius hoc? animos duxiſſe volentes?
Quando alios nemo cupiat ſua prædia in vſus
Vertere, quàm ſtatuit lex ipſa, & comprobat omnes
Vtilitas mater noſtros quæ dirigit actus?
Effice, plus mica lucri depromat arator
Fruge beans, quàm nixa pedo qui paſcua præfert
Tityrus, & toto conuerſos ſpondeo rure
Argicolas: adeò, vt mutato munere, paſtor
Ipſe ſuas pecudes proſciſſo nutriat aruo,
Veruactique ferat paſci ſurgentibus herbis.
At neque ſic etiam numeroſi velleris amplas
Spes, Cereris nimio caſſas lugebimus vſu:
Immo equidem paruis dabitur ſub ouilibus (omnis
Si gregis exigui curam pro parte tuetur
Cultor agri) vt numero totidem gens tota bidentes
Vſque habeat, damnum ad paucos pertingat auaros,

Qui nimis indoctè hoc ipso funguntur auaro,
Postquàm alio possent fundos molimine eosdem
Maiori exposuisse lucro, & plaudentibus vltrò
Vocibus à patria, & cupidis amplectier vlnis.
Quapropter, proprio iu: esto cuilibet vti,
Vt proprio: nam iura tui tibi libera sunto,
Quantum possibile est, non læso iure aliorum,
Nec nimis atroci confixis vulnere cunctis.
Tunc etenim fas sit furioso noxia tela
Inuito, manibus sanum extorquere nefastis.
Nam tibi concedens proprium Respublica mater,
Non dat abutentem torquere id in ilia matris:
Vt tibi tute Deus vacua regnator in aula,
Hoc teneas solus, quo nec benè fungier vnquàm
Ipse queas, multísque illud committere dextris
Si velles, si non mens læua erraret auaro,
Tute triplex lucrum ferres: communitèr omnes
In partem admissi fruerentur, & intima mater
Promeret omnipari tellus benè culta laboris
Dona, suis triplici demùm propagine adauctis,
Qualia nunc ægrè vix quarta ex parte refundit,
Indignans paucis tam segnitèr acta lacertis.
Namque iterum hoc, iterúmque iuuet rescire supremo
Quem solio, sceptrísque datis Astræa monarcham
Instituit, populóque tulit præscribere cuncto:
Non quia tot latis regio sua stet parasangis,
Finibus illa licèt Scythicæ sit laxior oræ,
Idcircò magnum dici, dominúmque potentem:
Sed numerosa virûm soboles quum robore denso
Vndique circunstans superest in munera quæuis,
Seu versare enses iubeat, seu vomere niti,
Siue foras operam patriæ nauare, vel ipsa
In patria: nunquàm conducto vt milite fretus,
Infidam ignotis dubius spem ponat in armis.

Quod si ita sit: niueas quanto molimine pastor
Curat oues caulis numerosos ædere fœtus,
Tum demùm solidè exultans, vbi qualibet vnum,
Spem gregis, aut geminos teneris balatibus agnos
Admouet vberibus, nota quoque voce ruentes
Respiciens, docet actutùm cognoscere matrem:
Illi auidè oblatis curuato poplite mammis
Succedunt, saturique insultant mollibus herbis:
Tanto etiam populi pastor subnixiùs, omni
Contendat studio, fœlix vt copula prolem
Progignat patriæ rediuiua stirpe frequentem.
Neu tantum Veneris furtis satiata iuuentus,
Desinat vlterius concessis vti Hymenæis,
Multa maritalis reputans incommoda vitæ.
Præcipuè si nulla domus, si nullus alendæ
Fundus adest soboli, fœcundo ventre quotannis
Quam coniux casto amplexu consota propagat.
Quocircà, hæc animo voluens vir regius alto,
Sic statuet: proli augendæ nihil aptius esse,
Quàm certos laribus paruis connectere fundos,
Vnde inopem, ac certum possit depromere victum,
Copula coniugio rurestris nexa valenti.
Sit modus: vltrà, quàm satus est qui possidet, otio
Indulgere volet: qui citrà, (dummodo citrà hoc
Non nimis angusto peccet) spes arriget acres,
Quod desit, cultu, & valido supplere ligone.
Inde tuis liceat pubem promittere regnis
Et numero, & neruis præstantem & quodlibet asprum
Nempè assueta prius, quæ non inuita subibit.
Scilicèt, à gnauis gnauos progignier æquum est:
Quum labor inuicto genitorum corpora durat
Robore, vt infantes enixa puerpera magnos,
Spem patriæ, excipiat duris rubicundula cunis
Lacte fouens proprio: & pura probitate Corinnæ

Vrbanæ

Vrbanæ absimilis: morbosos improba partus,
(Si nec abortiuo anticipat,) quæ matribus vltrò
Inserit, expulsos, media pro parte, alienis.
Verùm ego iungendi laribus rurestribus agri
Laudator, quantum ratio exigit vt mediocris
Quilibet accipiens demensi iugera fundi,
Admissæ valeat certatim incumbere parti,
Non ita constituo populari agraria iura
Proposito, vt dominis cupiam eripuisse vetustis
Prædia. Proprietas per me secura, nec vllis
Possideat semper sua finibus: illa beati
Iugera quantumuis millesima vendicet agri.
Illud ago, vt certa sub conditione colonos
Admittat dominus, quibus agri præbeat vsum,
Tam modici, vt ne quid nimium ferat vnus, & orbam
Turba suam gemitu testetur cætera sortem.
Néue aliud fundo pretium sit (forte) locato,
Quàm fructus terræ proprius, non infima pars est
Vrgentis stimuli pro campis ritè colendis.
Quum sciat ille tui conductò exercitor agri
Hunc talem, talémque tibi qui debet in annos
Reddere, quod proprio de semine viliùs illum
Colliget, emptum alio soluat quàm si ordine fructum:
Quem Domino seruans seponat villicus, arui
Mercedem exhibiti. Nec enim placet hocce nouatum
Iampridèm elapsis quod nos peruertit ab annis:
Olim alitèr, cunctisque aliјs quod gentibus vltrò est
Inuisum stabili fundos exponere nummo,
Idque per annosi longissima tempora pacti.
Nummus enim arbitrio regis, cui cura monetæ est,
Quum minus ac maius capiat, nec semper eodem
Pondere, nec precio constet, mirabitur vllus
Captata posthâc Dominum contendere causa,
Eripuisse istis sua prædia pacta colonis,

Quæ primùm iusti pendebant nomine census
Argentum purum ac putum? post ordine verso,
Regibus vt placuit, durísue exercita bellis
Vt varias nectens causas Respublica sanxit,
Formam vnam, ac nomen seruans, bonitate sed impar
AEre putatiuum argentum suffundat olenti
Amissos niueæ iampridem frontis honores?
Vnde hodiè iustum est triplicato exurgere censu
Aruorum dominos, ludit quos nomine falso
Degenerans nummus: solitum si tempore auorum
Pondus, & obrizum regale numisma valorem
Efferat: arua lubens argento addicta, locabo.
Nunc verò insolita postquàm ratione colonus
Tertia vix pacti persoluat pondera nummi,
Illudens gratis domino, dominíque proteruè
Expiscans, rus offerat ære auferre redemptum,
De tribus vnum hodiè statuat Respublica oportet:
Siue nouos homines, versa vice, nomen herile,
Et rem, deposito ob nimias peruertere aratro
Diuitias, quæ nil rudibus moderabile suadent:
Siue bonos iterum, genuino & pondere nummos
Restitui, vt pretium rem penset passibus æquis:
Siue suo ex fundo (ambobus quod conuenit æquè)
Vt liceat domino fraudato tollere fructus
AEquales, veteris valuit quantum integra census
Et ratio, & quantum ius ipsum exposcit, & æquum.
Nullus enim nescit, quantumuis tertia vix sit,
Quam soluunt hodiè, census pars illa vetusti,
Agricolas tamen vrbanæ vestigia plebis
Sectantes, precio sua vendere cuncta hodierno.
Hinc Dominis damnum emergens illustribus exit,
In decocta patrum patrimonia, more vetusto
Si plena insternant differtis atria mensis,
Qualitèr annona poterant moderatiùs empta:

Parte

Parte alia, angustis decurtent prandia ferclis,
Et nullum hospitio ob sumptus dignentur amicum,
Nec fora, nec cœtus celebrent famulante caterua,
Vt genti antiquus sociali condidit vsus
AEgriùs inuisi vitabunt nomen auari.
Sic Scyllæ in scopulos, littúsue infame Charybdis
Patricios, peruersa trahit censura monetæ:
Mercator, crassique etiam pars maxima vulgi,
Calliduli & tandem agricolæ, de sorte cauebunt.
Quippe foro, & nummi precio vigilantiùs vti
Hij sapiunt: solos tangit iactura modestos,
Quos alit antiqui non auctus redditus agri.
Non minimos ergò res hæc nummaria fuco
Oblita progenuit nostra in regione tumultus.
Quòd si fructus agri censum persolueret ipse,
Maxima multorum, vix intellecta, malorum
Stirps rueret, primam maturè enecta per herbam,
Vnde catenatis languet Respublica causis.
Quæ postquàm nulla est, si non libramine iusto
Se ferat, æquatum trutinæ dans omnibus vsum,
Quis ferat? in cunctis postquàm contractibus, extet
Hinc res, hinc pretium, tanto discrimine, tantis
In rebus, precium mentito nomine viuos,
Cernentésque suo Dominos euertere censu?
Quod tibi si certa tribuit ratione colonus
Frumentum, fœnum, pecudes, & munera lactis,
Ouáque, tum tereti quicquid progignitur ouo,
Quicquid & ille tuus, te concedente, refundit
Cultus ager? quidnam est, demas viuaria tantùm,
(Hæc licèt immodico nostratibus vndique septo
Surgant Normanni damnosa inuenta tyranni)
Quod cupias extra propriæ pomæria villæ,
Solus inexperti cura retinere colendum?
Vtere si lubeat: si non lubet, illa licebit

Ferre foro: & pretium nummos auferre repensos.
Siue etiam, si quid superest, id trans mare vectum
Vicinis lucro ingenti proscribere possis,
Dimidióque magis census augere paternos.
Verùm ego (nescio quos) iamdudum verbigerantes
Audio me placitis hic impugnare receptis.
Trans mare? quid tibi vis? quis te malus impulit error?
Siccine communem descriptor constituis rem?
Vt patrij messis peregrinos impleat arui,
Vix benè quæ proprijs detenta reponit alumnis
Quod comedant? pretium annonæ qui iam mediocres
Exclamant fines excedere: portus apertis
Si pateat valuis segeti trans æquora vectæ:
Quo fremitu? quibus aut diris, Acherontis ad vndas
Deuoueant caput Ædilis Cerealis in horas?
Quum videant raris toties fora consita saccis
Aut pretio immani, aut nullas proponere fruges?
Scilicèt, vt zonæ benè sit, fraudabis (opinor)
Ilia, quæ surdis oblatrant auribus: esto:
Illi habeant: quid nos? Phrygij num more tyranni
Nequicquàm accepto ventres implebimus auro,
Alta fames animos vt tardè damnet auaros?
Agnosco, & nolim, qua nunc agraria res stat
Conditione, istam arrecto præberier ansam
Mercurij mystæ proprios fraudare penates:
Quod nummi (haud dubiè) si spes fluat vlla dolosi,
Efficiet, charum sectans ante omnia lucrum,
Carò alijs constet, quantumuis quod sibi lucro est.
Verùm, alia nobis si res agraria forma
Prodiret, qualem nuper descripsimus, aruis
Auctior vt decuplo proscinderet ilia cultro
Agricola, exigui septis compulsus agelli,
Exiguum pleno colere, & versare labore:
Cogeret assiduo & fotum lætamine, duplum

Reddere

Reddere demensi, duplici quod tollere fundo
Vix poterit cessans hodierni cura coloni,
Nil video obstacli, quin quantum vellere mitis
Præstat ouis, varias licitò quod transit in oras,
Tanto etiam patriæ lucro, frumenta quotannis,
Et superesse suis poterunt, & vendi alienis.
Quippe, quid à paruo nonnunquàm colligat horto
Vir custos, benè verso, & pingui stercore foto,
Qui nescit: nunquam Londini vidit amæni
Consita tot varijs formosa suburbia plantis.
Quídue queat domini felix industria gnaui
Efficere, exemplo vel solus sufficit ille,
Cana per antiqui celebratus scripta Catonis:
Vix tria qui stricti quum iugera ferret agelli
Pauper, & instaret natarum nubile tempus,
Huic vnum indulgens in dotem contulit: inde
Huic aliud, solo contentus de tribus vno.
Nam duo plus ternis duplici subiecta labori
Ferre dedit: post hæc, reliquo triplicantiùs instans
Extorsit, quantum solido priùs extulit aruo.
Tanta per assiduos crescit seges acta ligones.
Agricolas ergò numerosos esse minutìm
Intererit: Consul cui publica commoda curæ,
Non spectat, Titio, aut Seio num sit benè, cunctos
Cogitat: ideis & mente absentibus instat.
Sic reputans: toto si tantùm ex parte refundit,
Quid ferat, hæc præstans exactè exercita tellus?
Præcipuè si cura suo locet ordine quæque?
Si sua stent proprijs, & villæ, & prædia septis,
Consita? si viuæ nunquàm satis orbita sepis
Commendata, bono circumplicet arua colono,
Arua quidem stultè patulis nunc peruia campis?
Nam quid, si tester Cererémque, & cætera ruris
Numina, vel melius, visu vel amænius ipso?

Vel poterit variam vim contra tutius esse,
Quàm custoditos muris viridantibus agros
Reddere depositas spe semper perpete fruges?
Scilicèt, vt laxus vel centum iugera fundus
Contineat decies, diuersis sorte colonis
Subditus, insepto qui admittat limite quemuis?
Sic statuo, & dicam audacter quod proferet vsus,
Iugera plus varijs quingenta coërcita claustris
Productura suis distincto iure colonis.
Quippe vel ingenio coniuncti dispare viuant
Tot simul, vt rarò proprium communitèr vllus
Tam foueat, quàm si proprium sibi solus haberet
Intactum, & nulli accessum: quo tempora messis
Ipse suo ingenio obseruans, tempúsque serendi,
Multa superstrueret, quæ nunc infecta relinquit,
Communi tandem placito inseruire coactus:
Aut varijs idem campus producere venis
Semper idem cunctis iussus, discrimine nullo,
Claudicat, & multùm genuino à fomite differt:
Seminis exitio non in sua viscera iacti.
Nullus enim nescit nonnunquàm iugere in vno
Quot variet terra ipsa modus: hìc macra rubenti
Raros tota super vultus quæ spargit arena:
Pinguior hìc pullo exultat iuueniliter aruo:
Densior hìc pandi conatibus obstat aratri,
Hìc leuis, à primis admittit semina labris.
Quod toties variet paruo quum limite campus,
Quot capita, & sensus ludens natura creauit,
Durum est simplicitèr vastum tractarier aruum,
Tempore, conditione, loco, diuersa requirens.
Demus enim, paribus consistere cætera causis:
Hoc nunquàm euinces, fructus quos sepibus ipsis
Gnaua manus domini priuato excerpat agello,
Innumeris figens campestria mœnia plantis,

Non

Non propè tantundem lucri producere posse
Agricolæ, atque ipsis messis primaria sulcis.
Si dubitas: (ne quid memorem, quas Itala tellus
Fructiferis decerpat opes pulcherrima septis:
Præstantésque alij vena tam diuite tractus,
Quos illis vidisse datum est, virtutis amore
Qui varios adière homines, variósque penates)
Tu quicunque reses, vestigia semper eodem
Fixa loco ponens, miro contemnere vultu
Ignorata soles, stolida & suspendere sanna,
Quicquid inexperti fines præterfluit arctos
Ingenij: (quamuis diuersi tractibus orbis
Ignotis, nequeas nouisse domestica plenè,
Vt tibi quid superest, quid desit, sedulus illo
Fonte petas, petijt quo Pallade fretus Vlysses)
Si nimis est patrijs aliquò prorepere septis,
Saltèm exempla domi ne collaudanda recuses.
Dispicito occiduos nostra regione colonos,
Quos alijs (quantum video) solertia cultus
Prætulit, innumeris vt paruula prædia densent
Sepibus, innumeros quæ vir distantior hortos
Esse putet: malis adeò, baccísque vicissim
Turgida fælices circumfouet orbita fundos.
Non illic alio desoluitur ære coloni
Redditus, à ruris quàm quod decerpere limbo
Fructifero poterit, segetes & cætera seruans
Integra, quæ proprios frugi diuendat in vsus.
Non illic vastas nodoso robore syluas
(Hæ licèt ipsæ adsint) multum desideret, aptam
Materiam qui tigna casis Iouis arbore cæsa,
Ligna focis etiam, propria petat vtraque sepe.
Vt reliquas (eadem neu desit cura) per oras,
Solum septa queant populis præbere Britannis
Heu malè tam pronæ satagentibus vbera terræ

Subsidia apposito concinnè æquare labore.
Quæ neglecta (inopes tanquàm quos copia reddit)
Si temnunt ne (quæso) vnà tempsisse salutem
Atque immortalis par sit tutamina valli,
Hostibus obiectu duplici, si fortè cruentum
Buccina pertonuit, quod cura, & sponte resistet:
Extima dum salsis Tethys circumfluat vndis,
Indulto (Natura) tuo: dein plurima sepes
Crebriùs opponens operosi brachia nexus
Interiora etiam vix peruia reddat ab arte.
Ergò etiam hoc, vt non nihil est: sic omine fausto
Si domini aruorum, versa ratione frequentes
Distribuant multis, non multo iugere fundos,
Ac stabili incertos nummos conuertere fructu,
Natiuæ incipiant in dona perennia matris,
Multum aberit, vasto vt quisquam desertior agro
Solus opes quærat, centum fœliciùs illas
Qui manibus reperire queat: quin accipe (sodes)
Accipe complectens dicat, simul ingerat vltrò:
Tam certè propria vtilitas dabit esse benignos.
Quos alia inuitos si quisquam (vt diximus) arte
Cogat in aduersum, tantundèm proficit, ac si
Ingentem æthereas lapidem vi mittat in auras:
Ille subit, quantum motus violentia perstat,
At semel vt laxis vis paulùm cessat habenis,
Rursus ad antiquum proprio ruit ordine centrum.
Iam verò artifices cultas habitare per vrbes
Qui doceo, rurique simul sua pignora culto
Crebra, sed exigui statuo sub limite fundi,
Mente bona certas foueo spes, auspicibus dijs,
Si labor ingenuus spaciosas suppleat horas,
Ordóq; digestos discreta in munera ciues
Instruat, admissa tantum consistere parte,
Nec mutâsse locum: (qualis qui signa proteruè

Deserit

Deserit ordinibus miles castrensia spretis)
Rariùs Anglorum fixuros limite sedes
Tot simul infausto prognatos sydere cætus
Erronum, Irorum furum, seu conscia noctis
Lumina qui violant sæuis obnoxia sicis:
Sed neque lenones, nec pulso scorta pudore,
Nec pecus ignauum balatrones, Ardeliones,
Ampliùs illicito victuros pignore probri.
Quos certè assiduis vt nunc excindere pœnis
Lex satagit, legum & custos plexisse seuerè
Inuentos pergit, per cippos, lora, luémque
Carceris, immò etiam per multa cadauera coruis,
Et canibus, crudo exemplo concessa quotannis,
Sic tamen assidua rursus succressere messe
Mirarer: si non fontes ab origine prima
Vestigans, liquidè errorem deducere cunis
A pueri possem, neglecto atque ordine rerum.
Tanquàm aliquid magnum fuerit plexisse nocentes
Quos malè conniuens per tantos sineris annos
Hactenùs indulto in robur creuisse tuomet,
Tute nocens, vitij qui non à fomite primùm
Incipiens, posthâc veniam tot millibus vltrò
Præstrueres, quos ipse autor nunc duriùs albo
Expungis patriæ, & patriam tot ciuibus orbas.
Artem terra feret quæuis: age, quilibet arte
Fac aliqua sua gesta probet, nec inertia fucus
Ora tuis nullo merito præsepibus indat.
Ipse aliquid, quo quisque queat producere vitam
Seiunctam à vitijs molire ignobilis oti.
Quòd si aliquos vrbi, & ruri superesse videbis,
(Ampla satis vitæ licèt instrumenta tuendæ
Hæc duo suppeditent, plenis exercita votis)
Tertia fac soboles sinuosi littora circum
Oceani, bibulis lembos deducat arenis:

Immittátq; vagis ſpe prædæ audacior vndis,
Retiáq; & caſſes, & tectos vermibus hamos,
Neptuníque pecus ſquammoſum, per vada cæca
Excipere inſidijs tentet, ſtatuátque macello.
Quid ſuper hoc quæſtus ſurgat? vel millia demum
Quot poterunt iſtam victum quæſiſſe per artem?
Vix verbis dixiſſe queam: dolet, & pudet, iſtud
Quod damno, tum dedecore experientia noſtro
Arguit: & claro increpitans valdè exprobat ore:
Qui ſinimus noſtro diuerſi à patribus orbis
Retia iacta ſalo, tantùm non portubus ipſis
Piſcari: vt noſtri piſcis maris accola captus,
Et ſale conditus, peregrinis rurſus ab oris
Siſtatur patrijs menſis, patrio ære redemptus,
Prandia dans populo non contemnenda ſupino.
Quippè, quod ad vitæ ſpectat momenta tuendæ,
Terra licèt, tam blanda parens, pro parte nouerca
Eſſet, vt eluſo non reſponderet aratro:
Quin effœta ſinu ceſſaret ferre beato
Omniparas fruges, & pleno copia cornu
Quod præſtare ſolet: tu magne Tridenter, ille es
Vnus, qui nobis piſcando conſtituas rem.
Nil fuerit centum vberibus quòd aperta recludit
Illa ſuis: media victum extorquebimus vnda:
Dum tua pactilibus das æquora tota carinis
Alterno bis quáq; die refluentia motu:
Lambendóque vagas criſpantia littoris oras,
Tu Pater vde tuis ſatis es, complexibus vltrò
Oblatis, cupidas contrà ſi tendimus vlnas:
Vt memores ipſo ſaltèm queat inſula ſenſus
Admonuiſſe ſitu, quid poſtulat Amphitrite.
Namque leues verſare alis crepitantibus auras
Si volucres natura facit, ſi vincere curſu
Imbelles lepores, gelidiſque in montibus acri

Inſtruit

Instruit indomitos ibices si tendere saltu,
Si pinnas agitare glaber scit piscis ab ouo,
Sique sacer cygnus Mæandri ad flexa fluenta
Remigio patulæ trudit sua corpora plantæ:
Quid faciat, patriæ circumflua brachia pontum
Ferre videns? pontum, Hesperijs qui sistat Eois
Antipodúmque ipsos nostro det littore vultus
Nosse? nec aduersis semper subsistere plantis?
Pontum, alios tantos nobis qui seruit in vsus
Merce beans, suauésque humectans imbribus auras,
Sed nullo potior, vario quàm pignore fœtus
Æquorei, tam multiplicis, quem sedibus imis
Fundit, & expositum curuo sub littore sistit.
Mitte tuas (famose gulæ languentis Apici
Conditor) squillas, rhombos, Siculique profundi
Delicias. Lucrina Cati, nec ad ostrea surgas.
Vos etiam, Ionij par est miracula fluctus
Linquentes, hûc hûc concedere dipnosophistas.
Hîc patina AEsopi, lectóque triclinia sumptu
Qui meditata olim famoso in Apolline struxit,
Cœnáque Pontificum veterum, lancésque Vitelli
Inuenient, quo æquata gulæ vesana voluptas
Damnet vt exiles ieiuno littore Baias:
Et vada nitrosi quondam laudata Canopi.
Nempè ego si centum formas, si nomina centum
Enumerare velim: nec centum includere formis
Omne pecus (Neptune) tuum, nec dicere centum
Nominibus possim, nostro quod sæpè Profundo
Exiliens salsa nautas aspergine rorat.
Ne memorem toties cymbas sub mole gementes:
Nec vano dirupta querar tot retia iactu
Iam capta rursus caruisse ob pondera præda:
Vsque adeò pubi damno stat copia auaræ.
Illa dolis frustrata, recuruo in littore rursus

Fila dolens reficit: ſpectans de rupe cachinnum
Tollit, & inuadit luſas ſpes ſcommate Triton.
Aſt vbi nec ſatis hic vnquàm facundia pleno
Remigio, aut velis tangat maioribus vtens,
Commoda, quæ ſcateant nobis à gurgite vaſto
Cærulei genitoris, & hæc cantata minori
Quàm par ſit; calamo, Deus indignabitur ipſe,
Carceribus primis ſiſtam. Vos ò quibus æquor
Non minus ac terras tutandi cura perennis
Incumbit, moneo (patriæ ſi mœnia veſtræ,
Et veſtros ſarto tecto ſeruâſſe penates
Perpetuò vultis medijs quos figitis vndis)
Neptunum ante omnes taurorum viſcere centum
Placate: & liquidi memores altaria Diui
Pingui oleo, mixtóque ſuper ſuffundite Baccho.
Nec careant donis Tethyſq; & numina gnatæ
Quæque ſuis. Portune, tibi, tibi Glauce biformis,
Et tibi, caute ſenex, varia ſub imagine ludens,
Informes Proteu paſcis qui gurgite phocas,
Atque alijs, quorum pubem pars vltima piſtri
Excipit, atrantes iubeo mactarier agnos:
Extaq; in æquoreum mitti ſolenniter æſtum.
Dona Deos capiunt: ſed plus induſtria donis
Ipſa capit, votiſque labor ſubiunctus anhelis.
Sic genitor dabit, à cymbis, & retibus auctos
Vndicolas, duris exercita corpora ventis,
Millia quot vafra nunquàm Carthagine prompſit
Pœnus in armatæ ſuccedere munera proræ,
Et ſupereſſe etiam, frontémque opponere fronti.
Bella fremant rauco quantumuis excita cantu,
Sitq; opus æratis auſus propellere roſtris,
(Gens inimica) tuos quæcunque ex parte mineris,
Hic dabit antennis ſua carbaſa, ſedulus alter
Incumbet tranſtris, verſo per cærula remo:

Ille graues unco ferro induisse rudentes
Instituet: cœli vultus, & signa notabit
Alter, in arcana ventos qui pyxide spectat.
Tum super extructas satagent pars cætera turres
Propugnare foros tabulatis mœnibus, Euri
Et fratrum leuibus toties loca peruia plantis.
Stridula feruentes acuat si fistula, acuto
Responsare tono nautas, atque ipsa videbis
Æquora, & attonitum ferient tot classica cœlum.
Neptuno tacitos mulcebunt gaudia sensus:
Lætitiáque Deus iam delibutus opima
Annuet, optatis gentem successibus, aras
Ignotis posuisse locis: capere alta tributa
Barbarica depensa manu: vicinia tota
Legatos mitem tendentes mittet oliuam
Muneribus, donísque datis: naualia nostra
Horrescet positis Maumethes perfidus ausis:
Multa super vasta rogitans, quæ plurima nobis
Instar montis aquas luctantes machina scandit,
Machina sulphureos quæ spirans naribus ignes,
Horribilisq; super sonitu totum æthera bombi
Sollicitans, foribus iaculatur fulmina apertis:
Quot non ipse fores anceps Labyrinthus habebat,
Sed neque deiphobes antrum furiale Sibyllæ,
Structa Parætonijs nec Thebe pensilis aruis.
Hic studium populi, cernens & vota Britanni
Carpathius vates, medijs è fluctibus ora
Pube tenus, propria sistet constantia forma:
Cæruleáque duces trabea de puppibus altis
Agnoscens monitis accendet talibus vltrò.
Sic ô sic impunè vdis date carbasa ventis,
Fidite & edomitis manus insuperabilis vndis,
Fidite: vester erit tumidi dehinc Oceani rex,
Vester erit: vobis solido Pater æquoris alti

Annuet arbitrio fungi: vestrísque coactos
Auspicijs alios demissa ex arbore vela,
Vela quidem faciet pronè summittere, toto
Cedentes maris imperio: si numina ritè
Vda maris colitis, tum sacra Tridentipotenti
Annua, tergeminos atque instauratis honores.
Ipse dabit gratis, grata quod mente referre
Vndicolis possit tumidarum rector aquarum.
Primùm, vbertatem pecoris per salsa fluenta
Eximiam, & pronos demissa ad retia pisces.
Tum faciles, ventis vel contrà stantibus, vndas:
(Vsque adeò ars vsu, noti & fiducia cœpti
Naturam superare potest) penetralia vobis
Exin salua domi: & quæ pignora sanguinis, ipsos
Quadrupedes elato animo in certamina trudunt.
Nam vitrei si templa Dei, non marmore secto
Cingitis, at querno muris ex robore iunctis
Iam custoditus, vos & custodiet vnà.
Præterea, totum reduci rate congeret orbem,
Ignotásque effuso exponet littore merces,
Inde, tuas, & Mosche, tuas, rasúmque reducta
Gossipio caput in gyros qui colligis albos.
Denique si curam pelagi fœlicibus ausis
Suscipitis: non Ausonij sic æmula regni
Carthago, non Palladiæ celebrantur Athenæ,
Vt vestros ætas memorabit postera, victis
Hostibus, insignes nauali Marte triumphos.
Hæc Senior: simul immersos vt gurgite vultus
Tinxerat, vnda albis obduxit spumea bullis
Vltima, quæ Proteus verba imperfecta reliquit.
Excepere duces fidis oracula tanta
Pectoribus: primúsque ante omnes maximus armis
Henricus, tulit & numerosa vincere classe
Non minus esse suum: portúsque & littora circum

Asseruit

Asseruit trabibus Neptunia regna abiegnis.
Ingentem & gemitu tanta sub mole coëgit
Oceanum, solidas mirari fluctibus arces
Velifero grandire gradum per cærula passu.
Hunc puer Eduardus patrij spes altera regni.
(Infœlix puer, heu breuibus collisus Auerni
Syrtibus ante diem) & geminæ pro parte sorores,
Præcipuè, quæ pulchra oculos, ingentibus ausis,
Elisabeta suos medijs in millibus ardens
Sola stat ante omnes naualis laude coronæ,
Proposuere patrem cœptis præstantibus altum
Exemplar. Magni hunc deinceps longo ordine reges
Quô propiùs, tacti studio potiore sequentur,
AEquora sternendi ratibus, propriúmque dicandi,
Hôc illis longæua magis sua sceptra, tiaras
Verticibúsque sacris possum spondere perennes.

LIBRI QVARTI FINIS.



DE REP. ANGLORVM INSTAVRANDA,

Liber Quintus.



Actenùs vnanimes, diuerso tramite, ciues,
Vrbe alios, & rure alios, inflexáque circum
Littora postremos, tria struximus agmina, metam
Ingenua cunctos opera properare ad eãdem.
Præsidiúmque super, quantum Neptunia claustra

Per maris anfractus, seu quantum sepibus ipsis
Valla queant spiras imitantia ferre draconum,
Addidimus: sic alma salus, à fontibus ipsis
Naturæ sua seruandi rudimenta recludet
Ingenio polienda magis. Nunc horrida bella
Quo studio, quibus auspicijs, quóque ordine rerum
Suscipiant, meditata prius (fortè inscia pugnæ
Pectora ne viso formident hoste) docebo.
Tu modò belligeris adsis Tritonia cœptis,
Gorgoneáque meos obualles ægide versus:
Liuor vt in silices eat improbus, & mala linguæ
Spicula vipereæ surgenti caute retusa
Sentiat ignauo qui obgannit Zoilus ore.
Principio, vi vim depellere, tecta, laré sque
Propugnare docet lex omni antiquior æuo.
Iusta feret, collata feret qui ciuibus arma,
Et patriæ, & summo connexis iure propinquis.
Vt charos, charæ consortis pignora, auitis
Filiolos laribus vita quid charius ipsa
Qui statuet, cineres maiorûm atque ossa sacellis
Relligiosa colens, libamináque annua sacris
Instaurans, tanquàm præsentibus omnia soluet,
Exin purpureis perget genialia spondis
Membra locans, epulis natalem exoluere festis:
Iuxtà animæ coniux pars dimidiata recumbet:
Illa sinu consota viri, sed paruulus ipsam
Exceptus gremio circundabit vsque puellus
Colla petens, mammámque vocans, & balbutitìm
Vix pappam expromet blæso infantilitèr ore:
Intendénsque manus semesæ frusta placentæ
Rapta volet bucca genitoris, & altera spernet:
Ille dabit ridens blandùm, simul oscula iunget,
Quæ tenero mater quamprimùm exugere gnato
Molle tuens, dulcémque animam, dulcémque saliuam
Contendet:

Contendet: vir at illa ſuus (ſua nempè) repoſcet:
Et non inuitè, componens labra labellis,
Nectare Acidalio tinctas ſimul hauriet auras.
Hinc atque hinc alij ludent ad fulcra puelli:
Ille patrem vultu referens, hic ore parentem
Maiorem, aut proauum: ſenior ſi fortè ſuperſtes
Vllus adhuc iſta remanet de gente colendus,
Siue pater, tremula iam fractus membra ſenecta,
Siue auus, aut patruus, primus diſcumbere menſis,
Et feret emeritis palmis libamina primus
Deguſtaſſe Deis: (ea ſit reuerentia cano.)
Lætior ille pio cultu, memoranda parentum
Geſta, ſuos etiam Martes ſermone loquaci
Texet: pendebunt iuuenes narrantis ab ore.
Iamque animo tacitos, virtutem extendere factis
Concipient ſtimulos, votíſque optata laceſſent
Arma, frement ſtudijs: Mars inter pocula curret
Liberior, fluet & multo perfuſus Iaccho.
Tum, ſi fortè iocos inter, feſtóſque cachinnos
Seruulus attonito feſtinans, ſurgite, vultu,
Surgite proclamet, ſpeculis nam fumat ab altis
Verticis aërij mons qui deſpectat in æquor
Proximus: ipſe ſonos trepidantûm hijs auribus hauſi,
Clangorémque ſuper quem ſoluit buccina terno
Ænea diſcrepitu: totæ ſtant nauibus vndæ
Ignotis: vernam vix creber anhelitus oris
Hæc narrâſſe ſinet, pallens quum pignora mater
Arcta ſinu ſtringens, medium & complexa maritum,
Surgentem planctu impediet muliebritèr: altos
Ipſe animos vultu, ſpes & promittet opimas:
Intus at ancipites dubio ſub corde volutans
Inſani euentus per tela cruenta Gradiui,
Horreſcet, tacitúſque imis tremet oſsibus algor.
At ſimul vt gnati dulces, dulciſque recurrit

Coniugis effigies animo miserata, larésque,
Atque foci, & patriæ maiestas omnia chara
Exuperans, subitus corda indignantia vertet
Feruor in ardentes vindictæ præpetis iras:
Consiliísque animum vltorem sic (ecce) superbis
Exacuet: Libycis qualis qui in saltibus ingens
Se leo in aduersos instigat verbere caudæ.
Scilicèt, an patrijs extrudi ignauitèr aruis
Hos humeros, hæc membra sinam? dum flore iuuentæ
Multus adhûc cursat circum præcordia sanguis?
Barbarus hæc tam culta leget? dabit ille sacellis
Thura meis? sponsáue illudet victor amatæ
Ille meæ? Quid vos dicam mea viscera, gnati
Gnati, solliciti iustissima cura parentis?
Vos quibus hinc statuent oris? quæ terra tenellos
(Ah) respectantes, nequicquàm & voce cientes
Matris opem, matrémque vnà, infaustissima flauas
Dum trahit ipsa comas, impuri militis hastæ
Subijciet, dominæ ducturam pensa proteruæ?
Seruiet ingenuus puer? ipse ego vilior alga
Hæc oculis coràm aspiciam? vitalibus auris
Vsque adeóne frui insistam? & superesse precando?
Nec potiùs perijsse semel constantiùs optem,
Quàm toties perijsse? atque vltimus esse meorum,
Rebus adhûc primus potero qui stantibus, omnes
Protexisse meos, vel honestæ occumbere morti?
Proripit annixo frendens sua corpora saltu,
Multa mouens: cædes, & prælia concipit, arma
Porticibus sacris demit suspensa, sodales
Iisdem acuit studijs, & totus fertur in hostem.
Haud secùs in patriæ fines custode tuendos
Armato, Dijs tela probantibus, & Ioue summo,
Conspirare decet ciues communitèr omnes.
Nullus ab hoc studio immunis, flos integer æui

Cui

Cui superest, nostra ciuis statuatur in vrbe.
Hoc etenim quiddam cunctis commune ferendum est:
Cuique etiam à pueris, paruo discrimine cuncti
Insudent: proprijs patriam tueantur vt armis,
Et iunctam iunctìm satagant munire salutem.
Quum neque conductis tutum sit fidere contis,
Nec sua vicinum seruent intacta querelis,
Iamdudum exesos sacris qui postibus enses
Dedocili expediunt post ocia longa tumultu.
Quippe, semel noto si stat fiducia facto?
Si qui scit, constantèr agit, seu corpora saltu
Mittat in extremas ripæ vlterioris arenas,
Seu premat indomiti luctantia tergora pulli,
Impiger aut rapidis vndis det membra natator,
Siue sacri cupiat pentathlus fronde oleastri,
Pulvereis Danaûm spacijs, per Olympia cingi:
Quanto opus hic studio, & neruis maioribus, omnes
Non insueta humeris aptâsse virilibus arma?
Vnius arbitrio postquàm ignorantia culpæ,
Séque, suósque simul prodens molimine stulto,
Longa inferre potest captiuo vincula collo?
Vsque adeò hic minimus precio stat sanguinis error,
Et fortunarum, & patriæ, irremeata per ausa:
In reliquis victo liceat certamina rursus
Instaurare, nouis iterúmque insurgere cœptis.
Ergò, iure suos quisquis praeunte gubernat,
Legitimísque pater patriæ se fascibus vltrò
Constipat, moderata iubens, moderatior ipse,
Armatis tutò committat ciuibus enses,
Ciuibus, ingenua pro libertate paratis
Decertasse neci, & tali pro principe, duris
Rem, vitam, & quid non? deuotè offerre periclis.
Nec metuat, quem nulla facit pallere tyrannis,
Exhibito ne turba furens sua viscera ferro

Impetat, aut posthâc dicto parere recuset.
Iusta ferat, commune colat, rex esse laboret,
Et vitet domini crudelia iussa superbi:
Iam nihil est, cur quos non læsit, malit inermes,
Mancipiisque velit potiùs quàm ciuibus vti.
Immò agat, atque suos immanibus efferet actis,
Conclamare potest inuisa potentia: nusquàm
Tuta salus capiti diris communibus acto.
Nempè metus fræno non omnes euirat ausus:
Quósque minùs metuit, forsan magis esse nocentes
Inueniet. Sed fac numeros cauisse per omnes:
Cedò aliquem Critiæ ingenio, & feritate polita,
Artificem sceleris docta ratione nocendi:
Quadruplatorum legio, fora, compita, circos
Obsideat: deportatis non Pontica Pathmo
Addita, nec parua Gyarus coniuncta Seripho
Sufficiant: certet crucibus, certétque metallis,
Et sua vel Siculos superent tormenta magistros,
Non faciles posthâc aditus, nec præbeat vllos
Congressus, latera & malè tuta satellite cingat
Barbarico, & vigili obseruet constantiùs Argo.
Fata viam inuenient: aliquà certissima pœnæ
Irrumpet Nemesis, sibi turris ahanea quamuis
Structa stet ad nubes, & rudere Tartara tangat.
At verò ingrato quæ tandem palma labori est?
Aut quæ tanta manent spernentem præmia culpæ?
Nulla quidem, iniustæ præterquàm pallida mentis
Ambitio, vt per vim iubeat pro iure voluntas.
Crimine ab hoc tragicis discas cantanda cothurnis,
Et læua inuisam qua proroget arte salutem,
Quisquis is est, seruile meri qui ferre tyranni
Nomen, ab imperio meruit violentiùs acto.
Nempè suis fractos animos, imbellibus ausis
Informans, nullas sensúsque ignobilis iras

Suspectos

Suspectos domibus nudatis detrahet enses:
Non cœtus, non verba feret commixta querentûm,
Non tædas Hymenei, non aut conuiuia festa
Conscius admittet: sic & quot ciuibus, hostes
Tot statuens: odiisque nouis antiqua recudens,
Vt redimat dubios nummo sponsore latrones,
Deglubet miseros immani vulnere ciues,
Nil mediocre volens, & iam iam proxima surgent
Nominibus protensa nouis pomæria fisco:
Nec protensa queant (quamuis vicesimus intrà
Septa lapis veniat) stipi satis esse profundæ,
Quam conducta manus, non vnquàm expleta reposcit.
Nam si proposito precium stat sanguinis auro,
Causa nec vlteriùs bellantibus vlla pericli est:
Quid satis esse potest? aut quanta prodigus æris
Iactura, hos vnquàm saturos, speréstue fideles,
Quos non ara Deûm, lar nullus, pignora nulla
Accendunt stimulis, quin si plus porrigat hostis,
Cras inimica, fide posita, vexilla sequentur?
Intereà ciues Mauortia pectora inerti
Dediscant obducta situ, seruilia fessi
Munia dum pendunt: videat sibi singula soli
Congestans, si fortè nouis sors læua periclis
Incumbat, quonam in numero locet ipse alienis
Mentibus hos toties læsos? tibi plurima Pallas
Armipotens meritò debetur gratia: nostris
Regibus, armandi, proprios in prœlia ciues
Hactenùs auspicio studium quæ immiseris æquo.
Et meritò: nam fida virûm si corpora quisquam
Deligat, ingentésque animos, vbi spiritus acer
Crebriùs ardenti pertentans pectora pulsu,
Viuacésque oculi, atque agili pede fulta decoros
Membra toros, speciem exhibeant, vsúmque virilis
Militis: haud temerè vel Iulius ille hodiernos

Delectus alia cupiat propagine castris
Successisse suis: tantum se ad singula tyro
Armatus, dura legionum exerceat arte.
Qua sine, vis numero praestans, & robore summo,
Terga dabit paruae nonnunquàm victa cohorti.
Namque (fatebor enim) Naturae vis bona quamuis
Saepiùs artis opus mancum renuente Minerua
Praecellat, si cura parum, plus impetus affert,
Longè aliud castris veterana scientia praestat:
Ars vbi naturam tantùm superasse magistra
Contendit, quantum latratibus excita syluis
Cerua leuis cursu auritos praeuertit onagros.
Quisquis enim veterum miranda exempla virorum
Colligit historiae discusso expondere priscae,
Regnatorem Asiae profuso milite Xerxem,
Montibus & fluuijs, ipsi licèt atque tremendus
Ille fuit pelago, stolidis malè viribus vsus
Non adeò, si vera opus est virtute, requiret.
Nec statuet flauos immania corpora Celtas.
Magnum aliquid: quibus ac primus deferbuit ardor,
Mox sua torpenti languebant brachia motu:
Nec Scythicos, praedonis opus, mirabitur vnquàm
Excursus: mollésue Arabas, incondita cetris
Agmina, quae tacita contrà dum vi geritur res,
Plus vlulant, quàm tela mouent, ferróue coruscant.
Gesta sed exemplo proponet clara Luculli,
Qualis in Armenijs numeroso occurrerit aruis
Tigrani, quem parua manus ventosa coëgit
Nomina, falcatos currus, & tot cataphractos
Ponere: fuso etiam paucis qui Pontica regna
Caede, suósque super, terrore & nominis vrbem
Romuleam, & renouis Mithridates perculit ausis.
Qualis & ille tuis non ingens Pella sarissis
Fretus, ab emensis vix dum digressus ephebis

Doriphoros Darij, tota cum Perside victos
Prædæ habuit: dehinc innumeras, tot nomina, gentes
Fulguris in morem, extremos perstrinxit & Indos.
Vnde etiam Pœno post hæc fiducia vafro
Par stetit, impubes annos sub pellibus aspris
Quum benè durâsset, patria formatus ab arte,
Sedibus Ausoniæ, atque vrbis sub mœnibus ipsis,
Marte satas acies, Martémq; lacessere bello.
Haud secus ac patrios qui Pyrrhus Chaonas armis
Assiduè exercens, ter quinis millibus orbem
Sollicitare duci paruum tulit esse perito.
Quòd si turba ruens animis incondita vanis,
Astrueret momenta petito haud vana trophæo:
Quid noua Pharsalicis cunctantem perpulit aruis
Agmina, præstanti specie, & spe diuite partis
Patriciæ, occulto Pompeium aspernere sensu?
Dux certè antiquos Orientis sæpè triumphos
Qui tulerat, reges, satrapas, ipsúmq; Senatum,
Totque equites, iuuenum præstantia corpora castris
Continuit. Veteres horrescens quippe cohortes
Cæsaris, & longè canas obiecta per Alpes
Pectora militiæ, brumis durata nouenis,
Inuitus subijt læua discrimina pugnæ,
Tandem auidis tumidæ pubis tot vocibus impar.
Omnibus hæc igitùr menti sententia apud nos
Fixa stet: & longùm succrescat sensibus imis:
Siue foris socios iniusto Marte leuassint,
Siue domi satagent, rem, charos tecta tueri,
Nullus inassuetis tam certa pericula dextris
Suscipiat. Stolidi serò quem pœnitet ausi,
Tarda per Anticyram purgandæ pocula culpæ
Quæret: inexpertum plectet Bellona cruentans,
Prima sub arma suis deflendus vt ilia ducat.
Hinc igitur ne cæca ducum vestigia cæcos

Decipiant, vnàq; inuoluant fortè ruina:
Audite ô Proceres lato gens præuia clauo,
Audite, & memores hæc sorti haurite futuræ.
Vos quibus imperij patrio pro more secundi
A primo, & trabeæ committitur alta potestas,
Bella per instructas acies, vbi ciuis in arma
Cogitur assuetis regere atque immittere habenis,
Vos, inquam, à primis Graiorum & clara Quiritûm
Quæ monumenta ducum, fidis annalibus olim
Excepere pares dicendo Heliconia turba,
Par sit in exemplar memores ediscere cunis.
Quippè scholis primum, & docti per claustra Lycei
Ingenuas quondam didicisse fideliter artes
Cura fuit summo prognatis sanguine: vt isto
Deinde pedem ferrent omnes à limine, ad armis
Rem patriam, & lingua moderandum sæpè diserta.
Qua sine cantatos certè memorabile quicquam
Illa ætate duces, qui exantlauere, stupet nunc
Posteritas, totus per mille volumina quæras,
Vixq; dabis binos (Marium ne respice solum)
Hactenùs illustris sua nominis acta, canoræ
Historiæ cultis plantâsse æternitèr hortis.
Quos ego quum numero fines, nec littora cernam,
Si memorare velim, domitos vt solis ad ortus
Magnus Aristotelis culta processit ab vmbra,
Magnus & ille alter, Latij decus, vt sua rostris
Ora probans populo attento, tulit altera rostra
Ferre comis, qualisue excelso Iulius ardens
Ingenio, studijs quamuis castrensibus actus
Tam propè facundi præuertit fulgura Tulli:
Exin Scipiadas, Fabios, clarósque Metellos,
Et Crassos, Scaurósq; vnà, rigidósque Catones,
Marcellósque, Titósque, & te crudissime Sylla,
Docte tamen, doctósque alios quos Roma refudit,

Roma

Roma vetus canis etiam nunc dia triumphis:
Prætereà, Danaos omnes, tot nomina fonte
Tincta priùs Musarum, & pòst transmissa Gradiuo,
Quorum hodiè volitat reuirescens fama, sepulchris
Maior, & ardentis subit alta palatia cæli,
Anxius hic breuibus coner si includere septis:
Forsan & incuruas opera bis vanus eadem
Messe sub instanti, campis perrexero apricis,
Ad numerum in digitos exactè ducere aristas.
Pauci etenim (crassis vt inertia tempora velis
Nunc obducta sacros condunt caligine vultus
Phœbe tuos Geticis nondum expurgate ruinis)
Culta sciunt quantis phalerata machina linguæ
Viribus, impulsas hâc, illâc arietet aures,
Vndantis circum Prætoria celsa coronæ.
Hac fera mitescunt incensi pectora vulgi:
Seditiosa graues vbi turba ignobilis iras
Concipit: hac animos pridem deiecta resumunt
Agmina: state viri, & nihil hoc dubitetis in hoste.
Iamque alacer versis clamor subtollitur hastis:
Duc age: quid votis obsistunt verba morando?
Hac etiam duris iterùm patientia rebus
Obfirmat fessos nutantis militis ausus:
Obsidione premat si Barbarus, ilia stricto
Alta fames miseris iamdudum compede ringat,
Pestis acerba ipso crudelior incubet hoste:
O socij, durate, & vos seruate secundis:
Grata superueniet vestrûm manus: illa superbos
Excubijs perdet medijs illapsa, cruento
Vulnere, qui nostris adeò nunc mœnibus instant.
Vos quoque par cunctis fuerit prorumpere portis,
Et spolia, & pœnas inimica à gente referre.
Fama feret factum niueis super astra quadrigis.
Tollunt se erecti, & spe certa obstantia temnunt,

Propositi immemores tam dura sorte pericli.
Vsque adeò medios regnat suadela per enses:
Nec tantum cœtus mouet imperiosa togatos.
Nunc verò, hijs studijs pollentem creditis vllum
AEmula nobilium castris afferre hodiernis
Verba ducum? dux an quisquam te, maxima Pallas,
Ritè colit? sterilis num blæsa piacula linguæ
Procurat nouiès Pegasæis lota sub vndis
Exuere, à cunis iam mox operosior ipsis?
Quique laboratæ insuescat puer ora loquelæ,
Ora catenatis vinclis seu Gallicus aures
Alcides, ductura locum ad quemcunque sequaces?
Proxima dehinc teneræ an quisquam rudimenta iuuentæ
Subiectat duris castrorum pellibus? illic
Tunc primùm adnatæ positurus segmina barbæ?
Omnia legitimi stipendia militis vsque
Vt subiens, gradibúsq; gradus prouectior addens;
Tandem tarda ferat supremi insignia fasces
Consulis, imperio tum demum ritè secundis
Additus auspicijs, gnaro quum bellica censu
Munia perdidicit, longo ordine ad vltima vectus?
Hei mihi: si vlla ducis nostri statuatur imago
Ante oculos, nitidi, & compti: dein Dite canora
Threicij vatis cithara cum coniuge mulsis,
Horrida ductoris veteris ferrugine multa,
Adsit ab Elysijs quæuis nunc sedibus vmbra,
Acre quid, & toruum vibranti lumine spirans,
Hirta comas, largóque genas à sole perusta,
Crura, manúsque super rigidis durata pruinis,
Et validos instrata pilis pulposior artus,
Pectore cui aduerso ruget non vna cicatrix
Indomitam pellem à pluuijs, à frigore, ab æstu,
Tota super iustis testudine tectior armis,
Nusquàm exuta humeros suetos thoraca trilicem

Dum

Dum Bellona vigens suspectos arguat hostes,
Posse renascenti quicquam tentare duello:
Quóque sui ad viuum, & plenè magis exprimat omnem
Idolo effigiem, ceu quondam prælia ferri
Romanus patrio miles pro more solebat,
Quid galeæ cauda conus si nutet equina,
Ex humero clypeus læuo propendeat imos
Æneus vsque pedes? medio micet aureus vmbo?
Terna manus crispet præacuta cuspide pila?
Inde breuis lateri, sed non sine pondere iusto
Cingatur gladius, lethalia vulnera punctim
Doctus in hostiles mucrone impingere vultus?
Tum plenè speciem memor ipso extendere passu
Militis, & motu quiddam præstare virile,
Horrendam incompto totam se præferat ore?
Quòd si animos illi antiquos, & corpora rursum
Restituat viuo Diûm pater, æthere summo,
Qui iuga nymboso tonitru Acroceraunia carpit,
Collapsisque iterum iubeat succedere castris,
Aut Decium, aut Fabium intonsum, verúmue Camillum,
Talis in aspectum exanguis quum prodijt vmbra,
Quantus erit, qualésque indignans colliget iras,
Quum videat clypeos nullos? non robora palo
Præformata acie longùm præludere ficta,
Ante grauis iustam quàm proferat alea pugnam?
Multáque prætereà congesta piacula, castris
Expurganda prius tetis, committere quicquam
Audeat informis quàm primo militis auso?
O quoties Superos testatus, & atria celsi
Summa poli, passis manibus, vultúque supino
Infrendens, femur explosum cingente corona
Percutiet, trepidæ per magna silentia turbæ?
Tum super adijciens verborum fulmina, & altæ
Spem dubijs solitæ frontis promittere rebus,

Et populare genus victus, somnúmq; tapetis
Mollibus exceptum nunquàm, sed corpora duro
Fessa solo sternens, lapidosæ & tædia cautis
Ingrediens pedibus nullo discrimine, qualis
Traianus toties occasum emensus, & ortum,
Quamuis Cæsar erat peditum pedes agmine mixtus,
Et nihil indulgens Cereris sibi lautiùs albæ,
Quàm quod turba vorat, nec dulcis pocula Bacchi
Vlla bibens, mixto sed proxima flumina aceto,
Vsque suo similis castrensi ex plebe Quiriti,
Illum etiam exemplo formauerit induperantis
Cuncta pati, & nullas dehinc suspirare relictas
Delicias: fidet recta dux integer arte,
Lenior in reliquis: sed inexorabilis, vllo
Si peccet cuiquam castrensis regula pacto:
Hic fustes, virgásque super, sauásque secures
Inferet: hic decimum quemuis sors extrahet orco.
Res dura: at patriæ maiestas talia coget
Moliri, & palmam inuicto meruisse labore.
Noster, ab auratis cunis, plumáq; paterna
Prorepens, nullóque prius sub puluere membra
Edurata ferens, nec saltem instructa natatu,
Per tua (flaue Tiber) campi à sudore fluenta,
(Quippe genus clarum) dux fiet & induperator,
Antè rudis tyro quàm vix de nomine norit
Castra quid, aut miles, vallúmue, aut quid sibi structas
Signa velint acies, noto præeuntia gressu?
Nulla pedes, socio permensus cuncta labore,
Castra loco figet prudens ante omnia tuto:
Excubijs tantùm fisus non agmina fossa,
Insupèr aut plexo curabit cingere palo:
Quæ fuit antiquis industria summa tuendi
Noctis ab insidijs iugulos: Laërtius ex quo
Incustoditi subijt tentoria Rhesi.

Omnia

Omnia legatis mittet curanda: perito à
Milite si quis adest, pugna documenta sub ipsa
Mentis inops capiet: tum primùm casside vertex
Inclusus gemet insueti sub pondere ferri.
At neque consilijs hostis, nec viribus altè
Perspectis, aliena loci nec si vrget iniqui
Conditio, insano proferri signa tumultu,
Insternique acies vno de more iubebit:
Iam votas acies (mirum) ni vesper Olympo
Antè diem liquido Oceani quàm gurgite tingat,
Mittat ad infestas vmbras inamabilis Orci.
Nam ducis ars tantis impar si claudicat ausis,
Quis non tyronem obiectum miserescat iniquis
Casibus, erroris culpa moriturum alieni?
Quum ruit ignarus manifesta in vulnera, nondum
Sanguinei Martis casus expertus amaros,
Sæpiùs ex minimis, versa vice, prælia causis
Nunc effusa fugæ, dudum victricia, dantis?
Quippe (reor) tritum est ducibus turbata hodiernis
Agmina concinno sensim duplicâsse receptu,
Hastatósque nouæ rursus committere sorti:
Tum quoque, læua fluat si bis Bellona, refectis
Ordinibus, nondùm se despondisse, ruentem
Excipiat surgens si fortè triarius hostem:
Tritum etiàm ancipitem sub sera crepuscula pugnam
Distraxisse, nouo reduces iterúmque phalangas
Manè animo, porta decumana educere castris:
Nil minus: immò aliquid titubaueris impete primo,
Velitis intereat manus, aut nutantia fila
Pulsa loco princeps referat, paulò vrgeat hostis
Liberior, clamore suam simul exacuat spem,
Extemplò conuersa retrò vexilla videbis
Præcipiti properare fuga: manus vltima fœdè
Terga dabit primùm, & socios intacta relinquet.

Tum verò, an ſparſos repedare ad caſtra maniplos
Velle putas? noto vt tuti condantur aſylo?
Caſtra? quis hoc hodiè vel ſomniat? immò age, toto
Littore palantes pauor exagitabit, vt æſtro.
Actum eſt: longa dies iterùm hos, qui fortè ſuperſunt,
Vix dabit acceptis animis Mauortia tela
Contrectare manu, aut ſpem ſolam ponere in armis:
Tanta per inſuetas it conſternatio mentes.
At ſi fortè duces dudum auerſatus ineptos
Poſſe putes fieri, vt ducibus ſocordia compar
Militis ignaui latum non quadret ad vnguem,
Quem dabis (hoc ſi tu iſtorum dignabere quenquam
Nomine:) qui exiles ſaltèm delineet vmbras
Priſci operis, nota propriæ ſtatione cohortis?
Quum nemo ad numerum, clypeo qui inſcribitur ipſo,
* Cæſura. *Iam ſciat ordinibus * aciem ſeruâſſe receptis?*
Longum opus, & ſolido peragenda volumine culpa eſt:
Quòue, quibúſue modis, caſtrenſis turba latronum
Colluuies, hodiè conuellat iura vetuſti
Martis, & indigno maculet decus omne pudore,
Incuſtoditæ tot ſæcula diſciplinæ.
Siue meos memorem, ſeu quauis ſede profectos,
Gallus, an Heſperius, ſtagnantis an accola Rheni,
Prodeat, an fuſcus ſuccinctæ molis Iberus,
Omnibus hoc vitij eſt: communi & nomine cunctos
Inſimulo: ſolis ſtatuas ne fortè Britannis
Erratum hoc veteres iamdudum abolêſſe triumphos.
Immò equidem (vt nunc ſunt homines, & tempora) lapſæ
Militiæ quoſquam dignatos laude, vetuſtis
Æquiparare aliqua ſi vellem ex parte maniplis,
Ah pudet, at propiùs conferrem barbara Turcas
Agmina, legitimis quamuis non barbara caſtris
Ordinéque, & victu, & veterani militis arte,
Atque animo ducis imperijs parere parato,

In quæcunque vocet non detrectata pericla.
Quos quoniam duro armauit tolerantia, ne quis
Miretur toties, nostri per vulnera probri,
Afflixisse nouis Europam, Asiámque trophæis,
Tótque vrbes strauisse solo, nunc rudera, claris
Quondam opibus fretas, iusti dum cura Gradiui
Affuit, & lætis nutrix concordia rebus.
Nunc pridem contempta lues, se próripit vltrò
Insultans, audétque nouis incessere cœptis
Diuulsos animos populorum, nomina Christo
Qui benè quum dederint vni, discordia vinclo
Tela tamen rupto, versi in sua viscera torquent.
Scilicèt, hoc poscit pietas? sic itur ad astra?
Atque isto Superûm placamus numina pacto?
Non deerit, veteres qui sanguine libet ad aras,
Nec qui cæde virûm desuetas tingat arenas,
Donec laxa noui regis surgentibus annis
Ambitio, læuis palponum vocibus acta,
Queîs turbare placet (furandi plurima turbis
Nam seges exoritur) iam se iactantior ipsa
Proruat, atque aliquem præceps sibi deligat hostem.
Quo studio, quibus aut titulis, si fortè requiris:
Dispudet, & non est tanti gestâsse tiaras,
Huic, si fortè alias olim meditatur Olympo.
Attamen has etiam, aut Anius, vel Delphica quisquam
Interpres, cui ius reserare oracla licentèr
Promittet, stimulísque accensum hortabitur vltrò.
Ille Deos simulans, perget: verùm abdita cæci
Causa mali, tacitis penetralibus errat Erynnis
Multa mouens, largóque inuoluit cuncta tumultu.
Intereà leges, & fas, & iura Deorum
Inter tela silent. Qui regna aliena proteruus
Conquassat, Nemesim insontes crudelitèr vltam
Inueniet proprijs iecisse penatibus ignes.

Curre domum, & largis extingue incendia lymphis,
Si potes, ah demens. En quò discordia mentes
Perduxit miseras: frigescit vulnere virtus
Iam toties violata nouo, pietásque, pudórque
Exulat, & tantùm magni nunc nominis vmbra est.
Atque hos (ô ciues patriæ cœlestis) iniqui
Inter nos odij, decerpimus arbore fructus.
Ipse Pater, summo qui hæc æthere singula cernit,
Auersans aliò vultus deflectit, & altas
Indignato animo iamdudùm concipit iras.
At super insurgens animis violentior ille
Nomina sub signis statuet conducta, quot olim
Non tulit Antiochus, multùm irridente monoclo,
Qui profugus canas Lybia memor extulit iras,
Vsque tenax odij, impubes quod vouerat aris.
Hic cataphractus erit, totúmque panoplia condet:
Hic leuibus gyris agiles præuerterit Euros:
Hic arcu potior, funda alter: at ille bipenni:
Hic extenso equitem melior propellere conto:
Tum caua lethalem eructat cui fistula glandem,
Creber fulmineo referet Salmonea bombo.
Feruet opus: pleno princeps iam lætior ore,
In digitos coget numerúmque, & signa, suilli
Omnia sed generis: nec quicquam, vbi ad arma redit res,
Agmina quàm leuium variè condita Syrorum
Sueta quidem sæuis stipendia poscere verbis,
Terna, quaterna simul, nullo repetita pudore:
Queîs exhausta hodiè non vlla æraria certent:
Deliciásque super, quales si prisca Quiritum
Turba poposcisset furuo satur ilia farre,
Nunc Carthago foret, Byrsæque arx alta maneret:
Nec lauros solidum virtus Romana per orbem
Votiuas rediens, Tarpeia sede locâsset.
Vnde (quod indignum est) si quis nunc quærat inerti:

Penelopes

Penelopes tanquàm telam, sua bella tumultu
Quum toties texant reges, iterúmque retexant,
Damno equidem afflictæ plebis discedere vtrosque
Cur videas, lauris suetum Pæana canentes:
In promptu causa est, tanquàm si Bacchius alter
Concertare Bitho Vulcani pergat in armis.
Pugnatur, totósque fluunt sudata per artus
Prælia, seu potiùs præludia: denique nullum
AEs vbi conatus, patriæque querela diremit
Iam sua suprema testantis funera voce,
Conciliant animos, simulata pace furentes,
Tantisper, dum parua trahant spiracula ciues,
Rursus in adscitos vt soluant æra latrones.
Atque ita, si paucos hodiè victoria mulctat
Finibus, aut toto pergens diademate nudat,
Nil mirum: volat hinc, atque illinc Palladis ales
Noctua, consultis succurrens dextra sinistris.
Quòd si iterùm antiqua dux quisquam prodeat arte
Instructus, solito veterani & militis ausu,
Huic ego nec metas vllas, nec claustra ruenti
Constituo: oppositis fidant quantumlibet hostes
Præsidijs: Quid enim? fretus campestribus armis,
Castrorúmque potens, operosis mœnia fossis,
Illa quidem decimum quamuis claudantur in annum,
Arbitrio tandem coget submissa patere:
Quum ferrum, & cautes, & Nummantina ferocis
Pectora propositi maior patientia frangat.
Intereà hæc oculis quisquam nunc agmina siccis
Bellantum aspiciat? nostro quæ more cruentis
Rariùs inter se pugnis concurrere sueta,
Innocuos plectunt nec opina clade colonos?
Et miseros ciues? quos hoste nocentiùs ipso
Sæpè quidem spoliant, morum quoque stigmata fœda
Linquentes, tetra corrumpunt omnia labe?

Haud ſecùs ac torrens, vdos qui turgidus imbres
* Synæreſis. *Quum malè ſuſcepit, laxóque emittitur * alueo,*
Cuncta rapit, pecudes voluens, pecudúmque magiſtros,
Et ſtabula, & pagos, & templa euerſa Deorum,
Nil tactus picti formoſo tegmine prati,
Nec parcens culto verſis radicibus horto,
Non ſata, non mites linquens ſpes fertilis arui,
Longo iterùm antiquæ reddendas vomere glebæ:
Vſque adeò informi limo, atque vligine campos
Obducet, ſteriléſque ſuper cumulabit arenas.
Antè leues ergò non ſcandent æthera flammæ,
Aut graue rupe cadens deuexo tramite ſaxum
In medio curſu librabitur aëre pendens,
Quàm genus hoc hominum infidum ſua vulnera ſtipi
Proſtituens, patriæ ſuccurrerit vnquàm alienæ:
Quæ ſi fortè ſonos humana voce referret,
Hijs conſulta ſuper, quænam ſententia menti:
Ipſa ſuos proprio, ſic fata inflecteret ore.
Dij tantum prohibite nefas: nec Pallas Athena
Hoc irata velit: quiſnam vos abſtulit error?
Ergò ego, quæ genui ciues, exotica cernam
Agmina, ſpem veſtræ potiorem afferre ſaluti?
Corripe tela manu ſanguis meus: vtere & armis
Tute tuis: equiti dorſum ſemel, oráque fræno
Si inſueſcunt: iam te campis depellet auitis,
Qui tibi mentitum tantiſpèr præbuit vſum.
Néue mihi imbelles iſta regione, vel illa
Commemora genitos: tanquàm ſi climata fortes
Efficerent, non mos patrius conſuetior aſpris.
Immò age, momentum cultus regione ſub vna,
Atque vno in populo, ſi nil diſcriminis affert,
Dic mihi, quid fortes olim, verſo ordine Perſas
Mollijt? atque iterùm priſco redimiuit honore?
Quid molles Arabas? recutitos & Mahumetis

Diſcipulos,

Discipulos, toti tantum non intulit orbi?
Victa iacet certè Danaûm manus, & fera Thracum
Corda, metu obscuri nil pristinum acinacis audent.
Paruáne cetratos laus bellica vexit Iberos?
Parua Gothos, celso dictantes iura Toleto?
Num timuere tamen, gens abiectissima, Mauri
Hijs inferre manus, patriísque expellere regnis,
Dum fortuna stetit, virtute afflata secunda?
Verùm ego quid memorem conamina versa virorum?
Postquàm & Amazonijs Asia immoritura sub armis
Nec muliebre genus bellantûm excluserit ausis?
Crede mihi, fortes, animoso & pectore ciues
Non natura facit, totum hoc sibi vendicat vsus,
Arte regens certa, laudúmque immissa cupido:
Qua sine, si claro non vlla est gratia facto,
Si virtutis amor nullo extimulatur honore,
Atque æqua ignauus sustentat præmia forti:
Iam non egregios vltrà deuota per ausa
Custodes, patrijs cernam profundere in armis,
Quam tribui, vitam: memor vt gens tota nepotum
Quum benè iactat auos, pietatis imagine gaudens
AEdat & ipsa aliquid proprium, velut æmula facti.
Hæc Patria, accendens animos. Dulcissima Siren
Gloria, sensim etiam studium suffundet honesti.
Haud sum equidem ignarus sacri quid pagina scripti
Dictitet, atque lubens amplector quodque modestum.
Hîc tamen hijs stimulis demptis ciuilia quisquis
Officia inculcans, cœtus conformat apertis
Iudicijs, secreta Deo discrimina linquens,
Præmia si tollat laudis, nec dedecus æquum est
Adijciat fœdis, si quis deliquerit ausis.
Vna etenim, atque eadem ratio contraria spectat.
Quòd si animos viles deterret opinio turpi,
Illa etiam generosa impellet pectora honesto.

Quum facinus pulchrum laus, & sua fama sequantur,
Pœna reo si stet, stent & sua præmia digno,
Nec metus hinc instet maior, quàm debita contrà
Spes oculis coràm statuat præconia facti
Egregij. Viuat canos celebratus in annos
Veste triumphali tectus, digitóque notatus
Indice, qui quiduis patriæ memorabile gessit.
Atque equidem hoc vnum (quum lex acerrima apud nos
Tam variè insurgat vitijs, plectátque nocentes)
Valdè etiam prudens nostris desyderet oris.
Quod non pœna metu, quod non tormenta, nec vlla
Vis queat ingenuis vnquàm extorquere minando,
Paruula blanditijs euincet machina linguæ
Laudantis. Tanti est spectato principis ore
Prodita vox testis: medio ceu puluere circi
Nobilibus hortator equis auriga Metiscus
Instet, & extremam populi plaudente corona
Ad metam decoris non inscia pectora trudat:
Illi acres glomerant cursus, flant naribus ignes,
Attollúntque ardore iubas, micat vngula campo
Ferrea, nec requies cupido datur vlla labori,
Cærula dum prasinum rota prælegat Automedontem.
Aurea tum clamor studijs circensibus astra
Dissonus, ipsiúsque ferit caua tecta Tonantis.
Quòd si laudis amor tanta dulcedine brutis
Insideat: quid nos æquum est sperare, futuri
Iam memores? sero tanquàm res certa nepoti
Hoc demùm transmissa modo, & post fata superstes
Viua per ora virûm fama auctior euolitaret.
Præmia quocircà ne desint debita forti.
Præmia si tollas: periêrunt Palladis artes:
Et castrense decus, ratióque inuenta coronæ.
Hæc etenim positæ in medio superaddita palmæ
Spe simul innumeros implent: quæ quilibet optat

Vnus,

Vnus, & alter habet. Quidtum? certatur ab omni
Erecto, & totam exercent conamina turbam.
Non minùs atque ista messis succreuerit arte,
Quæ placet, & Gallæ iamdudùm tritior aulæ est.
Egregios etenim iuuenes, Mauortia corda,
Ingenióque bonos quorum facundia linguæ est,
Qui patrijs princeps optat duo lumina rebus,
Discat honorato gaudentes munere primos
Et lateri comites, ludísque adhibere sodales.
Persica plebeis maiestas fortè seuero
Ritè supercilio seruabitur (vllus in vllo
Principe si fastus quoquam benè tempore constet:)
At verò erectos animos, & libera læuo
Ingenia istorum quisquis molimine frangit:
Bis peccat, patriam ornamentis, se quoque demens
Pectoribus spolians fidis. Quid proderit exin
Verba audisse metu dudùm demissa suorum
Ore tenus blando? manet alta mente repósta
Spernentis facies, tantíque iniuria fastus.
Scilicèt obstructos i post, atque elice sensus:
Dic Crito: dic tu Hegio: nos verò vt lumina flectit
Noster Alexander, vultu pendemus ab illo.
At iubeo: at miseri casus Callisthenis obstat.
Vera feras vnquàm, si non & libera perfers
Dicta, nec ingenuo succenses pectoris albo:
Compellere licèt fælix, faustúmque salutent,
Et pulchrum, & solum fortem, solúmque profundi
Consilij, & toties regem, dominúmque, Deúmque:
Iam miser es, titulis tantùm quia defuit istis
Regibus inuisum suspecto nomine verum.
Ista sed argutæ ne dicar scrinia Stoæ
Inuasisse, lubens illis tractanda relinquam,
Qui propriè ethologus mulcent sermonibus aures.
Nunc redeo, vnde abij: laudémque & dona merenti

Instituisse super condignum regibus aio
Hijs fore, qui patrijs generosum crescere in oris
Sana mente velint. Quaris cur Palladis artes,
Quæ benè tecta sua quum misceat ægide pugnas,
Non minùs, orta Iouis cerebro, prætendat oliuam,
Longo alijs iubeam cunctis præcellere honore?
Dicam: pacis opus, finem cuiuslibet vrbis,
Curia consilijs procurat cana togatis.
Quòd quum opere in toto nil fine insignius ipso est,
Huius item artifices alijs ante ire decorum est.
Parte alia ingentes animos, & prodiga vitæ
Pectora, quò patriam reddant ante omnia saluam,
Heroäs velut esse puta, viuósque colendos,
Et post fata suo repetendos carmine Bardis.
Non omnes tam inuicta obuertunt corpora Marti:
Rarus & ille fuit semper, manifesta pericla
Nominis, & famæ studio, qui sponte peregit.
Attamen hos cultus melior dabit, & pia regum
Cura semper, meritis si stent sua præmia iustis.
Dignum erit hoc etiam nostro perstringere versu,
(Quandò obiter locus huic se offert) qui bellica princeps
Corda suis optat, primus Mauortia tela
Ipse manu crispet: primus fulgentibus armis
Conspicuus lætum fidentiùs antè eat agmen
Aspiciet turmas latè properare sequaces,
Voluere spes animo ingentes, contendere factis
Ipsa ante ora ducis testatam ferre coronam.
Aut si (Iane) tuas bifrons compingere valuas
Ille paret, versos & sedet pectoris æstus,
Arma ferenda sacris dans postibus: haud mora, curui
Iam resides enses in formam vomeris ibunt.
Ille colat Musas: certatìm turba caballi
Bellerophontæi sacras properabit ad vndas.
Prodeat ille foràs peregrina veste notatus,
Barbara

Barbara vulgus item magno mercabitur ostra.
Ductitet ille choros, saltabitur: exigat altos
Bacchus iners soles regali effusiùs aula:
Plebs eadem cyathis repetet certamina Græcis.
Denique, spectato exemplo proponitur omni
Dux operis populo: non reddit imaginis vmbras
Oppositæ speculum quascunque exactiùs, acri
Quàm studio regis mores plebs simia fingit,
Talis in archetypum, qualem se protulit ille,
Albus, an ater erit, cui ius præscribere cunctis.
Ergò illi Mars armipotens spectacula circo
Sæpius effusum populum per equestria reddat
Intentum, fictásque acies concurrere in armis,
Et simulare fugam, nunc vi se vertere victos,
Rursus & ordinibus pugnam instaurare refectis
Instituat, turmas equitum, tum cornua scitè
Explicuisse iuuet: mutet quadrata rotundis.
Nunc cuneos agitet, nunc aut testudine densa
Excipiat tectus ferratæ grandinis imbrem.
Insidijsque super varijs certetur: iniqui
Sustinuisse loci pugnam patientia discat,
Atque laborantes supplèsse recentibus: hæc si
Omnia vis maior, superétq; potentior hostis,
Non nihil est tuto ciues seruâsse receptu:
Nec palante fugam extemplò profundere cursu.
Stent castra: excipiat socios custodia castris
Fida manens: animos spacium fugientibus addat
Nocte interposita: vt rursus crudelia manè
Indignante pudor fremitu certamina poscat.
Mille modi. Hæc oculis coràm proponere fictè
Crebriùs, & varijs regni pro partibus, omnis
Vt populus coiens veræ discrimina pugnæ
Ante sciat falsis non formidâsse sub armis,
Vna salus fuerit. Festi pars altera solis

Manè, Deo templis postquàm plebs vota peregit
Iudice me, studijs concinnè adhibebitur istis.
Quinetiàm exacto torpentis frigore brumæ,
Vere nouo, teneris quum formosissima vestit
Iam facies anni rediuiuam floribus herbam,
Tota manus iuuenum, quo nomine quemque citauit
Scriba, suis adsit ductoribus ordine certo,
Hic eques, ille pedes: distinguat munia census.
Patritia vt pubes famulum stipante caterua
Terga premat patulis spirantum naribus ignes,
Frænaq; nobilium spumantia flectat equorum:
Hoc illis studium, & pro stemmate debita laus sit.
Plebs aciem varia subeat pro classe pedestrem:
* Synæ. *Sublimis solio Censor non vnus eburneo* *
Consideat, spectet, pœnásq;, & præmia penset.
Patritium, strigosa trahat si equus ilia, mulctet,
Siue parum scitis distorqueat ora lupatis.
Turpe viro, titulos violare & nomen, equestri.
Dignus erit parma spectari inglorius alba,
Dignus item digitos cui gemmans annulus auro
Nullus agat circum: nec prima sedilia curui
Effuso in ludos populo meruisse theatri.
At plebeius homo, si non penetralibus ipsis
Et galeam, & clypeum, & proprium thoraca refigat;
Nec mentua gerens, nec quæ sibi mutua sumpsit,
Siue parùm tersis squallentior exeat armis,
Plectatur, totóque nouissimus ordine perstet,
Matribus, & pueris ridendus: nulla corollam
Huic formosa manu Phyllis protendat, olentes
Sed vetula vrticas ter circum tempora nectat,
Raucáq; per plateas redeuntem cymbala ducant.
At verò eximia specie, & fulgentibus armis
Qui micat, & palmæ propior longè omnibus ante it;
Prima ferat primæ gratissima serta puellæ:

Basiáque

Basiáque, in media quæ figat candida fronte.
Inuideat iuuenum circunstans turba coæuûm,
Et maneat spretis imo sub pectore fixum
Vulnus, vt illatam voueant sarcire repulsam,
Proxima quamprimùm indicat certamina Censor.
Qualis in vmbrosis taurus si vallibus albam
Riuali inferior suspirans fortè iuuencam,
Sola per ascensos meditetur prælia colles,
Et capitis postquàm conando cornua torui
Sæpius in ventos iactauerit, astra lacessens,
Rursus in antiquum repedans immittitur hostem:
Fit sonitus, duris respondent ictibus aër,
Atque lacus, caua saxa super, syluæq; comantes
Ingeminant, sæuisq; ardescunt flatibus auræ.
At quoniam insignis dubio sub iudice lis est,
Structa acie patulo quisquis decernere campo
Sustinet, an longis obtendere fila sarissis,
An clypeata breues malit restricta per enses:
Scire decet, (postquàm exemplis pars vtraque magnis
Nititur, hijs segetem hastatam, robúrque phalangis
A veteri Pella, gestisque Macedonis orsis,
Hijs contrà inuicti memorantibus arma Quiritis,
Et legionis opus, toto victricia passim
Nedum etiam Æmathiæ quod iura subintulit orbi)
Semper, ab euentu quum regula tutior extet,
Hic tibi qui vicit, potior statuatur: iniquo
Nunc omnes studio, clypei gestamina damnant:
Quàm benè, si rursus cuneos clypeata virûm vis
Inferat, oblongi dicet spes irrita conti.
Quantumuis aliqua telum hoc pro parte probari
Nemo eat inficias: quis enim non fronte locârit
Agminis hastatos aliquot, si fulmen equestre
Ingruit, vt primas protelent eminùs iras?
Ast habilis, pugnæque parabilis, ordine denso

Qui momenta putat, quantúmque intersit vbique
Posse locis agiles enses euoluere iniquis,
Vix benè quod longæ permittet sylua sarissæ:
Præterea, clypeo quantum vtilitatis in ipso est.
Missile ferrato seu telum vmbone repellat,
Siue aliter patula gestantem protegat vmbra,
Nunquàm equidem oblongis fidet protensior hastis
Propulsare bonis quantumlibet ordine certè
Luxato, insuetis turbata reponere fila,
Seu mutâsse vices, frontémue obuertere tergo.
Quod facilè est breuibus certant qui comminùs armis.
Præterea vt punctìm detur lethalior ictus,
Attamen & cæsim transuersi iuuerit ensis
Plaga grauis, vario miles si vulnere dexter
Impetat aduersos, nec simplice Marte fatiget:
Quin suus atque aries, sunt & sua fortia scutis
Non minùs, obtentis quàm propugnacula contis.
Scuta (viro si vir iuncto benè corpore constat,
Proximus & primo confertìm accesserit ordo)
Plexa simul stabunt, ceu murus aheneus, vno
Et simul vrgebunt hostem tot millia nisu.

LIBRI QVINTI FINIS.



DE REP. ANGLORVM INSTAVRANDA,

Liber Sextus.

HÆc igitur pugnæ ratio ſeruanda pedeſtris
Eſto, vbi dumoſa laterum compage, rigentes
Arua rubi, ſentéſq; obeunt: implexáq; in orbẽ
Sepes viua ſuis pro muro accedere fundis
Aſſolet, haud ſimplex aut incomitata, ſed oẽs,
Altera ab alterius dependens obice tractus
Quæ latè incingat, ſerie inſuperabilis ipſa.
Præſertìm annoſo ſi pangat brachia ductu,
Atque attonſa nouis tanquàm Hydra repullulet vſque
Induuijs: olim ferro irritata putantis,
Quæque renaſcendo, capitis poſt fata, vireſcat,
Hoc operoſa magis. Tantum ars, & cura valebunt,
Quin natura ſuper: ſi fortè ingentia paſsim
Sponte ſua intactis concreſcant robora campis.
Quæ ſummis demiſſa iugis decliue locorum,
(Ollis ſi natura loci, geniúſque placebit)
Haud rarò inuaſiſſe volent: nedum horrida ſyluis
Dorſa putes tantum montana obducier: imæ
Plærunque & valles vmbra frondente nigreſcunt,
Stántque ſuis etiam campeſtria ſaltibus: vt nos
Planicie in media nemus ingens ſæpe fatigat,
Sæpè humiles denſa obſiſtunt compagine colles,
Quò minùs immiſsis præceps equitatus habenis
Irruat, aut pleno contendat concitus æſtro.

Nempè, è re natum auxilium Dea calua ministrat,
Qui variante situs natura cautiùs vti
Nouerit: vt populis plærunque stat Europæis
Terra crepidinibus, atque interstincta salebris,
Flumine, monte, via angusta, pressisue myricis,
Sæpiùs alipedum frustrantibus agmen equorum.
At si planicies spaciosis omnia arenis
Excipiat, Parthis vt crebrò cernere campis
Romani potuere duces, vix altius vlla
Qui vulnus cepere loco, quàm laxa fugaci
Bella vbi cautus eques gyro miscere solebat,
Missile in elusum contorquens eminùs hostem,
Securus leuitate fugæ, docilique recursu
Bellatoris equi: tali pro Marte, locóque,
Quantumuis patrijs legio se venditet armis,
Tu genus hoc dispar pugnæ cauisse memento:
Nec te pœniteat luctantia quadrupedantum
Pectora pectoribus, frontémq; opponere fronti,
Quò parili posset plecti manus hostica sorte.
Nos verò patrijs non sempèr prælia terris
Miscemus, nec (vis maior ni presserit) vnquàm
Admiscere velim: longinquis tutiùs oris
Illa vafer Pœnus quæ suscipienda ferebat.
Nec quocunque loco (motis variabile castris
Nam se offerre solet) facile est se iugitèr ijsdem,
Improuisus eques si prosilit, indere septis.
Ergò etiam hac patrius nobis instructior vt Mars
Parte queat prodire, nec vlla claudicet impar,
Rectum erit (audite ò ciues, & verba profundo
Concipite hæc animo, quæ non sine pondere dicto)
Rectum erit indulsisse gregis propagini equini,
Cura alia, quàm quæ nullo discrimine formæ,
Aut generis, passim nobis promiscua surgit.
Nullus enim, aut rarus nunc admissarius vllis

E stabulis

E stabulis prodire solet, iuueniliter altus,
Integer atque æui qui spem promittat opimam:
Sed plærunque comes lateri communibus herbis
Vir loculos matri generosæ ignauus, & excors,
Semine præuertens vili, vilissima gignit
Pignora, quæ nullis Mars vnquàm admittere castris
Sustineat, nullis aut circi cura quadrigis.
Tu verò, hoc vitij propria sarcire medela
Si cupis, amotis maribus lectissima equarum
Agmina dumosis depascere saltibus herbam
Institues tacito gaudentia sæpè recessu,
Fons vbi vicinus scatebrosis bulliat vndis,
Plurimáq; optatas stirps quercea porrigat vmbras,
Solis ab æstiui radijs, stimulóq; proterui,
Qui nocet armentis longè infestissimus, œstri.
Hinc illis sub vere nouo manifesta libido,
Et dulcis furor inguinibus proludet hiulcis,
Vt saturæ iacténtque iubas, largóque ruentis
Hinnitu cieant gratissima vota mariti:
Qui tandem eductus stabulo, & securus amorum
Regnator vacuo in campo, genitalia matri
Admissus decima generoso semine solus
Impleat: vlteriùs Venerem cohibeto salacis,
Ne vigor ob nimium genitalis langueat vsum.
Sic tibi præstantes genitrix vernacula pullos
Ore viri, specie atque ipsa, maculísque decoris
Threicij, aut quauis oriundi ex stirpe reponet.
Vt neque tu pullos posthàc quos Thessala Tempe,
Nec quos ad vitrei lætissima prata Choaspis
Medus habet, tanta studeas conquirere cura.
Pascua nam certè terris quum pinguia nostris
Immortale virent, quum tot leporaria amænis
Vndique nobilium villis contermina prostent,
Septa suo vallo, palísque è robore fisso:

An non corda virûm quiuis tam blitea rectè
Arguerit? magno ignotis mercantur ab oris
Qui genitos, proprijs præstantia corpora equorum
Quum possent paruo, & facili, progignere terris?
Nam neque saxosi vitium prætendere fundi,
Per iuga summa queant, nec stare vligine prata,
Nec salientis aquæ venas non ire perennes
Vallibus, aut campis soles, aut saltibus vmbras
Quæsierint, vteris nec grata cubilia fessis:
Nec culpâsse queant æstus, aut frigora, iusto
Quæ maiora nouos lædunt vredine fœtus:
Nec quiduis, nisi desidiam. Postquàm optimus ille
Henricus patriæ laus, & tutela Britannæ
Octauus, studio ardenti generosa remotis
Commercans terris lectarum corpora matrum
Et marium, quos Hebrus alit, quos Phrisia tellus,
Quos Batauus, quos Parthenope, quos Bætica mittunt
Pascua, cursu ipsos suetorum vincere ventos,
Propaganda suis, fausto conamine, regnis
Intulerat: quorum soboles non degener ipsos
Præuertebat auos, magni dum sceptra manebant
Regis inexhausta pensantis singula cura.
Nunc collapsa retrò tam pulchra armenta per vmbras
Cum domino periere suo: nec denique damni,
Hactenùs, aut probri meminit gens postera tanti.
Quam ni continuis stimulis lex arcta fatiget,
Exemplúmue sui præeuntis singula regis,
Aut tandèm vtilitas præsens, manifestáque nonum
Quæ non præcipitum spes vsque extendat in annum,
Vix dabitur solo socordia pectora pulchro
Erigere: vsque adeò torpentes copia reddit
Fertilitate nocens, tam pinguis & vbere glebæ,
Quæ fortunatos nimiùm, facit esse supinos.
Lex itaque herboso dominum cui pascua surgunt

Læta solo, si non aliquot procuret equarum
Corpora fœtiferûm, laudata ex stirpe, marito
Iungere, qui pulcher pulcherrima pignora gignat,
Mulctet, vt ingratum patriæ: simul irroget vltrà
Quiddam ignominiæ: pudor ipse impellet honesta
Mente viros, largo probrum amolirier ære.
At qui armenta fouens, pullorum pulchra quotannis
Agmina, spem belli curat nutrîsse futuri,
Indulgens generi eximio, vt propagine lecta
Succedat soboles prælata parentibus ipsis:
Huic contrà eximios lex ipsa indicat honores,
Muneráque, insignem collo circumdare torquem:
Præterea, quicquid populo spectante profectum
Quamlibèt exiguum patriæ dat nomine censor
Gratiùs oblatis sine causa, aut teste, triumphis.
Aureus hinc demùm paulatìm se ingerat, & mos,
Patricium non tam signis, pictisue tapetis,
Aut abaci auratis cyathis, structisue superbo
Marmore porticibus, mirantis singula vultu
Hospitis attonito captare encomia ficta,
Quam potiùs solidis verum decus ornamentis
Quæsisse: insigni imprimis si bibliotheca
Pars interna domus niteat: si Martius inde
Polleat æquè etiam insigni locus alter honore,
Armorum omnigeno generi latera vtraque custos
Pensilium præstans, quæ (si vis ingruat) altis
Nictu oculi pubes dempsisse domestica possit
Postibus, & notis thoracibus induere artus.
Tum quoque (vt hæc adsint) ni fortunatior iste
Contiguis possit numerosa ab equilibus, alti
Et benè curati producere terga caballi,
Qui postquàm accessit propiùs nudator equiso,
Ostentet pulchros clunes, pulpósque torosi
Pectoris, & teretes aures, & colla iubante

I

Cæsarie, & parui capitis ſpiracula nares
Præpatula, & quicquid reliquum laudabit equinæ
Spectator formæ, mirum ni emunctior alter
Barbaricas ſtolidi naſo ſuſpendat adunco
Diuitias, quem non digito ſaltem annulus ille
Admoneat, tituli ratio quid poſcat equeſtris,
Et genus, & clypei ſpecies prælata vetuſtum
Armorum ob ſtudium, & crudi decora alta Gradiui.
Qualis enim gnaui domus horrida iure coloni
Laudatur grauibus raſtris, multóque ligone:
Qualis & vndoſi maris accola retia paruis
Præ foribus ſiccans, mauult rorantia circum
Tendere parietibus, quàm vela rigentia byſſo:
Qualis item exeſor ſatagens pro fœnore diro
Alphius emuncti ſignata cruore nepotis
Nomina ferre domum, pluris facit ipſe tabernam
Ad Ianum poſitam, quàm quæ pulcherrima ſurgant
Exquilijs, ſemota ſuo palatia lucro:
Exin, non tabulas idem tam poſcit Apellis,
Signa nec inſignis Phydiæ decora addita tectis
Aſpexiſſe ſuis, quàm ſi conclaue receſſu
Aedibus exurgat medijs, vbi plurima circum
Ferrea capſa queat Plutum ſeruâſſe repôſtum:
Talis nobilium debet domus alta virorum
Ipſa ſuis etiam liquidò innoteſcere ſignis:
Ne qui ſtemma refert, proauóque exultat equeſtri
Mollibus indignè poſtponat equilia thermis.
Atque vtinam ſi quis (nam ſunt natalibus orti
Obſcuris, quibus inuideat gens Claudia faſtus)
Si quis in hoc (inquam) ſeſe iactare theatro
Incipit, & ſtolidæ iam iam nouus hiſtrio ſcenæ
Inſeruire volens, tum perſonatior æquo,
Vt ſemel æs tetigit longo ſudore coäctum,
Grande tuens, tantùm non reges æmulus ipſos

Exinde

Exindè externis superare paratibus ambit,
Hoc saltem tantæ studeat superaddere pompæ,
Vilis equus, comptæue gradarius aptior vsu
Delicijs dominæ, titulo ne illudat equestri.
Néue suo liceat quemuis pro iure caballum
Scandere, Patricio qui stemmate vendicat ortum:
At validos sternacis equi solertior artus
Arte regat certa, & duris premat ora lupatis.
Nam bona quum nemo prudens sua ferre recuset,
Qui decus & speciem præfert non rusticus oris,
An spectatrici poterit placuisse puellæ
Vllo habitu magis apposito, quàm Gnossius ille,
(Scylla) tuum crimen, patrij per furta capilli?
Quippè vél imbellis præfert & fæmina robur
Audacis iuuenis, cultu formáque virili,
Quin sciat artifici doctus moderator habena
Quadrupedem rexisse ferum, & calcaribus actis
Irritâsse leui bis térque per aëra saltu.
Credo equidem (Cytherea) tuum post prælia Martem
Sic placuisse tibi: vos (ô iuuenilia amantes
Corpora) virginibus procedere comptiùs ipsis
Non pudet? aut formam speculo monitore probâsse?
Dura cutis Marti fuerat ferrugine multa,
Nec minùs obtinuit Veneris tamen oscula nudæ.
Vos (ni fortè rudem tete, Venus aurea, dicam)
Armigeros optent mollissima turba puellæ:
Quæ tamen inuictum latus, & setosa virorum
Membra probant, castris fortè haud minùs apta secũdis,
Illic, non totis dubia sub luce fenestris,
Dulce vbi, nec tanto miscet clangore duellum
Dux puer: at castris iuuenes maioribus aptans,
Mitto ego nunc faciles quæ malint bella puellæ:
Exemplóque velim pulchro spectatior vnus,
Atque alius, tantæ iaciant fundamina moli.

Exempli si fortè cupis cognoscere vires,
Peruolat, & reliquam trahit in conamina turbam.
Si placet, atque aliàs commendat opinio primos
Autores: totis nil præter ephippia cernes
Artifici transuta manu prostare tabernis.
* Synæresis. *Crebrior vt sonipes bullis spectabilis * aureis*
Spectatum iuuenem dorso vehat, ille plateas
Siue terat, campósue adeat, siue atria regis
Celsa petat: nec rex desit conantibus ipse,
Si cupit inceptos longùm durâsse labores,
Spectet, collaudet, proprio nonnunquàm ab equili
Donet equo iuuenem, simùl addat verbula donis.
Artes nutrit honos, excelsæque indolis esca est
Gloria: principibus qui se probat, ille fauentes
Municipum voces, & plebis sentiet auram.
Atque ità non magni sumptus, magníue negotî
Res fuerit regi cordato, regna caballis
Orba priùs lectis, numero supplèsse recenti.
Poscat opus? delectus equorum corpora totis
Finibus expediet numero certantia priscis
Persarum armentis: vt cunctos vngula campos
Atterat, argutísque onerent hinnitibus auras,
Millia quot nunquàm Bactris eduxerat vnus,
Natalı risisse statim qui dicitur hora.
Omne tamen punctum qui iunxerit vtile, tollet,
Vtile, in humanis cui tanta potentia rebus:
Maxima pars hominum non tantùm assurgit honesto:
(Quippe genus rarum semper fuit, atque bonorum
Semper erit, placeat per se quibus inclyta virtus)
Sed simul vtilitas si affulserit, omnibus omnes
Tunc tendent neruis coniunctum tollere vtrunque.
Proderit ergò cato, regni in tutamina, regi,
Digestas equitum turmas, lectissima toto
Corpora præstantûm iuuenum secernere regno,

Qui

Qui ducibus certis ſueſcant parere, perennem
Atque ferant, quantum ſatis eſt pro munere, ſtipem.
Ne dubitet princeps mandâſſe, ſatellite cinctus
Tam fido, inde foris metuet conterminus hoſtis
Procinctum, inde domi maior reuerentia creſcet.
Néue reformidet ſumptus: non vna parandi
Stát via theſauri, ſæclis incognita priſcis:
Quæ tamen hÿs, omnes vbi nunc æraria reges
Temporibus tanto ſatagunt auxiſſe labore,
Et noſtris ineunda manet, libramine iuſto:
Hinc ne deſtituant nerui, ſi bella potentem
Inferior nummis fruſtrà meditetur in hoſtem:
Illinc, larga nimis ne indulta potentia fiſco,
Deglubat miſeros regum ad ludibria ciues.
At verò hÿs ſtudÿs iam confirmata iuuentus
Quum videat ſtudÿs non rem, non defore honores,
Sempèr equo prætexta feretur, equo dabit acri
Acrior ipſa notas, quo ſanguine creta paternum
Ritè decus foueat, nec dedignabitur ipſa
Agnoſcenti adſtare, manúque offerre petitas
Fruſtula blanditias, docili per mille figuras
Procurſare foràs, & colla inflectere gyris.
Quinetiam pompas ficta ſub imagine pugnæ
Turma frequens (quæ prona annis, & prona virenti
Robore, iamdudum hanc votis quæſiuerit anſam)
Inſtituet: ruet hic leuior, Martémque laceſſet,
Infrænes Numidas curſu ſimilatus anhelo:
Ille graui exibit cataphractus tegmine ferri
Tardior. At cultæ matres, cultæque puellæ,
Ipſæ etiam ſpectanda cohors, ſpectacula viſum
Conuenient. Populus clauſo nunc Martia campo
Aſpiciet, patulis Veneris nunc ora feneſtris.
Fælix ille dies feſtus: fœlicibus vti
Qui longùm cupit, æripides præſepibus altis

Pascat equos. Qui nunc toti Centaurea proles
Nil præter phaleras iactant, & robur equinum,
Si nobis etiam tale accessisse videbunt,
Haud reor inclusos vndis & sepibus, vllo
Tempore velle aliqua posthâc incessere classe.
Restat adhûc patrijs Anglos armâsse sagittis,
Tela pharetratæ nec præteriisse Dianæ:
Illa dedit genti, volucres per deuia ceruos
Figere: Mars castris homicida subintulit, altum
Miratus tereti, paruóque foramine vulnus.
Scire iuuat tensis lunatus viribus arcus,
Fulmine quo dextram neruus si accessit ad aurem,
Læthalem excutiat, penna stridente, sagittam.
Mos Scythicus, latè Scythiæ expatiata propago,
Innumeras vario fixerunt climate sedes.
Omnibus vna tamen pictæ stat cura pharetræ,
Siue per Eöos tractus, & Caspia regna
Parthus eques refugis suspectior aëra telis
Obtenebret, gelidi Dacus seu toruus ad Istri
Flumina curuata iaculetur spicula taxo.
Nos genus antiquum à populis Aquilone profectis,
Nunquàm pœniteat proauos memorâsse, niualem
Qui reflui quondàm linquentes gurgitis Albim
Hijs sedes fixêre locis, atque Anglica sceptra
Firmârunt, pulsis, prisco qui more solebant
Esseda ferre rotis, & corpora tingere glasto.
Tum vario, ingentes ostendens Roma ruinas,
Terga dedit populo, & medijs penetralibus Hunnos,
Atque Gothos, Herulósque super, Quadósque ruentes,
Vandalicásque etiam suscepit victa secures.
Impiger arua Gothus possedit Iberica: Francus
Galla suæ victor frameæ vineta subegit.
Pingue solùm tenuit nemorosæ Albionis Anglus.
Et memor emissa quid præstet arundine ferrum,

Quos

Quos campos, quæ prata dedit victoria taxis
Debita: nunc ductis eadem mouet arma lacertis,
Et metuenda procùl præuertunt ſpicula pugnas.
Dixerit hîc crudis quiſquam Cyclopibus ortus
(Hos etenim fama eſt olim monſtrante magiſtro
Vulcano, primos furuæ didiciſſe ſub AEtnæ
Carceribus formare nefas, terebrata ſub auras
Fiſtula ſulphureo quà mittit ab impete glandem:
Ignotum aſt per ſæcla malum dubitabile fuſis
Ignibus, an tanto ſtrepitu, an metuentius ictu
Inſculptum Stygio latuiſſe diutiùs ære,
Dum pater ignita torquet qui fulmina dextra
Sic voluit, caſúmque animo miſeratus acerbum eſt)
Nunc tandem Eumenides poſtquàm mortalibus ægris
Tam dirum inuito facinus nudare Tonante,
Nec per mille modos dubitârint tradere in artem,
*Dixerit hîc aliquis * (inquam) de gente Cyclopûm,* * Cæſura.
Quandò miſſilibus telum hoc mox omnibus vnum
Plus teritur, vano noſtros molimine curuis
Arcubus hamatas poſthâc efferre ſagittas:
Nec quia maiorum ſtudijs aſperrima belli
Spem validis poſuit non vanam induſtria taxis,
Idcircò patrÿ rectè veſtigia facti
(Si meliora dies monſtrat) retinere nepotes.
Ambiguo (fateor) multorum pectora nutant
Hÿs ſuper impulſu, & ſequitur contraria vulgus.
Attamen vt teretem maneat laus prima ſagittam,
(Hoc etenim noſtris certo ſtet pectore fixum)
Nec minùs in partes veniant tormenta ſecundas,
Sphærica puluereo quæ mittunt tela canali,
Explicuiſſe iuuat. Non eſt temnenda magiſtri
Temporis inuento quoquam ſolertia prægnans.
Nec tamen, hac captus nouitate, antiqua remittas,
Si recto, & ſano veterum ſtat gloria cœpto.

Inuentum hoc tragicis ampullis scindere non est
Propositi, aut diris autorem tradere sontem
Eumenidum stimulis, qui cœpta chymistica rimans,
Exitiale malum læua pro sorte retexit.
Vnde hodiè ignauo, vel post carecta latenti,
Magnanimum liceat tutò prosternere Achillem.
Hoc dico: dolus an virtus discrimine nullo
Quum tibi præcincto semper metuatur ab hoste:
Te quoque ceu parili dignum est insistere telo,
Inuentúmque suo melius proferre nocendi.
Ergò etiam amborum dotes, diuersáque refert
Munera, pro varij specie nouisse Gradiui.
Si tibi turritis vigiles statuantur in vrbis
Mœnibus, aut longo si propugnacula bello
Condita transennis hostem lusura parantur:
Hic tibi scintillans stupa, & Vulcania tectis
Tela foraminibus subeuntes fulgure crebro
Terrificent. Duplo efficitur lethalior ictus,
Si manus expectet longo libramine certa
Quem feriat, tum quà feriat: patientia telo huic
Cunctabunda, alijs præ cunctis vnica prodest,
Et statio & latebræ, & iaculantûm rarior ordo:
Ne proprios feriant turba densante sodales.
Hinc, reor, ad pugnæ campestris munia telum hoc
Non adeò appositas lædendi adducere vires,
Plúsque sono, & terrore graui, quàm vulnere crebro
Officere, & multas incassùm emittere flammas.
Vsque adeò, vt recto quum vix centesima nisu
Dextera collimet: constans sibi, certáque cœpti,
Dum medio pugnæ feruent ardore phalanges,
Deme metum: paucos hæc tradit machina letho.
Quippè aliquà oblongi variet si fistula ductus
A iusto oppositi contrà libramine recti:
Nil agit, in vacuas scandens emittitur auras

Glandula

Glandula, conuexo nequicquàm decidet orbe.
Veh misero, cuius rectam sors obuia plagam
Excipit: haud ullo lethum præsentius ictu est.
Si numero, quantum præstaret ab impete: pestis
Nulla foret Ditis funestæ acceptior aulæ.
Nunc tardo eiectas reparans molimine vires,
Pigrior ad plagæ insurgit momenta secundæ.
Parte alia campis si pugna instabit apertis:
Prome arcus, & prome leues in fata sagittas:
Haud alio plures telo morientur inulti,
Nec magis, antè manus quàm conseruisse duello
Comminùs indultum est, animum desponderit hostis.
Vsque adeò vt vecors volitantibus eminùs armis
Miretur solem obductum: dehinc grandinis instar
Demissam segetem ferratam, murmure rauco
Horrendi strepitus: qualem crateribus altis
Ætna refert, tellus seu quando immugijt ima,
Tecta mouens, totásque vrbes reuoluta ruinis.
Corda pauor feriet, oculos attollere contrà,* * Cæs.
Nimbus in aduersos telorum atrocior actus
Haud sinet, insolitas sonus exagitabit & aures
Ereptæ offundens mirè deliria menti:
Haud secùs, ac torpor si quenquam panicus vrget
Immemorem, pigro lymphatum pectora pulsu.
Vt verò & rutilo manantia membra cruore,
Vulneráq; aspicient, celeri lethalis arundo
Quæ facit antè ictu, penetrata per ilia serpens,
Quàm præuisum oculi poterant discernere telum,
Tunc dolor, & mæsti gemitus, funestáque tota
Vox acie, intactis etiam, formidine cogent
Stare comas: iam iámque instantem horrescere mortem.
Quid faciant, clypeos postquàm damnauerit vsus
Vnica spes isti obsistens testudine pesti?
Attamen & clypeos frustrà obtendisse Quirites,

Parthus eques docuit, verso metuendus ab arcu:
Irruere, & laxis equitatum immittere habenis
Fortè iuuet: si non sudibus solertia nostrûm
Ante pedes fixis, equitum cohibere cateruas
Nosceret, atque alijs accessum eludere technis.
Vnde simul geminis quum ferreus imber ab alis
Ingruit, & repetens, fœcundis tela pharetris
Ter decies crudo euentu iaculatur in hostes,
Nil moror æratæ loricæ tegmina: nudas
Sufficit esse manus, siue os, aut crura, per omnes
Omnibus haud partes it fida panoplia: ferrum
Hamatum si se carnem demisit in imam,
Hæret, & effracto remanet pars vltima ligno.
Sæpè quidem terebrans galeásque, & scuta trilicis
Materiæ, & squammas vincens thoracis aheni,
Si chalybe ex puro lectißima spicula fiant.
Ne memorem, toto paßim quotus ilia campo
Indignans ducet sonipes, penetrabile telum
Quum latus, aut nudos sentit sæuire per armos.
Tollitur, & frustrà retinentem fræna magistrum
Excutit, ordinibúsq; acri ceu turbine ruptis,
Aufugit. Haud alia nostris victoria parte
Sæpiùs, à pauidûm quàm turba incepit equorum.
Nunc igitùr qui vim maiorem ponit in armis
Igniuomis, pellente retrusam puluere glandem,
Spectet opus numeri: decimum proferre pharetra
Impiger arcitenens, totiésq; emittere telum,
Quum soleat (mirum ni aliquo lethalior ictu)
Antè nouo scloppo Vulcani machina tarda
Quàm reboët, longo exanimis pòst tempore flammas,
Nec quæ ni cunctata diu pulmonibus efflet.
Adde quòd emißis vel millia plura sagittis
Incubuisse queant vnà: quando vltimus omni
De numero, læuæ sublatæ spicula ab arte,

Si

Si paulò conuexa magis protrudat in auras,
Illa quidem innocuo proprios superâsse volatu,
Et discent medios scitè descendere in hostes.
Nec minùs emisso in conuexum vis sua telo est:
Nam grauitate ruens, vires acquirit eundo,
Et maiora trahit demissum fulmina ab alto.
Attamen ipsa suas Cyclopea fistula dotes
Prædicet, & nemo feralis vulnera teli
Non metuat: iunctis vti qui viribus hijsce
Nouerit ambobus, propria statione, locóque,
Omne feret punctum. Vos ô mea cura Britanni,
Vt quidnam tacito vosmet subducitis ausu,
Paulatim à patrijs, (quænam dementia?) taxis?
Scilicèt, an sordent veteris monumenta trophæi?
An tantam tormenta trahunt Cyclopea laudem,
Iudicio subuecta leui? versatile vulgus
Dum præfert potiùs quicquid nescitur? & illa
Quæ toties verbo tenus vltra sydera tollit,
Non vllum vlteriùs facto traducit in vsum?
Sic noua nec surgunt, nec stant antiqua: sed imis
Comptior hæc pubes postquàm resoluta medullis
Desueuit stadio committere corpora aprico,
Spectatrix placitas gaudet laudâsse per vmbras
Quæ non ipsa facit: num detrectantibus instat
Maiorum censura potens? num gymnica saltem
Pædotriba hodiè quisquam certamina pangit?
Informans teneros olim maioribus artus?
Curritur? an luctatur? an hasta nititur? eheu
Quis patriæ vindex humeros accommodat Atlas
Hijs super? aut veterem reddit vel matribus ipsis
Morem adeò celebrem? paruis puerilia taxis
Brachia gnatorum, paruisque instructa sagittis
Armandi in positum ficta sub imagine palum,
Qui veteris noménque, odiúmque resuscitet hostis?

Ne priùs annixo genitrix ientacula gnato
Porrigat, in medio telum quàm fixerit orbe:
Ilicèt, à paruis starent sic maxima cœptis:
Nempè simul crescunt tacito cum tempore vires,
Atque vsu inuictum neruis succedere robur
Antè puer, iam mox iuuenis, mirabitur exin
Vir quoque florenti iam formosissimus æuo:
Tota suburbanis patriæ spes ardua campis
a. *Dum coit, & curuus multa vi cogere taxos*
Assolet, adductis collimans sæpè lacertis.
O vtinam solido passim conamine gentis
Sola forent nostris hæc vt campestria ludis
Arma per intonsi soles concessa serenos,
Cuius amor primus Daphne Peneia, Diui.
Ille quidem auratis comites spectaret ab alto
Affulgens radijs: multáque rubedine sacrum
Os condens, lucere crepuscula sera iuberet
Inuitum à placitis abitum testantia ludis.
Nunc (licèt antiquos nondum mos aureus arcus,
Nec penitùs Triuiæ templis fixisse pharetras
Sustinet) horresco quonam socordia sensim
Tanta iuuentutis queat inclinâsse labantis:
Mollicies ex quo studijs subrepere versis
Cœperit, & vetitis inuerterit otia ludis,
Ocia, non madidæ pridem concessa popinæ,
* Systole. *Non * sphæristerÿs, caueisue, vbi nobile gallos*
Turba solet nugax inter spectare duellum:
Nec molles vbi laxa choros triclinia pubem
Eneruo inuitant Cythercam ducere saltu:
Siue leues vocibus talos prouoluere in orbem:
Et quæ prætereà verbis reticenda modestis
Ipse pudor damno dubitat dixisse pudoris.
Vnde hodiè imbelles quisquis mirabitur artus,
Pulposis proauis non respondere nepotum:

Audiat,

Audiat, infœlix ferali carmine bubo
Quæ cecinit nuper turrito culmine ſidens.
Scorta, chori, citharæ, calamiſtra, vnguenta, fritilli,
Et redimita roſa in mediam conuiuia noctem,
Balneáq;, & picta veſtes, & Medica ſtrata,
Et ſomni pingues per vultus ſolis adulti
Perdiderant olim Graios, pòſt inde Quirites
Mutârunt verſos variarum in monſtra ferarum:
Nunc alios eadem Circeia pocula, porcis
*Supplementa parant comitum ſubiungere * Vlyſſei* * Synær.
Lapſa retrò poſtquàm conamina praua iuuentæ,
A cultu videas ità degenerâſſe priori.
Appagè, & hæc (ales) Stygijs cantâſſe memento
Manibus, infauſtum hoc omen diuertite noſtris
Dij laribus, liceat mores tinxiſſe modeſto
Surgentes, primam & frugi duxiſſe iuuentam:
Quo ſine, nec caſtris ſucceſſerit vtilis vnquàm,
Nec roſtris, luxu ciuis qui diffluit alto.
Sed nihil inſinuo: & rectæ virtutis amore
Dignum erat has peſtes clara proſcindere voce,
Quæ malè ſurgentis ſpem produnt meſſis in herba,
Eneruántq; animos. Quid enim ſpondere iuuentus
Egregium de ſe poterit? quid denique magnum
Poſcenti patriæ officij pro iure rependat,
Diſciplina patrum ſi non retinetur ad vnguem,
Noxia quo totis pellatur blanda voluptas
A foribus, nullam peccandi vt præbeat anſam,
Hijs quibus in vitium flecti ſurgentibus annis
Tam facile eſt, poſito quàm cera liqueſcit ab igni:
Quàm vicina ſuos Lais tabeſcere amantes
Fecit: quámque nouos à fratre argentea Phœbe,
Quum propior facta eſt, congreſſu ſuſcipit ignes.
Ergò iterum, atque iterùm imberbem monuiſſe iuuentam
Quid caueat, poſtquàm tota hoc ſe cardine verſat

Spes patriæ, nihil est nostram, quæ publica spectat
Commoda, cur pudeat repetito carmine musam.
Nam neque nunc vanis phalerata poëmata bullis
Tam studeo, quàm res oculis proponere coram,
Nec moror ampullas, aut sesquipedalia verba:
Sed prodesse volens, ad fontes sæpiùs ipsos
Vnde operis manat reliqui vis tota, recurro.
Dixi quidem, quæ iura domi, quæ fœdera ciues
Concilient, propria fretos statione, locóque.
Et docui cultis vti non segnitèr agris:
Nec minus æquoreas victum quæsisse per artes:
Néue queat patrijs ciues expellere regnis
Incautos quæcunque manus congressa duello:
Tela manu cunctis statui, proprijsque refixa
Parietibus non insuetè molirier arma,
Omnibus instantis suasi pro parte pericli.
Armatis intacta diu pax stabit: inermes
Finitimi bello vexabunt vsque procaci.
At modus, & scitis Bellonæ hic terminus esto:
Quippè manum tabulæ exactæ subducere dignum est,
Ex quo rauca suos dudùm mutâsse laborat
Musa modos, tanti strepitus pertæsa canorum,
Ære cauo assiduè dum reddit buccina, cantum.
Illa fides rursus cupiat sumpsisse modestas,
Et plectro leuiore canens percurrere carmen
Non adeò vibrans: quin ipse exterritus, æquor
Iam tanta vndarum aspiciens consurgere mole
Inflatum, cui se non Dijs, non viribus æquis
Vimine texta ratis lento commiserat vnquàm,
Optem aliò versis tandem diuertere velis.
Tela etenim atque enses, & castra, & structa virûm vis
Nil placidum, nec lene sonant, commotior altos
Mars cupit ipse modos: Marti gratatus ab imo
Impulit incumbens Aquilo stridentior æstus.

Pacati

Pacati maris, & validis freta viribus egit.
Parce sed ipse dato (Borea violente) profundo,
Parce (precor) iam tensa fatiscunt carbasa crudo
Impulsu, & paulùm sese subducere tentant,
Leniùs vt reliqui peragatur semita cursus.
Nunc placidas opto tranquilli marmoris vndas:
Nunc Zephyros (ô si veniant ad vota rogati)
Quàm cupiam extremo metam imposuisse labori.
Fallor? an optantis valuerunt vota precando?
Non fallor: teneris nempè ipse Fauonius auris
Ecce venit, fratrémque iubet secedere toto
Æquore, & algentis perflare cacumina montis,
Stant vbi Bystonio delubra patentia Marti.
Est locus abrupto quà vertice tollitur Hæmus
Aëra despectans medium, nubésque superbo
Stare supercilio paulò infrà spectat inertes.
Templa procul videas radijs obuersa coruscis
(Si quando amotis clarum se nubibus infert
Sol genitor, terris quamuis rarissimus illis)
AEnea tota foris rufo penetralia surgunt
Sandyce, sanguineos Diui testantia mores:
Forma parem circo ingenti complectitur orbem,
Erectis chalybe ex duro, atque adamante columnis.
Hic Deus, & consors Getico Bellona sub axe,
Vnanimes, nigro conspersa altaria tabo
Ante fores oculis lustrant crudelibus: intùs
Ex adyto specus ad Stygias demissior vndas
Sese aperit, multámque exhalat tetra mephitim.
Quà Dea Tartarijs, furiarum maxima, regnis,
Tisiphone scandit superam illætabilis oram,
Si quando durum immittens mortalibus ægris
Insani studium per mutua vulnera ferri,
Sæuit, & eiectum iubet in præcordia virus
Serpere, gliscentes tantilla ab origine causas

Dum nectit furor, & gladios hinc, inde ministrat.
Hûc Aquilo notis postquàm se rettulit oris,
Immani fessus sese iactabat in antro,
Procumbens, largásque trahens pulmonibus auras
Mugitu caua saxa imo resonare coëgit.
Ast ego pacatas animosi Aquilonis ab atro
Turbine qui vndarum video subsidere moles,
Gratulor, & Zephyris posthâc, si littore sistar
Optato, albentem promitto ab ouilibus agnam.
Flant Zephyri, & vernos ipsa edunt littora odores
Proxima: nunc illos emensa per æquora montes,
Qui se adeò aspectu primo exhibuere videnti
Difficiles, nigra incincti capita ardua nube,
Paulatìm augusta video se exporgere forma,
Frondentes, viridísque intextos vndique syluæ
Tegmine: iam surgunt propiora cubilia Diuûm
Capripedum, intonsis vacui qui aut montibus errant,
Aut gratos ineunt per prata virentia lusus.
Pan medius buccas calamis exercet, ouantes
Syluicolæ Satyri, & Nymphæ, plexo ordine in orbem
Indulgent choreis. Nudas exerta papillas
Naïs odoratos capitis gestamina flores
Colligat in sertum (puto) quod promiserat ipsi,
Qui propter recubat, gremio confotus, Amyntæ:
Oscula nam iungit iuueni. Mihi frigidus imas
Zelotypo liuor serpens vexare medullas,
Tam bona, tam pulchræ caperet quòd basia pastor
Incomptus, nullo Tyrij spectandus ab ostri
Tegmine, sed latos humeros constratior vrsæ
Pelle super: specie at præstans, formáque virili
Fortè deam ingenua tactam virtute merebat.
Dona mouent nostras, Danaës post furta, puellas,
Quæ fuluum gremio admisit non inscia pignus:
Cælestûm non vlla inflectunt munera mentes,

Sordidiùs

Sordidiùs pacto formam stipulentur vt auro:
Nudus amor precium indignans vbi condat, aperto
Non habet vsque sinu, & nulla mercede mouetur.
At mihi non æquo pastoris gaudia vultu
Spectanti procul, æthereas vox missa per auras,
Sic ait: (indignis tacture hæc littora plantis)
Si liues, si fortè bonis macrescis opimis
Alterius: Diuûm sedes regione sub ista,
Atque hominum nullo aut paruo discrimine prostant.
Aureus hîc etenim sæclorum vertitur ordo
Antiquam retinens formam, melioribus æui
Temporibus, quando subiens argentea proles,
Per caput alterius nondum iurare parabat.
Audistin', quæ fortè pij cecinere poëtæ
Solis ad occasus Atlantis in æquora porgi,
Fælices vernante solo, & pinguedine tractus,
Mella vbi fronde liquent, & spirant cinnama venti,
Sponte sua incultis segetes nascuntur & aruis?
Hæc tu sorte bona, & Diuûm indulgente fauore,
Hesperidûm secreta vides viridantibus hortis
Claustra, & conualles, fortunatósque recessus
Tot plectris celebres. Pauci quos æquus amabit
Falcifer, hac poterunt vestigia ponere terra:
Victor ab Hesperijs ex quo Tirynthius oris
Hûc etiam impulsus fama, & nouitate locorum
Appulit, & primo vix signans littore plantas
Polluit hospitium cæso custode, sorori
Maláque tergeminæ quondam abstulit aurea raptor.
Illæ præcipites summa de rupe dedêre
Corpora: Saturnus casum miseratus acerbum,
Supposuit iam iam morituris nostra puellis
Flamina, & illæsas propria regione locauit,
Multa priùs culpans, imprimis mentis auaræ
Pignora peruigili frustrà commissa draconi,

Terra parens illos quæ non produxit in vsus,
Semper vt auriferi gemerent sub pondere rami.
At postquàm arbitrio Diui, seque, & sua trinæ
Conuersis animis exhinc tribuere sorores,
Ille soli, vernísque rosis, tactúsque virenti
Tegmine, perpetuum latè retinentis amictum,
Progeniem antiquam Ausoniæ traduxit ab oris,
Plantauitque suos ista sub sede colonos.
Sanguine qui iam olim mites Aborigine creti,
Cressa priùs, mox illa, hodiéque hæc regna fauente
Numine concordes animis, & moribus ornant.
Olim etiam puris, per tot contagia rerum
Quum profugum profugi terris sequerentur, & alto:
Nunc postquàm errandi modus est, finísque malorum
Concessus, stabiles Parcis tribuentibus agros,
Parua manus iustum in populum propagine creuit:
Et Saturnicolas sese de nomine dictant,
Quem penes & scripti ius est, templíque potestas,
Quod vidisse potes clarum lucente smaragdo
Planicie in media, vt surgens caput inferat astris.
Sed quid ego hæc, oculis quæ mox haurire videndo
Liberiora potes? tu proram obuertere ripæ
Fælici appropera, atque haustis è flumine lymphis
Ora, manúsque ambas ter conspersisse memento.
Finierat: tacitum mihi spes accendere pectus,
Lenis & à tergo Zephyrus propellere puppim
Cœperat: innumeri circum sua corpora cygni
Suaue quid arguto recinentes gutture Phœbo,
Obtulerant, glaucas vitrei per fluminis vndas
More salutantûm: species ea blanda placebat
Et comitum, & quo non aliud panda ostia flumen
Pulchrius illabens genitori obuerterit vdo:
Siue sui celebrent Tarsenses marmora Cydni,
Siue Syri Chrysorroam, seu vellere Colchis

Aurato

Aurato cantata velit præcellere Phasin.
Ast ego dum tanto successu allabor apertos
In portus, paulùm Phœbeos inter olores
Conticuisse velim: quærunt alterna Camænæ.

LIBRI SEXTI FINIS.



DE REP. ANGLORVM INSTAVRANDA,

Liber Septimus.



Vum simplex Natura boni molimine paruo
Contentis, solidas spes, & syncera refundat
Gaudia, iucundo longùm durantia sensu:
Miror inexpletos humani pectoris ausus
Tam vano absentes res suspirare labore.
Naturam nobis facilem, paruóque tuendam
Dat Deus, æthereos qui nobis indidit ignes,
Iussit & amoto verum disquirere velo.
Contrà alia fallax incumbit opinio parte,
Et rapit auersos studia in contraria sensus,
Illudens vmbris visis, operosáque falsa
Sub specie mentita refert: obuincta Platonis
Quale specu pubes luci contraria spectrum
Parietibus vidit non vnum insistere versis.
Gaudebat nouitate ipsa frustrata iuuentus,
Surgentésque auidis oculis tendebat ad vmbras.
Tum (cui fortè specu ruptis excedere vinclis
Contigerat, veróque ipsas res cernere vultu,

Multùm dissimiles spectris per inania visis)
Motus amicorum non digna sorte, recurrens
Dum clamat, dubia falsos sub luce cauernæ,
Errare, & versos puri iubet ætheris haustum
Excipere, à pandi foribus qui irruperat antri,
Ridetur solus sapiens, neque proficit hilum:
Quin potiùs pergens, sannis exceptus amaris,
Pellitur, & pugnos sentit crebrescere. Tanti est
Intempestiuo contra tot tendere vero.
Haud secùs ingenua simplex se fronte beatum
Porrigit, & faciles offert venientibus vlnas.
Illi adeò faciles, ipsúmque parabile spernunt,
Nullo alio nisi quod prostat · sordescit inemptum
Quicquid adest, longéque optant insistere caro,
Difficili, vario, vetito, terra vltima Eöis
Quod posuit claustris, vel Doris amara profundo
Condidit antè suo, nec montis parcitur vllis
Visceribus: flauas irritamenta malorum,
Diuitias, summo pergit dum cura periclo
Eruere, & nullos auidissima condere in vsus.
Hinc exosa malos, & tantis territa monstris,
Diua potens trutinæ terras Astræa reliquit.
Successere doli, & fallendi mille cateruæ,
Quin & vis per aperta furens, manifestáque rapto,
Fraus vbi tecta parùm processerat, abdita mussat
Nescio quid, vitys impar reuerentia recti.
Ipsáque simplicitas, qua sola sydera adibat
Primus homo, varia iamdudùm operosior arte
Vix audet duplices ad cœlum tollere vultus,
Conscia commissi sceleris, vitæque Deorum
(Nescio quo Geniÿ suasu) mortale relictæ
Ob donum: damnosa gulæ dum crimina ponit
Ante oculos, vestémque vnà cum crimine, nostræ
Accessisse cuti corrupta mente reuoluit.

Horum

Horum ergò num cœlicolas consortia quisquam
Ferre putet? num pura Dei natura beatis
Sustinuit lucis, & amœnis sedibus horti
Impuros habitare admissa labe parentes?
Vnde genus mortale sumus, patriáque negata
Nunc profugi toto miserè dispergimur orbe:
Nec modus, aut requies: hinc vrget callidus hostis
Causa mali, sociísque exultat liuidus vmbris:
Hinc (ô iura Deûm, & socialis tessera vitæ)
Ecce viro vir damna struit. Genus omne ferarum
Non adeò nostri sitiens se sanguinis infert,
Excita quàm stimulo rabies humana suopte.
Nec satis hoc: hostem ne quis sibi defore dictet,
Ipse repugnando proprijs contraria miscet
Spicula visceribus. Nusquàm pax: agmine denso
Affectus varij circum præcordia certant,
Et miserum per mille cruces renuentibus vsque
Dissidijs perdunt. Sic læuas mordicùs artes
Dum sequimur, partésque operosa scientia ad omnes
Neglectis Dijs auspicibus sine lege cietur:
Corruit infirmo spes hæc innixa bacillo,
Et reuoluta luto incassùm sese erigit alto.
Irrident Superi audacis molimina cœpti,
Atque indignantes (quoniam, quæ semita nobis
Natura duce monstrata est, contempsimus artis
Arbitrio) hanc pœnam infligunt, erroribus actis
Vsque per anfractus cæcos, & lubrica labi.
Atque ita qui niueis olim candore ligustris,
Præstitimúsque ipsis natiua albedine cygnis,
Dum Deus, & melior rexit natura sequaces,
Nunc varij atratos coruos nigredine furua
Induimus, Superósque (vt amabile pectoris album
Desierit) dudum auersos contagia tanta,
Cernimus hinc pleno sese subducere passu:

Siue per æthereos tractus, & lucida regna
Semotum & placidum degentes molliter æuum,
Siue sub antiquo, Hesperidûm per culta vireta,
Saturno procul à rostris, auláque, foróque
Nostratum nimio cultis, potiora ferentes
Simplicium arcano recti consortia sensu.
AEquum erit hîc igitur nostro describere versu,
Florentes sine labe locos, & amæna bonorum
Prata, & fructiferos non vllo semine campos.
Fas mihi sit lustrata loqui, quæque integer hausi
Hisce oculis, efferre foras: ita iusserat ipse
Qui Deus illa tenet profugus lætissima regna,
Solamen curarum ingens: nam fata sororum
Expulso Iouis imperijs, hijs attamen oris
Orbe procùl reliquo innocuos celebrare recessus
Indulsere seni: quamuis ea cruda senectus
AEternúmque Deo pubens reuirescat in æuum.
Nunc etiam paruis ea cura adiungere sceptris
Astræam imperij comitem, & communibus aris,
Par maneat, quæ antiqua fuit, promptissima nullo
Vomere quum fruges tellus proscissa ferebat.
Illa epulis, victúque vnà, temploque recepta,
Læta super tali puras describit honore
Saturni leges populo: quibus addere quicquam, aut
Demere, structuram fuerit peruertere totam.
Vis ea quippè breui pollet sub carmine sensus
Ingenui, vt cana pro maiestate, nouator
Non ausit planis nebulas suffundere dictis:
Aut aliò torquere aliò tendentia verba,
Dum breuitas succincta placet, nec fallere promptum est,
Cuilibet ex vulgo nota est quum forma loquendi
Simpliciter. Gemino si quid repetatur ab ouo,
Tunc ô tunc dubitâsse potes: latet anguis in herba,
Quandò per ambages excurrit rabula: quandò
Pellibus

Pellibus Attalicis centum, foliiſue papyri
Bis totidem, nequeat ſe exoluere tot labyrinthis
In ſeſe incurrens: rudis, indigeſtáque moles
A cœlo ad manes demittitur: & tamen imo
Vel primum caput edicti concludere verſu
Difficile eſt noſtri iuriſprudentibus, artem
Battologam longo per verba retexta paratu
Dum magis obſcuram nigra lolligine reddunt.
Longè aliud rudibus ſuccincta, atque horrida præſtat
Diſciplina viris. Nihil hic Aſtræa laborat
Qualitèr inter nos, deflexo tramite recti,
Tot ſcelerum formis nequicquàm ferre medelam
Nititur (ipſi adeò rediuiuis ſurgimus hydris)
At faciles in verba viros, pauciſſima dictans
Allicit: illi imis excepta reponere pergunt
Carmina pectoribus. Vidi quum templa ſubirem
Structa Deo, & cippo legerem quæ inſculpta fideli
Ante fores ſtabant, terno concludere verſu
Omne opus hoc Diuam, vitæ melioris alumnis.
Mente Deum reputa memorem fandi atque nefandi.
Quod ſatis eſt quæras Naturæ è fontibus ipſis.
Te metire tuo: ciuis fac ciuibus adſis.
Pauca quidem, at largo pollent hæc carmina ſenſu.
Difficile eſt, atque Herculeo par pugna labori,
Inſuetis, modulo hoc ſeſe componere: ſi non
Cura altrix, mos & patrius meliora reponant.
Qualitèr Heſperidum videas per amæna vireta
*Semideos homines * aurai ſimplicis hauſtu* * Diæreſis.
Vſque hodiè afflatos, reliquis excedere, quantum
Pallenti rutilans plumbo ſeſe exerit aurum.
Quippè, quòd à Superis maius ne vota requirant
Vlla hominum, quàm quòd mens ſana in corpore ſano
Adſit, freta bonis quæ proſtent, & mediocri
Inſiſtens, nil vltrà animo profuſiùs optet,

Hic, tibi non veterûm depingent ſcripta ſophorum,
Vera ſed effigies expreſſa in moribus ipſis
Viuentûm, atque habitu totius corporis, annos
Qui vegetos ſemper ſuprema ad tempora ſeruent.
Sed libet hijs etiam paulò diffuſiùs apta
Indulſiſſe mora, & ſeriem pertexere cunctam.
Primùm equidem ſimulac proræ ſe littus amicum
Exhibuit, ſaltúque leui florentibus herbis
Ingentis librata dedi veſtigia prati,
Accurrere viri miſtìm, faciléſque puellæ,
Vultu hilari: neque Naïades, Fauníq; bicornes,
Semideique alij vitârunt hoſpitis vllos
Congreſſus: poſtquàm non hæc ſine numine Diuûm
Regna peregino cuiquam contacta ſciebant.
Quin age fare, hoſpes, quis te Deus iſta per vndas
Littora adire iubet? quæ cauſa viæ, atque laboris?
Quêis ego ſic placidè contra reſponſa parabam.
Ne verò (ô Superis nimiùm dilecta propago)
Quærite, quæ tacito contingunt ordine Diuûm:
Imperijs correptus agor, maiórque fatigat
Me Deus, obijciens tumido non ſponte profundo.
Nam feror, atque humili ſolus freta concita lintre
Hactenus euolui: tandem vox miſſa per auras
Hoc requiem portu, & fuluis promiſit arenis.
Sed neque remorum impulſu, neque lintea pandens,
Arte ratem hûc vlla flexi: blandiſſimus vltrò
A tergo Zephyrus miti crebreſcere flatu
Inſtitit, ac veſtris iuuit ſuccedere ripis.
Vos (ni vana fides fallit ſub imagine pulchra)
Diuinum genus eſſe reor: date ſedibus iſtis
Hoſpitij pro iure focis communibus vti:
Si licet, & mea fata ſinunt: non oppida viſum
Hûc aliena Sinon venit: metus iſte faceſſat,
Si quis ab ignoti aduentu ſeſe hoſpitis infert.

Talibus

Talibus oranti dextras in fœdera iungunt,
Et largam immittunt verbis ſpem lenibus vltrò.
At cui canitie multa veneranda ſenectus
Maturos capitis, barbæque aſperſerat annos,
Optimus (illud erat grandæuo nomen) Iärchas
Dux populi, & morum cuſtos, idémque ſacerdos,
Qui ſolus ſubiens adyti penetralia, vulgo
Præ foribus ſtanti reſponſa efferre ſolebat:
Has ſenior miti fudit de pectore voces.
Quiſquis es, accipimus venientem, & ſedibus iſtis
Hoſpitio fouiſſe breui dignabimur: vltrà
Carniuoro nulli caſtis fas ſidere terris.
Nunc tua te pietas, & quod tibi numen amicum
Adfuit, hæc vnà nobiſcum inuiſere templa,
Quæ vicina vides, faciet: licèt alta prophanis
Relligio obſiſtat, ſacratum inſiſtere limen.
Primus erit Numen labor hîc tibi ritè precandi:
Quæ Dijs conſultis fiunt, ſacríſque litatis,
Fauſtiùs extremam pertingent ordine metam.
Dixerat, & medio ſeſe agmine iunctior infert,
Me comitem à læua ſtatuens: circumflua turba
Vnà ingreſſa viam, ſtudio nos cinxit in orbem.
Iamque propinquabant templo, iuuenilia puro
Graminis intacti quod vicerat ora virore.
Molem ſimplicitas non affectata decebat,
Affabram, & laterum vaſta compage ſtupendam:
Sed quam nulla manus Polycleti ſculpſerat, aut qui
Palladia proprios incluſerat ægide vultus.
Vt verò aduentum eſt, bipatentes cardine verſo
Sponte ſua valuæ patuêre, atque atria largis
Emicuere intùs ſpacijs, rutilantia fuluo
Vndique, ceu Phœbi radijs, inſtrata metallo.
Ante fores venerata Deum, ter poplite flexo,
Prona preces fudit concepto carmine turba.

Ipse pio ante omnes studio grandæuus Iärchas
Qua foribus vicina rudi stetit edita saxo
Ara, auo spectanda, & relligione parentum,
Dona focis cumulans libamina thurea castis,
Et salsas fruges, & farrea liba liquenti
Lacte super spargens, cædisq;, & sanguinis expers,
Innocuo Diui placabit Numina cultu.
Tum demùm manifesta oculis (mirabile dictu)
Corpora cælestûm, formæque ex æthere puro
Conflatæ, faciles sese obiecere piorum:
Numine qui afflati tanquàm propiore, silebant
Mussantes, tensisque vrgebant sydera palmis.
Quum, ne solus ego ritus tempsisse viderer
Aduena solennes istos, curuabar & ipse,
Plena Deo gestans iam pectora. Nempè videbam
* Synær. *Vt solio Pater antiquus se falcifer aureo* *
Componens, læuam Astræa tutante, sedebat,
Maiestate Deo digna plenißimus oris
Syderei, atque habitu supra mortale corusco.
Nec mora, sacratas soluit quum pectore voces,
Hæcq; ita dicta dedit. Peregrinum adducite coràm,
Et solum in medio digreßi linquite Fano:
Pauca priùs, nulla pallentia pectora culpa
Quæ rescire nefas, isti sine teste locutus
Pòst reddam vestris conuiuam accumbere mensis:
Dignus enim cui vos studium præstetis, & hæc est
Hospitÿ pro iure mei sententia iußi.
Tres maneat soles, vestrorum à quolibet omni
Officio cultus: quarto quid denique agendum
Constitui vlteriùs, res ipso tempore prodet.
Tum postquàm cessere omnes: Saturnus amico
Me pater en repetitò affatur blandior ore.
Chare puer, si fata darent, te sedibus istis
Perpetuum aptarem comitem, propriúmque referrem:

Nunc, quoniam obsistunt labes & originis, & mos
Impurus, teneris qui te prauertit ab annis,
Non potes integrum nobiscum hic ducere tempus.
Attamen hæc poteris duris solatia rebus
Efferre, & rediens popularibus ordine gesta
Narrauisse tuis, hæc te vidisse beata
Littora, dignum habitum, cui se cœlestia visu
Corpora, congressúq; isthic committere aperto
Non inuita, epulis & sustinuère sacratis.
Nec tu, chare puer, casu hæc tibi tanta fluenti
Obuenisse putes: ipse huius muneris autor
Extiteram, priùs ac ventosa per æquora vectum
Te Zephyrus dicto incumbens hys intulit oris.
Nempè tuos nobis iamdudùm Astræa labores
Inculcans, non inuitis euicit, vt istam
Haurires oculis nostratûm & pectore formam
Viuendi: vnde alÿs referens oracula Diuûm
Antiquo posśis populos inflectere cultu,
Præcipuéq; tuos diuisos orbe Britannos.
Quos quoniam Oceanus tumidis circumfluit vndis
(Vt mea regna vides circundata marmore eodem)
Et si toto alia est terrarum vlla insula tractu
Huic nostræ similis, vix inferiora reponens,
Non absurdè aliquis studio peregrina pererrans,
Hesperidûm statuat vestram à regione secundam:
Seu nemorum iuuenile decus, seu perpetuum ver
Veste super totos viridi consternere campos,
Seu florum patulos per tot discrimina vultus,
Et liquidos fontes salienti gurgite cernat
Certantes pictis immittere floribus humorem * * Hypermeter.
Argento similem, ne quid clementia cœli
Quanta viget, memorem: aut suaues blandi aëris haustus.
Hinc mihi communi procul à contage malorum
Semina si luxus frugali excludere vita

Nequitiam, & penitùs surgentem excindere in herba
Brittannis animo fixum, immotúmque sederet,
Spes est, velle Deos iterùm succedere vestris
Sedibus: vt nemorum tacti frondentibus vmbris,
Plus verò puris animis, & pectore puro
Vestrorum (quæ philtra Deos ante omnia captant)
Per iuga, per lætas valles, discrimine paruo,
Humanos celebrent, quales hoc littore, cœtus.
Ne verò, ne quære, Deos quo crimine læsos
Excessisse olim terris euenerit omnes.
Non locus hic veterum causas repetisse malorum,
Nec qua, me eiecto, mortalia pectora culpa
Suscepere Iouem: stetit hæc adamantina Parcis
Mutati, ob scelerum facies, sententia mundi.
Si qua tamen, si qua est veteris præstantia vitæ
Semideis propior, si quid differre putatis
Gaudia perpetuo longùm pendentia filo,
Hijs, quibus abruptæ per tot ludibria sortis
Non ipsi reges suprema ad tempora pollent:
Ferte retrò gressum, & conuerso insurgite clauo.
Nunc procul à primo mortalia pectora fonte
Currentis fluuij deuexis vorticibus se
Commisere, leui studio peregrina videndi.
Quóque magis pergunt (qualis qui ex Alpibus vdis,
Suscipit innumeros in se Padus impiger amnes)
Dilatare vident fluuium sua septa: ruentes
Hinc atque hinc alij miscent dum turbida riui
Brachia, congesto fœdè inficientia limo,
Puros primitio latices qui à fonte fluebant.
At fluuius sumptis animis turgentior æquo,
Transiliénsq; humiles contempto margine ripas
Irruit, & cultos latè superobruit agros,
Multa mouens, audétq; mari concurrere aperto.
Hinc patulis vastum sese dum faucibus effert

In

In pelagus, perculsa vndis, Austrisque carina
Fluctuat, & tantis demùm congreßibus impar
(Heu mortale genus) quàm vellet marmora saeui
Nunquàm isthaec laeuo tetigisset sydere ponti?
Quippè omnem superans artem vis cruda procellae
Ingruit, atque minax crebrò stat fulgure caelum,
Horrendum ingeminans displosa è nube fragorem.
Quid faciant? repetant fauces? & fluminis alueo* * Synaer.
Aduerso cupiant fontes petiisse relictos?
Scilicet, vt cupiant, tanta caligine mersis,
Vnde redire viam dabitur, si non Palinurus
Fortè Deus quisquam temoni adsistat, & altas
Attollenti vndas Neptuno instructior obstet?
Sic auibus tandem quaesita scientia laeuis,
Praeclarum quiddam ingressu promittere primo
Dum satagit, vanóque inflat mortalia fastu
Pectora (ceratis qualis qui sydera pennis
Icarus, immodico nimium vicina volatu
Senserat) in medio mortales aequore ponti
Spem mentita sinit frustrà obluctarier vndis,
Obturet decimus dum verba nouißima fluctus.
Quantò rectius hoc? si res sibi simplicis vsus
Natura monstrante homines, quantúmque necesse est
Quaerentes, animis inuenta superflua vastis
Nulla terant? quid enim tranquillum immensa cupido
Mentibus absentes res suspirantibus indit?
Quod poterit maius placidos peruertere somnos
Tormentum, irrequieta animi quàm cura reuulsi
Inuidia, ambitione, gulae, Venerísque proteruis
Illecebris? quidnam canos praesentiùs infert,
Quàm victu, & studio morbus contractus iniquo,
Qui medio obsistens, extrema affectet vbique?
Vnde hodiè vestrûm quotus est, longaeua senectae
Tempora qui videat? vobis, qui lustra, peregit,

Quot sibi Zodiaco statuit sol annuus astra,
Iam capularis erit, tremulóq; innixa bacillo
Membra ferens, ægrè languentia stamina vitæ
Despondisse volet, iam iamque abrumpere filum.
Hijs verò (tantum mos, & natura tulêre)
Vix puer est similes æquans regionibus annos.
Mille datur nostris Phœbi spectâsse labores
Exactum totiès repetentis iugiter annum,
Febre procul, morbóque omni, curáque medendi.
Terminus hic olim vitæ stetit omnibus idem,
Quot vicibus frondere licet post frigora quercum.
Ergò si quibus hîc, illîc rationibus esset
Imbuta, ingenuè totam traducere vitam,
Stirps hominum, nimio fata impendentia luxu
Quæ accelerat, propriaq; manus violentiùs infert
Naturæ innumeris per tot contraria fucis,
Paulatìm amissos iterùm sibi crescere longa
Natales serie, & maiores corporis artus,
Sana, valénsque ipsum miretur adusque sepulchrum.
Hoc etiam extremis summum subiungere dictis
Humani generis suadet iactura, dolori
Quæ mihi semper erit (quamuis contemptus ab illis,
Stare meas videam sine thure indigniùs aras)
Vt mala mens fœdo plerunque in corpore sordes
Ipsa suis prodit, mores consentibus oris
Ex habitu, sic alta lues à sanguine sensim
Corrupto, sociam infecit rubigine mentem.
Perdita mollicies, ventrísque operosa vorago,
Læserunt animæ priùs organa: deinde tumenti
Bile iecur, largáque implere cupidine venas
Cœpere, & sensus ad se transferre ministros.
Sic animæ obiectis vis tota exercita falsis,
Quantumuis ratio, quiddam luctata, reclamet,
Corporis it pedibus miserandè in verba magistri.

Vnde hodiè scelerum densata examina perdunt
Tot mortale genus, & pergunt pellere Olympo.
Quòd si pura foret viuendi forma prophanis
Reddita, vestitu, & victu contenta modesto,
Quæ non vltra ipsos naturæ adsciscere quicquam
Primitios vellet motus, quando omnis abesset
Luxus, & ad primos conferret singula fontes:
Nulla foret totum regnandi sæua per orbem
Ambitio, non vis, crudus scelerata rapinis,
Non odium, non liuor edax mortalia cæco
Pectora præstruerent, & ciuica iura tumultu.
Denique, contentis paruo, non Serica vestis,
Non tabulæ, non signa manu fabricata Myronis,
Non ebur, aut pictis cœnacula strata tapetis,
Non orbes citrij, cunctisque nocentius aurum,
Humanas adeò raperent in deuia mentes,
Præstigijs, vmbrisque suis, quæ dissita pulchram
Ostentant speciem, verùm propiora caducos
In fumos resoluta abeunt caligine oborta,
Nec solidum, aut quicquam possunt promittere certi,
Hijs, qui falsa leues pro veris gaudia captant.
Cætera tute oculis hic collustrare, meósque
Quàm præstent alijs, liquido discrimine possis
Conijcere: inde tuis tria te post lumina Phœbi
Euectum Zephyri auxilio per inane, reponam.
Ille meos olim reuerentior ordine iussus
Ferre solet, sedésque istis habet incola regnis.
Dixerat: ingentique oculis splendore coorto
Non faciem vlteriùs Diui, non templa videbam.
Vsque adeò radijs adyti interiora coruscis
Fulgebant, suaues fundente ipso aëre odores,
Quales, non Arabûm saltus, Panchaïca rura
Vlla ferant, sed nec Phœbi terra vltima tractu
Eôo quæ diues equos emittit anhelos.

At pius ille Dei mystes, venerandus Iärchas
Accedens, prensánsque manum, mihi lumina frustrà
Tendenti hûc, illúc, porrectáque brachia ventis,
Affuit, ac templi foribus transmisit apertis.
Inde vbi paulatìm pulsa caligine, densæ
Discessere oculis nubes, visúsque facultas
Reddita, consuetas potuit discernere formas,
Affusos vidi indigites, ciuésque beati
Littoris: ipse choros Nymphis comitatus agebat
Syluanus: tum ponè sequens stetit ordine longo
Spectanda, alternis pueróque & virgine pompa.
Pan calamos inflare leues occeperat, hirtum
Fronde caput pini cinctus, modulamina cantu
Tota manus Satyrûm excipiens postrema sonoro,
Si qua viæ fuerant fallebat tædia: lucum
Donec læta cohors, comes & grandæuus Iärchas
Deuenere sacrum: quem, quo formosior ipse
Visus erat, tanto formosi pignora maior
Relligio est nostra non explicuisse Camæna.
Quippè immensa stetit longos concreta per annos
Sylua, virescentes præbens venientibus vmbras,
Natura dubium, an texta concinnior arte:
Ars dedit implexos ramos per mille figuras:
Fœcundi Natura soli prælatior arti,
Aërijs steterat cedris, multáque cupresso.
Sed neque glandiferas quercus, quæ verticis altæ
Vmbratum longo signabant limite terram,
Nec densas deceat ramosa cacumina fagos,
Aut platanos siluisse, vmbris frondosa recessu
Brachia porgentes, nec qui nitidissimus vndas
Prosiliens è rupe caua, fons murmure rauco
Extulit, & medium secuit nemus, ipse retortos
Mæandri de more in gyros sæpè recurrens:
Haud secùs ac laribus si quum decedit amatis

Singula

Singula causatus rursum redit, inque cupitæ
Coniugis amplexus, & mutua pignora coniux
Retrò agitur, nectitque moras non inscius omnes.
Parte alia cicures arguta voce volucres,
Vt nemus, & caua saxa super resonare docebant,
Quinetiàm mites posita feritate leones,
Atque lupos, pictóque immistos tergore lyncas,
Securis eadem passim per pascua ceruis
Dignum erit hîc aliquo saltèm perstringere versu.
Quippè homines, nec adhûc maculato pectoris albo
Hesperidûm innocui quales in saltibus errant,
Tale stat innocuo fretum genus omne animantum
Humani studij exemplo. Nos fœdere rupto
Semina lædendi reliquis immisimus olim
Prima feris, nostráque truces nunc cornua culpa
Expediunt tauri indomiti: consurgit in vngues
Tigris, & incuruo sus perforat ilia dente:
Et meritò. Quid enim? nostris violentia castris
Militet, hijs nullum vi vim propellere fas sit?
Chara Deo restant sua pignora, quæque creauit,
Et seruata cupit. Qui primus fœdera soluit,
Ipse luat, totidémque hostes, quot & antè ministros
Sentiat: hæc labis lex antiquissima restat
Contractæ, imperio postquàm priuamur auito,
Nec seruile genus ius vltrà in cætera habemus.
Hîc igitùr spondis postquàm per gramina primi
Discubuere Dei, maiorúmque ordine longo
Canicies, tum deinde virûm robustior ætas,
Illa tamen iam tum defuncta virentibus annis,
Maturæ & propior post sæcla exacta senectæ,
Astitit allatis epulis succincta iuuentus
Prona ministerio. Mensas frugalitèr ipsas
Sola Ceres clausit, præter quæ hortensia culto
Quisque suo in medium bellaria protulit horto.

Parte alia matres, eadem per gramina, eodem
Ordine, seiunctis tacitæ conuiuia spondis,
Tantùm virginibus peragebant curta ministris.
Delicias mora nulla nouas quæsisse proteruè
Hijs poterat, paruo sublatis tempore quadris.
Nec gula conditæ damnosa venena culinæ
Contentis modico & frugi superaddere quibat.
Nulla sitim vitis Lenæo tincta furore
Explebat, nec fortè Deum te (Bacche) putabant
Fonticolæ cyathis contenti simplicis vndæ.
Postquàm exempta fames, iam non cratera coronis
Græculus incinctum statuens, certamine fœdo
Vrgebat socios certa sub lege bibendi.
Surrexere omnes: Saturni ante omnia laudes,
Quum breuis, at pleno cantu concluserat hymnus.
Inde cateruatìm patulæ sub tegmine quercus,
Quæ medio cunctis stabat procerior horto,
Membra reclinabant. Muscosa sedilia tellus
Attalicis potiora dabat (me iudice) lectis.
Inde manu postquàm alta silentia iussit Iärchas,
Surrexit senior quidam, cui forte diei
Illius incubuit munus residente popello.
Quippè senum stat cura istis pro more vetusto,
Siue Deum laudâsse bonum, cunctique parentem,
Quod mare, quod terram, quod cœlica regna creârit,
Siue aliquam pleno de tot virtutibus ore
Descriptam pubi commendauisse minori.
Vnde hodiè hic iustum, cras alter fortè modestum
Prædicat, & quis sit sedati pectoris vsus.
Hic crapulæ, & luxus damnosa pericula taxat,
Ille malam insequitur per tot discrimina pluris
Quærendi rabiem, & sacros Polymestoris æstus.
At facunda senex suspensis auribus ora
Qui sua tum soluens verborum diuite vena

Impulsam

Impulsam hûc, illûc turbam, ceu vecte, mouebat
Totus in hoc, prisci laudabat mascula sæcli
Corpora, quæ non tam quicquam superaddere iusto
Curabant, nimio potiùs quàm demere, si qua
Re poterat simplex, nullo caruisse periclo
Humanæ ratio, & Natura perintegra vitæ.
Quippè hominem à reliquis quum sola animantibus oris
Erecti species distinguat, lucida spectans
Astra Poli, internóque viget qui spiritus igne,
(Seu mens, seu ratio, vis hæc interna vocetur)
An non turpe homini, purgandum atque omnibus esset
Helleboris, veræ quærenti insignia stirpis,
Ostentare cutis splendentia tegmina, vestes,
Ipsum animum (Cereris ceu sacra abscondita) nusquàm
Proferre? immò etiam vinctum immersúmque tenebris
Condere mentito vanæ sub tegmine byssi?
Tanquàm aliquid byssus virtuti conferat, aut non
Simia iugè foret, quantumuis se induat ostro
Simia, vel barbæ faceret nota Stoicidastrum:
Aut demùm externo indigeat mens nuda paratu,
Quæ si pulchra viget, per se formosior ipsa est:
Vt magis arridet detracta veste puella,
Quàm vetula omnigenis sine prodeat illita fucis.
Ergò etiam vestis narrabat simplicis vsus
Quis foret, & quantum tremulis indulta lapillis,
Curáque Achæmenio quæsitis æquore baccis
Officeret: ceu iam manifesta insania pridem
Deliris animis pleno subreperet æstu.
Nec tacito intereà, quicquam placatior, ore
Transiluit Tyrij sanie conchyle profundi
Nobile: nec succos alios, quos miscet ahenum
Velleribus quæ præbet ouis candentibus vltrò,
Si candor varios natiuus fortè iuuaret,
Lanáue Ericthææ donum venerabile Diuæ,

Queîs pretio immani non ipsa holoserica per se,
Nec satis infamis depexa ex arbore pensi
Lanugo faciunt, phrygiano frusta labore
Ni conscissa super, quin ipsa & fimbria, vestis
Materiam exæquent opere, & dementibus ausis
Sartorum: vnde aliĳs tanta est patefacta refusis
Lerna malis, causam ex causa nectente catena.
Ingemuere omnes, fratrúmque infanda suorum
Crimina (nempè homines etiàm quibus vltima Thule
Vbera præbet inops algentia, semine cunctos
Cognato agnoscunt genitos, fratrésque fatentur)
Plorauere, aliquam optarunt & denique mentem
Hĳs quoque, mutato in melius resipiscere fastu.
At mihi, dum tales senior dabat ore querelas,
Sæpè pudor stimulans suffusa per ora cucurrit.
Conscia vestitus deliramenta superbi
Ipse mei nam mente colens, tum corpora villis
Istorum contecta, aut crassis fota lacernis,
Damnabam ingenuo commenta superflua voto
Nostri orbis, puróque istorum tegmina more
Discupiens, in me cunctorum versa stetisse
Ora, peregrina culpandum veste putabam:
Obstupuíque, nouo qualis sub marmore gnatis
Orba suis Niobe: attonito quum lumina vultu
Sic mea stare videns deiecta, hæc infit Iärchas.
Erubuisse tuum hoc (fili) mihi sollicitat spem
Esse aliquem melioris adhûc mortalibus ægris
Propositi sensum reliquum, nec pectora callo
Omnibus ex æquo vitiorum obducta rigere.
Tu modò visa memor rediens narrâsse memento.
Nec dubito: at grata est requies alterna laborum.
Aureus Oceani iam gurgite præcipitat sol,
Vesper & atratas quamprimùm nuntius vmbras
Noctis, & incuruæ præcesserit ora Dianæ:

Surgamus:

Surgamus: vos ô socij quò cuique cubile est,
Pergite, at hic nostris per opaca silentia tectis
Dum repedans Aurora rubet, successerit hospes.
Ista sed exacto me plenè exponere versu
Cynthius admonitor non vult: nam vellicat aurem,
Excerptísque iubet paucis, vt cætera cursim
Expediam, iusta memor vltima claudere meta.
Parendum est, & multa sciens indicta relinquam.
Nam neque vix credenda alijs describere ad vnguem
Proderit, aut illud non hic imitabile frugi
Illorum, iusto explicuisse volumine refert.
Auribus, atque animis alienis: mollius ex quo
Viuere nunc istic placuit. Tria lumina Phœbi,
Et totidem noctes illic transegimus, omni
A populo Hesperidum ingenuo candore medullis
Ex ipsis, imóque libentèr pectore foti.
Nec tria, ter centum vicibus si lumina Phœbi
Talia fulsissent oculis gratissima nostris,
Crediderim paruo vel temporis interuallo,
Mi curam potuisse lares repedare videndi.
Talis erat numeris species obiecta beati
Plena suis, quantum mortalibus ætheris alti
Nondum etiam indigenis, concedant inuida fata,
Inuida, ni nostro liuentia crimine. Gentem
At qualem hanc hominum? quàm plenis succida vidi
Membra toris? roseos viuaci & lumine vultus?
Forma parùm certè Superis concesserat ipsis:
Siue Deæ liuore haud vna in virgine tangi,
Ideo poterant memores sub iudice litis.
Seu puer instantes iam tunc gratissimus annos
Signaret dubio, niue colluctante, rubore,
Seu crispam imberbis per eburnea colla fluentem
Cæsariem traheret, non vnius ignis ephebus
Obliquo nymphæ sed dissimulantis amorem

Lumine: flauentis seu formosissima barbæ
Sylua viro iustis staret maturior annis,
Siue senectutis gestans insignia quisquam
Albentes traheret venerabilis ipse capillos,
Quilibet eximiæ visendus imagine formæ
Pulcher erat: qualem plenè laudâsse per omnes
AEtatis possit numeros spectator Apelles.
At si animi dotes, formoso à corpore quisquam
AEstimet, has oculis tanquàm sua corpora prodant
Candida cunctorum, quis possit pectora viuis
Depinxisse modis, seu paruis rectiùs vmbris?
In tanto populo mores, actúsque reuoluens,
Nil non eximium, nil non laudabile vidi.
Imprimis commune bonum socialitèr omnes
Curabant, opibus generoso pectore temptis.
Nullus amor nummi, non vlla superbia mentes
Torquebat titulis insudauisse modestas.
Nil erat æquales inter, quo roderet vnguem
Liuor, ab alterius suetus macrescere opimo.
Vna fuit victus ratio, vestitus & vnus
Omnibus: ingenuo Naturæ singula fine
Dum pensant, modicóque nihil superaddere ducunt
Esse bono summo propiùs, quàm plurima vanè
Quærentes medijs frustrari, vt Tantalon, vndis.
Prætereà, ne quid, non æquo pondere partem
Obrueret, partem subtracto fasce leuaret,
Mutuus hìc cunctos labor, & data dextera in orbem
Vrgebat: studium postquàm populare fluebat
Communem communi opera tutarier & rem,
Et prolem, & canos exacta ætate parentes.
Hinc ope, tum tenero certabat amore vicissim,
Alter in alterius propensus commoda: sacri
Quippè Deum generis quicunque extare parentem
Mente vigens reputat, mortalibus æthere summo

Dimissos

Dimissos animæ claustris gestantibus ignes,
Nunquàm animo immani gratis ingratus haberi
Eligat erga hominum autorem, generisque propinquos
Quos sciat imbutos eiusdem particula auræ,
AEquatúmque animi nactos cœlestis honorem.
Dedecus hoc nostræ proprium propaginis esto,
Nostro immitis amor se tantùm vt diligat orbe,
Se colat, omne volet tacitis sibi cedere votis,
Deuoret atque oculis, quod terra, quod vnda, quod aër
Continet, & nunquàm cesset sceleratus habendi:
Ista ferens, pòst illa petens, mox tertia subdens,
Quæ populo (nigras anima indignata sub vmbras
Vt fugit) integro videas potuisse viritìm
Annonæ supplere famem. Tantum horrea celant
Improba, tabentíque penu cellaria putres
Vermiculos rimis passim fundentia, clausæ
Per foris annosos deducto robore postes.
Intereà ventri demensum indicere auaro
Quis queat? hæc proprij fuerit quum semper habendi
Natura, vt magno potiùs depromere aceruo
Quisque volutatus cupiat, quàm dicere ineptè
Esse meum, nec & esse meum, quo cætera turba
Naturæ pro iure queat communitèr vti.
Et miramur adhùc, rupto quòd fœdere apud nos
Paulatìm commune bonum priuata tulerunt
Commoda, paucorum & placitis Respublica cessit.
Nempè animi à vitio imbuti medicamine diro
Quærendi vlteriùs Pandoræ pixis aperta,
Fudit in humanas scelerum tot millia mentes,
Quot neque vel culices tellus AEgyptia profert,
Pontica nec sæuis fœcunda est terra venenis.
At verò Saturnicolis vt copia cornu
Paupera corda beët pleno, & quàm diuite vena
Contentis bona quæque suo non tempore desint,

Nil opus vt longis hîc dicam ambagibus. Illîc
Fidus amor, tum cana fides, pietásque, pudórque
Ingenuus, candórque animis, & grata virûm mens,
Illîc in tenui larga & procincta voluntas,
Promptáque sedulitas, vel non orata, iuuandi.
Nam quid? nostra preces morosa superbia poscit:
Illîc (ô niueos cœtus, & lactea corda)
Creditis an lentè, tanquàm Iunonia sacra,
Auxilia incedant, rogitando ingrata petenti?
Aut tantùm officijs gens hæc coluisse propinquos
Magnum habeat? (quiddam hic magnum est) immò om-
Quamlibèt ignotis opera se comitèr offert, (nibus vna
Deducit, miscet consortia, sedibus ijsdem
Constituit, mensa impertit, simul omnia præbet,
Quæ sibi contrà optet tribui, si postulet vsus.
At mirum qua mente viri, qua mente puelli
Maiorum capita, vt totidem sibi Numina proni,
Atque verecundi suprema ad tempora seruent.
Par quoque virginibus pudor, & reuerentia matrum:
Et licèt auersis animis, & moribus, omnem
Cultum, habitúmque odio, ni sit frugalior, omnes
Alto habeant, damnéntque omne id, quo iure carere
Frugalis Natura potest, & mascula virtus:
Spurcitiem tamen, & sordes inimiciùs vno
Proposito vitant, memores cœlestia puris
*Numina corporibus, * vt pura mente colenda.* * Cæsu.
Quæritur hinc illis fontano lympha lauacro:
Et toties mersant artus fluuialibus vndis:
Hinc florum lectas species beneolentibus auris,
Quæ teneras feriant nares, cerebrúmque focillent,
Illecténtque oculos, circumgestare, suísque
Aspersisse casis, quin & thymiamite crebro
Se lustrare solent, atque indumenta, thorósque,
Et quicquid patuli claustris committitur antri,

Ne vitium ignauus torpendo colligat aër.
Denique tersa placent tersis, nec dicere promptum est,
Quàm purè, & qua mundicie seque, & sua seruent.
Atque ita simplicitas istos natiua, Deorum
Munere perpetuo stans inconcussa, perenni
Maiorum & studio, (nil admisisse nouatum
Moribus, aut priscæ viuendi ab origine formæ
Qui rebus longæua putant dare tempora vitæ)
Florentes pietate sua, & super omnia Diuûm
Conuictu, tantùm non ipsis inuehit astris.
Me miserum, illius tristissima noctis imago
Vt subiens mœrore animum perfundit inerti?
Quum teneris, ô chare vale, vale, inquit Iärchas
Me pater amplectens vlnis: iam tertia fulsit
Lux exacta, Deo dictante nouissima, apud nos
Qua licet esse tibi. Tu iam nunc inuius ibis
Ignota regione viæ, per inania vectus
A Zephyro, & tandem patrio sisteris in orbe.
Quarè age, da dextram primùm, simul vltima chari
Hospitis hospes habe studia, & te immitte cubili.
Cætera linque Deo: digressúque anxius ipse
Destituit largo madefactum lumina fletu,
Suspensúmque animi: donec subrepere sensim
Obstructis cerebri cellis sopor institit altus,
Perfuditq; imas Lethæo rore medullas,
Obijciens simulachra modis variantia miris.
Nempè adstare latus propter dispansior alis
Visus erat pulcher iuuenis, formosa virentì
Syndone membra tegens, redimitus tempora serto
Puniceo, vernísque rosis ab Adonidis horto.
Oráque ridenti vultu fragrantia pandens
Mille vnà species florum exufflabat, & inter
Verba rosæ mistìm ex labris, violæque cadebant,
Alba ligustra super, * *& lilia iuncta ligustris,* * Cæsu.

Luteus & Clymenes flos, & iuuenilis acanthus,
Tuque etiam Narcisse tuæ nimis improbe formæ
Mirator liquidas sedati fontis ad vndas,
Tuque Hyacinthe rubens minio, puer inclyte quondam
Lamentate tuo, disci post vulnera, Phœbo.
Adsum (ait) imperio monitus, iussúq; potenti
Illius, has miti sceptro qui falcifer oras
Possidet: haud vlli hanc operam mage sponte locârim.
Ipse Psychen quondam puero gratatus Amori,
Nunc te, ne timeas: dictúq; amplexus in altum
Sustulit: hinc nubes subtùs mirabar, & arcto
Lumine vix vllas poteram discernere terras:
Oceani tantùm tremulo fulgore micabat
Parua superficies, tot dudum de parasangis
Vix benè qui exiguæ spacium exæquauerat vndæ:
Surgere sol contrà maior, Titaniáq; astra:
Et iam præcipiti sese dedit ecce volatu
Aliger in vasti subuexa cacumina montis,
Terque quatérque leui fretus moderamine gyri
Substitit, illæsum acclinans radicibus orni,
Depositúmque vnà somnus, vectórque reliquit.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

DE

DE REP. ANGLORVM INSTAVRANDA,

Liber Octauus.

MIrabar, ſpeque incerta dilucula nondùm
Clara ſatis luxiſſe videns, quibus ales in oris
Solum abiens, prædámne feris per inhoſpita luſtra,
An potiùs propter veſtigia culta virorum
Liquiſſet, tacito mecum ſub corde putabam.
Intereà ſyluas vario Philomela paratu
Complebat, tremuláſque impulſo ex aëre frondes
Sollicitans, crudos Terei plangebat amores.
Parte alia illudens, eadem vocalior Echo
Reſponſante ſono querulæ lamenta ferebat:
Illa adeò auſcultans paulùm, ludibria voce
Iam magis arguta indignans ſuperare parabat.
Nec modus, alternis dum vero certat imago:
Ipſe diù pendens animi diſcrimine paruo
Vix poteram ingenuam à ficta dignoſcere vocem:
Tanta per incertos errat fallacia ſenſus.
Ecce autem procul, & ſummis velut auribus hauſtus,
Criſtati vigilis vicina per oppida cantus,
Latratúſque canum (quoniam Tithonia coniux
Iam turbare Polo furuas occeperat vmbras)
Fidentem prærupta dedit per ſaxa recliuis,
Anguſtæque viæ, ſonitus quà proximus aures
Perculit, indicio non longè abſtare virorum

Tecta per instructas plateis, & mœnibus vrbes,
Siue per extensos, rurestria culmina, pagos.
Quum subitò ad læuam Thamesis pulcherrimus vrna.
Cærulea effundens sinuosi flumina tractus,
Ipse Pater glaucos redimitus arundine crines,
Extulit è medijs rorantia corpora lymphis,
Atque ita rauca sonans, infit: fili ô mihi fili
Exoptate diu salue, redeuntia tandem
Hîc ô, fige morans vestigia: non tibi semper
Proderit insano sic indulgere labori.
Sit modus, & vidisse tenus iuuet: omnia nec tu,
Nec quisquam, non ipse olim polyhistor Athenæ
Cura suæ Laërtiades, fumantia Troiæ
Qui post fata vagus, solis bis quinque labores
Neptuno indignante tulit: tot adisse pericla
Tot populos, tot regna, & cinctas mœnibus vrbes,
Quin etiam dextras toties tetigisse potentes
Sceptrigerûm, ramis prætextum mitis oliuæ.
Est quiddam titulis meritò adiecisse paternis
Quòd possis: noménq; tuum Gentilibus exhinc
Fortè tuis decori existet, post liuida fata
Quum nihil inuidia vlteriùs virtutibus vllis
Detraxisse queat, sed facti gloria perstet
Maior ab exácto mortalis stamine veli.
Intereà, ne tu nimio peregrina videndi
Illectus studio, patrijs iam grandior oris
Vsque absens perdas suauissima tempora vitæ:
Si sapis (instat enim mox canens barba) cauebis.
Ergò age cum charis fac congerronibus, vna
Qui te voce cient, instaures læta Lyæi
Pocula: iucundum est seriem repetisse laborum
Post epulas, tunc cum crepitantior igne caminus
Exultat, missisq; libet garrire sophistis.
At ne turpe puta, paulò infrà quàm potes, esse,

Neue

Néue minor, quàm sis, vulgo censente, videri.
Non summissa quatit Boreas virgulta fragore,
Nec dedignatis contenderit ille salictis:
Quum tamen excelsas euertat stirpitùs altis
Montibus & cedros, & opaca cacumina quercus.
Insere tu quandoque pyros, quandoque per herbam
Proiectus, teneras calamo meditare Camænas.
Grandia mitte aliis: extrema impingere meta
Sæpè senescentes, olim laus prima, quadrigæ
Suerunt: emeritos ni dones iam rude cursus.
Quòd si fortè iuuet nonnunquàm audire negoci
Quid geritur: toto referet tibi semper ab orbe
Londinum, num Turca fremens immittat habenas
Classibus, Illyricos an tractus vrgeat armis.
Quid Cæsar, quid Gallus agat, quæ proxima fuscus
Hispanus noua regna petat, quid cana ruinis
De tot Roma suis primum instaurasse laboret.
Multáque præterea turbis oppleta, Menippi
Quæ tanquàm è solio spectans mirabere nunquàm,
Si sapis, immò eadem hæc olim discrimine paruo
Acta putes, tragico nunc personata cothurno,
Nunc socco subnixa leui, ludósque dedisse
Secura tum mente sophis olim atque datura,
Si verum est nihil esse nouum, sed facta futuro
Curriculo, punctum rursus reditura ad eundem:
Quum tibi nunc gemitus quædam, sed plurima risus
Materiam tam stulta ferent: molimine magno
Amentûm procerum, & populorum fluctiuagantûm
Irrita dum toties reddit Rhamnusia vindex
Vota, minas, odia, insidias, malè conciliata
Fœdera, bella, leues & luso Numine paces.
Tu memor incerto quàm stent pede singula, firmum
Nil adeò hic ducas, quod non contraria possit
Sors ima inuoluisse rotæ: fer cuncta, fabisque

Abstineas, cuiquámque caue te addicere parti
Concertantúm hodiè de lana sæpè caprina:
Si vitare potes vix intellecta probâsse,
Dum Deus, & melior litem concordia soluat.
Intereà (vt semper dubia est sors quæque futuri)
Nullius os læsisse voles, aliena benignus
Præsentúm, absentúm procudere commoda cures.
Sic tu charus eris, sic te vidisse libentèr
Nota, ignota velit, peregrina, & ciuica turba.
Verùm tuta licèt tibi nunc ignobilis oci
Consilia inculcans, nolim immiscerier vllis
Partibus, emeritas posthâc (tua gaudia) Musas:
Attamen hæc turbis tam fœta ætate labantes
(Heu pudor, & pietas frustrà prætenta Deorum)
In diuersa ruunt vbi læuo Numine ciues,
Si videas (vidisse potes) tendentia contra
Pectora pectoribus, plusquàm inciuilitèr altis
Digladiari odijs per fœda opprobria linguæ,
Quum te ciuis amor pàr hinc, par debeat illinc
Communisque simul patriæ iactura mouere,
Iniectis satagas tam sæua incendia lymphis,
(Si potes) & longa quàm primùm extinguere Lethe.
Hoc melior curabit idem censura bonorum,
Quêis inuisa nocens discordia tanta dolori est.
Non Iouis ira minax, non cœlo fulmina, ruptis
Non maria aggeribus, non terræ flamma cauernis
Exiliens, non vis adeò quæcúnque remotis
Immissa à populis, nostras populabitur arces,
Vt furor intestino odio ciuilia carpens
Pectora, si in partes scindit se turba refusas.
Sed potiùs tacuisse velim, quod abominor: vndas
Nile tuas atque Inde tuas, stagnare cruentum
Barbarico accipiam tabo priùs, & fera Turcas
Agmina conuersis in se mucronibus vti:

Quàm mea collatis deplorem flumina signis
Mutâsse in Tyrios priùs ora argentea vultus.
Verba gemens Amnis singultu infecta supremo,
Finierat, mediјs sacrum & caput abdidit undis.
At velut oblongo nondùm qui exuta sopore
Membra parùm attollens dubitat quæ prima videntur,
Num planè videat vigil, an per somnia imago
Illudens cerebrum obiecto titillet inani:
Sic mihi iam ostentis toties, formísque Deorum
Correpto, attonitus mentem turbauerat horror,
Quò me iussa Deûm, quò fata incognita vellent
Tendere: visa memor num mens mea ritè referret,
An delira nouis hæc fingeret excita monstris:
Quum Genius contrà mihi pectus talibus vrsit.
Ergò insane audes deliria dicere Diuûm
Ostenta? an dubitasse potes? non omnia Diuis
Hæc quadrare vides? & Diuis digna loquutos?
Num quid turpe iubent? num quid, quod prona per omnes
Non optet numeros rectæ Politeia formæ
Successisse sibi? paulùm te collige, & acri
Quælibet expendas animo: (proiectus in vmbra
Vt satur epastas iterùm bos ruminat herbas)
Si longum est totam hanc repetitò texere telam,
Vltima tantisper modulo metire sagaci,
Quæ Deus innocuis tam conuenientia sceptris
Falciger, & populo statuit seruanda beato.
Illius vt castas subeant & Numina syluas,
Antráq; natiuo gratè surgentia musco,
Si repetis: repetisse etiam iuuet, vlla per istas
Videris an quoquam momento Numina terras?
Num cœtus celebrâsse virûm? non horrida (forsan)
Quos sua paupertas excluserit hospite Diuo,
At procerum? (si quid Superos dignabile tangit
Fortè supercilium, & lati reuerentia claui,

Siue quid aurato rutilans toga dibapha limbo)
Numnam etiam tectis (quamuis laquearia fuluo
Incrustata micent, morum portenta, metallo)
Successisse Deos nostro cognoueris orbe?
Siue per impuras isthic conuiuia mensas
Exegisse, nouis vbi tot commenta coquorum
Delicijs, domino fastidia cruda palati
Vix sarcire queant, vt languida surgat Orexis?
Sin nihil istorum cælestia pectora tangit,
Quin potiùs vitâsse solent: operosa necesse est.
Ista hominum commenta, bono contraria, vitæ
Corrumpant puros fontes, animúmque labantem
Inficiant, misso vt veræ virtutis amore,
Antè Deo qui impensus erat, patriæ, atque propinquis
Omnigenis, quà terra patet (ne tu tibi paucos
Proponas) proprij inuertant hæc omnia curæ.
Vnde animo egregiè neglecto, corporis vsque
Cultus, amórque sui superest: nec dicere promptum est,
Quàm validè affectus circum præcordia falsi
Intendant stimulos victa ratione furentes.
Nempè cupis: dein si teneas optata, superbis,
Contemnísque alios præ te, nec liuor inerti
Intereà bili cessat tibi rodere pectus,
Si vicinus ager plusquàm tuus ambiat, aut te
Incedat saturo quisquam solennior ostro.
Seu gemat illius potiùs sub pondere discus
Adriaco rhombi quì luserat ante profundo.
Hinc dolor, hinc odium, hinc lites, hinc iurgia paruis
Principijs sensim iratos in prælia trudunt.
Parte alia, benè vestitos, comptósque labori
Velle putas, aut posse putas incumbere honesto?
Delicias num sol, num sudor gymnicus istis
Excutiat signis, quêis ne toga diffluat, aut quid
In præcomposita luxatum veste laboret,

Nec

Nec ſeſe cubitis trudentis credere turbæ,
Nec lucta certare volent, nec tendere curſu,
Nec ſternacis equi colla indignantia frænis
Flectere, nec ſumptis duram ſaltare ſub armis
Pyrricham: perſona vetat. Sic bellica virtus
Iugi exercitio conſtans, perfectáque agendo,
Torpet hebes: tanti (ò ciues) & amicula propter,
Nil ſumus, & patriæ libertas proditur, empto
Milite degeneres dextras luitura ſuorum.
Quippè viros ſi bella manent, ſi ferrea robur
Arma volunt, neruóſque habiles (geſtamina fortis
Ne fruſtrà Nireus imbellior aptet Achillis)
Cenſen' fœmineis iſthæc tractanda lacertis?
Aut benè inexperto quicquam te credere Marti
Iſtorum, qui dum veſti parſiſſe laborant,
Parciùs edurant valido ſua corpora niſu?
Præterea (vt nunquàm ſocio ſine perdita tendit
Mollicies) benè veſtitum, bona fercula par eſt
Expetyſſe gulæ, callentem ſcita, profundus
Quæ gurges ſcripto liquit ſuper arte coquinæ.
Vnde Venus prurit petulans, Muſáſque Priapus
Præcipites furcilla exturbat fonte, iugíſque
Parnaſſi, atque graues incocta ſaginula ſenſus
Nil altum ſpirare ſinit: ſed crimine ab vno
Crimina concordi manant & cætera curſu.
Crimina quot noſtris hinc enaſcentia campis
Nec memoráſſe velim, nec ſi memoráſſe laborem,
Iuuerit: vſque adeò morum ſi clauſtra reuellas,
Frugales epulas, & veſtis ſimplicis vſum,
Poſt immitte tuis Neptuni flumina campis,
Quà data porta, ruentis & hæc cochlearibus olim
Vna opera pergas iterùm exhaurire minutis.
Hæc Genius: neque tinnitus dextræ abfuit auris,
Quondam Socratici cantatum Dæmonis omen:

Sed quamuis iam dicta iterùm haud dixisse laborem,
Istáque non vanè Genius tam noxia strinxit:
Attamen exactum peragenda videntur ad vnguem
Altiùs, & primo labes à fonte petenda.
Nam duo cum valeant retinendæ vincula plebis,
Iussus, & exemplum, quantum effecere iubendo
Tot reges, toties taxantes perdita apud nos
Instrumenta gulæ, & luxus, vestísque prophanæ,
Iamdudum scimus: toties quum pulsa recurrant,
Transcendántque nouis noua claustra potentiùs ausis.
Non placet, & potiùs nunquàm vetuisse probârim,
Dissimulasse super, læsæ discrimine tanto
Quàm maiestatis, quicquam mandarier, vsu
Et tacito populi consensu mox abolendum.
Ergò, aliquid certè vitio est, & non nihil ipsi
Semper abest nodo: quare si iussa minantèr
Hactenùs in ventos abièrunt rapta procellis,
Nonne opus exemplo reges anteire suopte est,
Et primos tentare vadum? Dubio procùl omnes
Inde cateruatìm conuersa mente sequentur.
Et non inuitè tam fida exempla capessent,
Quum metus omnis abest, & prurit opinio pulchri
Illabens animis non vlla lege coactis.
Quippè quid hîc scitis, aut scripto iure minutìm
Res cunctas tractare iuuat? lex scribitur, & mox
Archiuis mandata, sitúque obducta silescit:
Immemor inuitus paruo quum tempore fiat.
Tu si aliquem recto, sine vi, conamine blando
Illectans iunxisse queas, violenta reponas
Condita, dum nullas alitèr ferat ille medelas.
Non magis vt lictor tractum formidine cogat,
Quàm si oblata boni species, spe diuite ducat.
Ergò tuos non tam iubeas quæ tu facis, illi
Ne faciant, quàm se potiùs componere ad illud,

Ipse quod effigias exemplar pulchri, & honesti:
Externo saltem quantum comprehendere sensu
Simia turba potest, oculis plus credere sueta,
Quàm tabulæ innumeris affixa per æra lituris.
Scimus enim quantum laudatos quilibet omni
AEmulus ex populo factis effingere certet:
*Postquàm laudis amor * etiam ignauissima tentat* * Cæsu.
Pectora, plebeiósque animos, quanquam ordine læuo.
Nam genus, aut clarum ingenium, aut Mauortia facta,
Illustrésue animi dotes, quibus alta refulgent
Pectora nobilium, si fex ignaua popelli
Haud similare queat, nec si queat, improba vellet,
Saltem aliqua similes istis vt parte notentur,
Effingunt næuos, vestésque, & fercula magno
Conciliant, quantum res, & lex lusa malignè,
Concedant animis stulta ratione superbis.
Quippè leuis si pluma caput, toga byssina tergum
Exornent, adsintque coëmpta cupedia, quantum
Nobilibus, iam se hoc claros, iam sanguine prisco
Prognatos, primæque putant fore classis alumnos:
Hijs demptis, quo se iactant, quid denique restat?
Nobilibus frugalis eat cibus, & toga puro
Vellere quadrupedis patrij: iam quisquis inempto
Nobilibus certare volet, similísque videri,
Effingat mores, vera & virtute satisdet
Se, quanquam ruri, & libertino patre natum,
Omnia commeruisse tamen. Nec rodere liuor
Audeat ingenuo conatu ad summa parantem.
Maiestas, speciésque igitùr si dia monarchæ
Haud ex veste suis tam conspicienda putetur,
Bacca licèt, tremulóque absint fulgore lapilli,
Quos Oriens habet, atque habeat, neque barbara poscat
Ipsi adeò intextu radient vt pallia picto,
Quàm si alio (modus haud deerit) venerabilis adsit

Inuento, vt non tam peregrini exotica ſumptus
Forma probet regem populo, quàm paruula paruo
Quæ nota conſtaret pretio, qua cognitus omnem
Procumbente genu videat ſibi cedere turbam:
Iam nihil eſt, ipſus cur quæ rex improbat, vllus
Audeat hinc ſtolido ſibi deſumpſiſſe paratu.
Si veſti non vllus honos: num pignora quiſquam
Inſtituat carò empta, haud vllos prodere in vſus?
Par ratio & menſas poterit taxâſſe nepotum.
Quarè ego nunc adytis quod Delius edidit ipſe
Ortygiæ, circum tripodes, laurique perennes
Concuſſæ tremuêre, ſolúmque immugijt imum,
(Pace bona liceat) vobis proferre, monarchæ
Angligenæ, inſtituo: vos (ſi pia cura) fauete
Auribus, atque animis, quantum ratio exigit, æquis.
Imprimis, quoniam vix vllius indiga noſtra eſt
Inſula diues opum, ſed vel ditiſſima lecto
Vellere, quod toto tantum laudatur ab orbe,
Aut ſi non quantum meruit, culpemur inerti
Nos ſtudio, qui vermiculi plus inteſtinis
Deferimus, patriúmque decus contemnimus vltrò,
Lex æterna ſacris ſciſcatur danda columnis,
Approbet hanc regis, populique, patrúmque poteſtas,
Ne liceat byſſo poſthàc veſtirier. Ipſe
Rex alijs ſummâ ſignum prætendat ab arce,
Laneus, & frugi trahat in conamina turbam.
Quiſquis adhuc veſtes (olli ſunt pectora duro
Marmore dura magis, quem rex non mouerit ipſe)
Progreditur vetitas humeris aptâſſe ſuperbis,
Huic adeò bifores, regalis ianua, valuæ
Obfirment aditus, neu ſacra palatia turpis
Contemptor pedibus poſſit calcare nefaſtis.
Quinetiàm ne templa Deûm celeberrima pompis
Introëat, fora iuris inops præterlegat, inde

Comitia,

Comitia, & cœtus vitet ſolennitèr actos.
Prætereà incedens digito pro iure notetur,
Matribus & pueris ridendus. Non ego poſthâc
Pœnam aliam ob faſtus huic obiecisſe laborem.
Parte alia, luxus truncandi haud infima pars ſit,
Vnanimi vnanimes veſtitu incedere ciues,
Quantum poßibile eſt, habita ratione virilis,
Fœminei & ſexus, templique, & ruris, & vrbis,
Atque magiſtratus. Facile eſt inſignia cunctis
His ſua ſeruari, & paruo tamen illa fateri:
Ne quid ſumptus iners digni arroget, aut potiores
Ille trahat partes, tegitur qui cariùs. Hoc ſi
Concedas: nunquàm ſolida radice beatus
Ille tibi ſurget cœtus, qui fluctuet æſtu
Præſtandi, non tam vera virtute, petitis
Corporis in cultum quàm Barbaricè ornamentis.
Vnde hodiè centena puto vix nomina poſſe
Delicias plenè muliebris dicere mundi.
Ecce viros variæ veſtis diſcrimina torquent:
Seu malè præcinctis toga diffluat, aut cinctutis
Ilia conſtringat Spartano more, Cethegis,
Seu virgata micet, ſeu pulla, aut candida, nullo
Interſtincta placet, porrecta, plicatilis, ampla,
Stricta, oblonga, breuis, ſinuoſa, aut denique plana;
Veſtis habet formas, quot non trahit illa colores
Iris in aduerſum, madido Ioue, conſita Phœbum:
Quot non Theſſalicis pallens Lucina venenis:
Quot nec ſæua truces effudit Scandia gentes,
Fatales Romæ (ſic Dij voluere) labanti.
Quinetiàm, vt ſtultis ſtultorum exempla petuntur,
Gallus amat Thuſco rediens incedere amictu:
Thuſcus habet tunicas lumbo tenus impræcinctas,
Neſcio num veteris Porſennæ exempla ſequutus:
Gaudet Dalmaticas Germanus ferre lacernas:

Germanas Bataui lænásque, & pocula poscunt:
Palmam hodiè at cunctis chlamydatus dempsit Iberus,
Ipse agilis, sed tardigrado sub pondere lentùm
Incedens, siue illi vndosam fimbria vestem
Sæpè triplex claudat, siue illi stupea moles
Enormes caligas diductis passibus inflet.
Omnibus ast omnes numeris superare paratus,
Quæ videt in cunctis etiam stultissima, solus
Indigesta super, transfert imitando Britannus.
Vsque adeò, vt nostris dicat peregrinior oris
Allabens, quidnam hoc? Italos, Gallósque, Getásque,
Atque Arabas, Batauósque, & flauicomos Alemannos,
Atque leues vna video regione Pyrenes
Transmissæ populos, & Achiuos insupèr vnctos?
I nunc, fortè tui miraberis inscia monstri
O patria, ô Diuûm domus alma Britannia, quid sit
Quod tibi diuersos diuersis moribus istic
Fata dedere viros: credin' tam dissona vestis
Quòd queat ingenia instinctu formare sequaci?
O ciues (sed nec ciues vocitâsse laborem
Tam varios) ô quicquid auis nunc estis ab vnis,
Multi, multimodíque, & multicoloribus alis,
Qua tandem facie, aut quonam procedere amictu
Perplacet? immotis vt stet sententia velis,
Nec fluat, atque leues temerè mutetur in horas?
Nempè aliquid si lingua trahit vernacula magni
Momenti ad mores fluxos, rigidósue popelli
Vtentis, grauitate graues, leuitate volucres:
Efficiens, habitum nihil hîc interfore censes?
Id si fortè neges: dicat tibi Roscius, aut qui
Cunctantem indignans famulum spectante theatro
Occidit sceptro (tantas Agamemnona quondam
Non verum exercere iras docuere cothurni.)
Nimirùm qua quis persona prodit, oportet

Tale

Tale quid efformet dictis, gestúque theatri
Si plausus meruisse volet: quin optimus ille est
Histrio, qui nouit finxisse simillima veris.
Hæc adeò vt fiant, animum componat oportet
Rebus, vt is se illum verè putet esse Lachetem,
Siue Getam, aut quemuis, quem sumpta veste reponit.
Ergò etiam & ciues habitu prodire modesto,
Atque verecundo decet, & super omnia forma
Vnimoda, quò æqualis amor æqualibus insit
Mentibus: hinc alius ne veste superbiat, illinc
Ne dolor excruciet liuentia corda aliorum:
Paulatímque decus non à virtute petatur,
Sed tunicis: quo iure etiam vel bellua cocco
Tota instrata super, poterit gestire, suásque
Mirari auriculas, atque exultare rudendo.
Quòd si exempla petas, nec quid non vsque probatum
Testibus, in duros statuas demittere sensus,
Ecce omnes, terra omni, atque omni ætate, sub ijsdem
Legibus assuetos ciues, ritúque sacrorum
Viuere, vt ijdem habitu semper cognoscier vno
Inter se voluere vni. Non pallia sumpsit
Laudato pro more togæ gens sueta Quiritûm,
Nec toga Cecropijs conscendit pulpita Athenis:
Non magis ac patriæ iuuit stola Persica quondam
Vestis amatores: quamuis violentior ille
Iam se Ammone tuens, vltrà & mortale superbus
Laxa renitentes voluit redimicula ferre
Æmathios. Gallúsne sago non notior olim?
Non Scytha pellitis tunicis? non tegmina villo
Horrida Germanos quondam ostendère viriles?
Quid memoro antiquos? stetur præsentibus: oro,
Non hodiè demissa gerunt & amicula Turcæ,
Atque alij, quos lapsa fides in verba coëgit
Illius, errores Nabathæis primus ab oris

Qui Pharias tulit in sedes, Asiámque veneno
Infecit latè mollem, Libyésque retostæ
Littora, Atlantiaci superauit & intima saltus
Regna, mináxque ipsi iam nunc supereminet Istro?
Nil moror illorum vestis num forma probetur:
Hoc dico, vnimodos (tanti est concordia) victos
Iamdudùm varios aruis pepulisse paternis,
Atque focis, arisque simul. Iam quantula pars est,
Quam colimus loti baptismate totius orbis?
Olim alitèr: factum clames indignitèr: & me
Re vera miseret. Sed quid miramur, eundem,
Constantémque sibi, si dissitus expauet hostem?
Quippè repugnando qui secum dissidet ipse,
Non idem est, sed inæquali pro pectore torpens,
Omnia tuta timet. Quocircà & moribus impar
Redditur, imparili populus qui veste laborat.
Improbus ille super, cuius quum nausea rerum
Ferre nequit formam constanti lege manentem,
Fluctuat, atque odit possessa, inhiátque futuris.
Vnde vel à minimis progressu sæpè proteruo
Et maiora volet nouitati inuoluere. Fœlix
O fœlix vna ante alios vrbs inclyta, vallo
Quæ maris Adriaci, penitúsque paludibus altis
Tuta manens, sed tuta magis moderamine legum
Diuino, grauibúsque viris, lectóque Senatu,
Frugales epulas, patriæque insignia vestis
Vsque eadem præfers, solis post mille labores,
Exactum toties repetentis iugitèr annum.
Non tibi tantillæ primæua ab origine causæ,
Temnuntur, patrij laxa compagine moris
Soluendi: vsque adeò est, aliquid mutâsse, beatis
Suspectum. Admisso insistent mox altera primo:
Exemplóque prement, pòst indignata repulsam.
Scilicèt, hoc liceat? causæ est cur non licet illud

Iam

Iam ſcimus: permitte lubens: ni denique mauis
Ingratis. En quò tenuis neglectáque rima
Immani tandem ſeſe diducet hiatu.
Sed redeo ad noſtros: vobis ſi fortè Britanni
Quis Deus hoc animo fixum duit omine dextro,
Velle togis patrijs, atque vno more foueri,
Velle famem breuibus latrantem exoluere cœnis,
Ne producta graues cogant conuiuia ſomnos,
Quin duo fercla omnes ad ſummum carnea menſas
Concludant: (olera excipio, pulmentáque, & horti
Dona laborati grauidis pendentia ramis,
Deliciáſque ſuper, quaſcunque benignior imo
Effundit pelago Nereus, lætatáque raptu
Squammoſi pecoris trahit ipſa in retia Doris.)
At neque natales, videar ne durior, iſtis
Legibus includo, aut ſolennia feſta, profuſam
In ludos ſolito recreant quæ tempore plebem,
Nec geniale epulum, priſco quod fœdere Bacchus
Atque Ceres pepigere Hymeni, Venus alma licentèr
Pangendæ indulſit ſoboli, nucibúſque proteruis.
Iam meliora iterùm, quin aurea ſæcula prorſus
Spondeo, ſedatos animos, ſaniſſima cunctis
Corpora, victricéſque manus, & priſtina gentis
Belligeræ, impigrè reuocato Marte, trophæa.
Quinetiam, quanta haud alias prædiuite cornu
Copia per noſtras ſparſit ſe fertilis vrbes.
Nam paruo ſaturanda fames, obſonia parcè
Atque parabilitèr promens, ſi cætera condit,
Et paruo tibi tecta cutis, nil prodigit vltrà
Quàm ſatis eſt, ſimpléxque togæ ſibi poſtulat vſus,
Maxima ſeruando quis non videt affore parcis
Commoda? diuitias tantùm non montibus auri
Æquandas? vbi terra parens tam diuite gleba
Ter totidem frumenta viris (ne deſit aratrum)

Et nouies totidem laudato vellere vestes
Largitura (suo luxus modò limite constet)
Congesto queat hinc secura expromere aceruo,
Atque libens alijs lucro quæ multa supersunt
Ingenti vanum proponere. Curret ab Indis,
Curret Hyperboreis Mercator gnauus ab oris,
Ista volens, quin illa volens: vicinia fruges
Expetet, ex aliqua rarò non indiga parte.
Dia suas populis regina Britannia dotes
Veste triumphali scapulas induta decoras,
Atque comas auro obryzo connexa virentes,
Distribuet, toto spolia atque reducet ab orbe
Aurea, Daricos captos, refugósque Philippos
Ante triumphati qui transfuga terga dedere,
Ditârúntque alias resupino hoc tempore gentes.
Tum verò si diues habet quo lautiùs vti
Lege nec offensa poterit, quum pessima ventris
Ingluuies, tergíque operosa, & perdita moles
Cancellis cohibentur, & hâc non denique laxa est
Labendi via, saltem aliquà vt prorumpere possit,
Et famæ inseruire, & vulgo dicier, hic est;
Siue peregrino palatia maxima sumptu
Extruat, aulæis aut tecta rigentibus auro
Instruat, aut abacos cælata mole gementes
Insternat cœlo, (tot vasa & pocula surgent)
Seu tabulæ, & Pario statuantur marmore signa.
Porticibus longis, equus arduus, arma, libelli
Omnimodi exornent ædis loca lecta politæ;
Seu placet ad citharam, siue assa musica voce,
Musica diuinum donum, & præstantibus aptum,
Ingenuísque viris, quam qui contempserit, orbos
Arguit indocti stupido sub pectore sensus.
Seu quocunque modo, salua se lege, refusum
Diuitijs queat hic locuples ostendere honestis:

Nil

Nil moror, vt nequeam planè omni ex parte Britannum
Fingere ad optantis votum: saltem eroget istas
Diues opes in res, quæ publica commoda damno
Afficiant minimo, quæque exuperabile quiddam
Vel post fata ferant. Domus alto marmore structa
Durat, & ornatum patriæ communitèr affert.
Signa manent alios: ars hîc non barbara luxum
Excusare potest, abaco nil deperit, ipsa
Stragula, quæ potiùs taxes, & lauta suppellex
Transit ad hæredes: nihil hic non rursus in vsum
Confertúrque aliorum, & quid durabile præstat.
Fœda redundantis ventris quò (dicite) transit
Ingluuies? tantúmne in stercora pendere fas est?
Siue impensa nouis in vestes perdita formis
Excrescat, celeri fortassè obnoxia Iano?
Quàm citò pœniteat, quàm non syncera voluptas
Hæc fluat, alatis hinc abripienda quadrigis,
Quid memorâsse velim? tu pectoris, & teritur res
Et vestis: nihil hic reliqui speraueris, vltra
Inuidiam, aut sannas, si mendicâris, amaras.
Talia possesso Phœbus dum pectore dictans
Afflatum proferre iubet, subigitq; premendo,
Non accepta loqui, sed conuenientia vitæ,
Ecce repentino sese diducere Olympus
Discessu mihi visus erat: vidi atria magni
Magna Iouis, mediúmq; Iouem, cingente corona
Cœlicolûm, æthereis fulgentia corpora sellis
Vt suffulta, Iouis solium sublime, theatri
In speciem, assessu clausere hinc inde reducto.
Clara auro, atque suis lux interstincta pyropis,
Vertice de summo radios spargebat in orbem
Innumeros, quantum obtutu comprendere visus
Perstricto quibat: ceu quando obuersa corusco
Caligans acies soli, resoluta liquentes

Tota eat in guttas. Sed enim durabile ſpectrum hoc
Non fuit: at clauſis iterùm ſe regia cœli
Abſcondit foribus, paulatìm ductus in arctum
Vt minus atque minus ſpacium complebat hiatus
Ille rubens, donec reliquo nihil aëre diſtans
Cœruleo rurſus ſeſe veſtiret amictu.
Intereà è ſummo demiſſum cardine Olympi
Accelerare Deum video, per inania vaſtis
Tendentem ſpacijs, quà pronior impetus illum
Præcipitem dedit in terras: haud ſegniùs ac ſi
Prædæ inhians niueum media inter nubila olorem
Quum videt ad liquidas fuluus Iouis armiger vndas
Securum, atque vda ſiſtentem corpora ripa,
Deuolet, incautóque celer ſuperincubet hoſti,
Ocyor excuſſa neruo ſtridente ſagitta,
Ocyor atque Notis, & fulminis ocyor alis.
Vt verò adſtiterat proptèr, poſitóque nitore
Conſpiciendum oculis dederat ſeſe arduus iſtis:
Primùm equidem fletu ſteterant ſua lumina oborto,
Et gemitu indignans crebrò ſuſpiria fouit.
Dein verſo in riſus idem lætiſſimus ore,
Tot ſuper ingeminans concuſſo ſplene cachinnos
Edidit, vt centum Heraclitis tendere contrà
Democritos totidem verſa ratione putâſſes.
At verò & ſpecie Deus hic mirabilis ipſa
Totus erat: nam dextra ſtylum geſtabat acutum,
Læua tulit pugillares. Dictabat in aurem
Neſcio quid raucum nigranti corpore coruus,
Inſidens humero: ſimilis Deus auſcultanti
Fouit auem, iam iamque ſtylo dictata parabat
Excipere, & fidis committere cuncta tabellis,
Hiſpidus vſque ſitu, tum ſcabro liuidus ore.
Ruga cutem obduxit vel plurima, dentibus atris
Rictus hians linguam vibrabat ab ore triſulcam,

Quæ quanquàm absentes, longo certissima tractu
Tangeret, arbitrio carpentis singula Diui.
Nunc oculos, cancri de more, emittere totis
Visus erat spacijs, nunc pætos condere eosdem
Extremis cerebri cellis: ceu visa negaret,
Visa tamen, latúmque vigil seruator ad vnguem,
Conniuens, aciem sibi dissimularet acutam.
Hic igitùr, iamdudùm illi ceu notior essem,
Compellat dictis prior, & sic corripit vltrò.
Non locus hìc rectè ob culpata, reprensáque (amice)
Pœnituisse tibi. Qua libertate tuorum
Hactenùs impuræ damnasti crimina vitæ,
Et damnâsse decet calcem constantèr ad imam.
Conscia tam pulchri incepti te mascula virtus
Erexisse potest, & veri amor, & pius almæ
Impensus patriæ labor, & reuerentia Diuis
Præstita: quos lapsis iterùm succurrere rebus
Humanis, tam certo opus est, vt ni Deus istis
Adferat auxilium tota compage solutis,
Nulla manus instam ferat hìc humana salutem.
Quarè age, confidens iterùm te collige, Diuo
Nec fautore cares. Quin summi rector Olympi
*(Non iniussa loquor) * eadem hæc efferre, supremis* * Cæsu.
Delapsum cœli spacijs me iusserat: vt te
Mœrentem erigerem, & monitis solarer amicis.
Hæc Deus, at posita postquàm formidine quicquam
Mortalis Diuo poteram retulisse loquenti,
Sic contrà ingredior, quæsitísque anxius insto.
Quis Deus es, quo te compellem nomine, votis
Hinc onerande meis? tua namque altaria libo,
Fumantique super cumulauero thure quotannis.
Subrisit. Neque sacra mihi, neque templa, nec aras,
Quæsierim: sauæ serues licet ista Dianæ,
Morosisque alijs, sese qui sanguine fuso,

Placarique volunt humanis insuper extis.
Momus ego, an Momo quisquam tulit hactenùs aras
Erigere? hoc igitùr tam vano absiste labore.
Sint licèt ingrato mortales pectore, & ipse
Auribus haud semper verum Saturnius æquis
Excipiat: tamen vnus ego imperterritus insto.
Fata regunt sceptra ipsa Iouis, Diuósque, hominésq;:
Et me fata Deum statuerunt crimina ab æuo
Carpere, tum Diuis frænum imposuisse vel ipsis.
Dij (quoniam Superis maior reuerentia veri est)
Censorem admittunt Momum fasti, atque nefasti,
Et summa inuectum pro libertate modestè
Suscipiunt. Homines, tantilla animalcula, frontem
Contraxisse solent, si quis mordacior vlcus
Tangat, & impurò dentes in crimine figat.
Iuppiter (en populi næuos, fastúmq; caduci)
Ferre potest Momum, cœlo & dignatur eodem.
Vilis homo, Tyrio vestitus prodeat ostro,
Imperitétque alijs, monitorem credimus vllum
Perferat? aut dignos veraci indicat honores?
Quæ peruersa virûm mens hæc? quæ nausea tanta est,
Exulet vt rigidi libertas vnica veri?
Solæ augusta terant fallaces atria linguæ,
Verbáq; ab alterius semper pendentia nutu?
Mirum igitur, reuoluta suo si fœda luto sus
Incubet? & cœno semper iactetur eodem?
Tu verò ne crede: manet post funera vero
Laus olim. Quid si virtus laudetur, & alget?
Est tamen, & virtute nihil perfectius ipsa est.
En ego, nec mî aras posco, nec vota vocantûm:
Quid tum? paruus ego videor, qui iura vel ipsis
Præscribo æthereis stellantis ciuibus aulæ.
Quum mea libertas vel formidata Tonanti
Sæpius, ac vellet, posito ipsum nectare cogat

Officij

Officij meminisse fui, Superisque vocatis
Concilio totos quandoque indicere soles.
Quæ fuit illa (putas) dudum lux tanta reclusis
Sparsa poli portis? habita est en curia cœtu
Vix aliâs, quantum memini, magis acta frequenti.
Digna quidem risu res inter pocula cœpit
Gliscere: creuerunt partes, sententia dicta est
Legitimo tractata modo, solitúmq; theatrum
Complerunt Superi, medio via lactea cælo
Quà patet, & celsas summi pertingit ad ædes
Ætherei regis: vario causa acta tumultu est
Dissona, discessu tandem sententia vicit
Nostra, reclamantûm studio indignante Dearum.
Quæ posito sexus velo, positóque pudore,
Ampliùs imperium nolebant ferre virorum
Hic muliebre genus. Quin si cordata marito
Iuncta foret stulto (totis pulmonibus istud
Vrgebant, nihil ingenio, nec acumine sexum
Cedere fœmineum, par sit cultura, virili)
Protinùs acciperet translatas iuris habenas:
Ille colum, illa domus tractaret iura regundæ,
Aut demum æquato regerent communitèr isthæc
Imperio, captus si non foret illa minoris.
Nam quid? quando hominem secernat sola subactis
A brutis ratio, rationis fœmina compos,
Cur non & pariles sociata capessat honores?
Qua facie, aut quo iure queat sibi subdere seruam hanc
Vir suus? an densæ tanta est fiducia barbæ?
Prætereà, an causæ est (postquàm cœlestia Diuæ
Consilia, atque Iouis soleant implere Senatum)
Cur non & vestris eadem permissa potestas
Coniugibus, totidem suffragia ferre tabellis
Has quoque disponat, partito iure fabarum?
Hæc Iuno, reliquæq; Deæ clamore secundo

Exceptæ iuuenum tunc asseruêre Deorum,
Sola tamen Pallas nec sese immiscuit illis,
Nec valdè est læta ta, fabámque abiecit inertem.
Quando ego miratus studium, importunáque vota
Cælicolûm, imbelli fragilis committere sexus
Arbitrio humanas rerum (proh tempora) habenas
Qui vellent, legique parùm abforet (ecce) rogatæ,
Exurgo, dictísque Tonantem inuectus amaris
Incuso, reliquósque Deos, quòd nectare dudum
Ambrosiáque sua saturi, non cautiùs horis
Ista darent matutinis. Dein conscia summi
Pectora compello Iouis, an Iunone vel ipsa,
Quum soror & coniux toties demissior audit,
Lætetur? Quod si Ioue nil sapientius ipso est,
Hunc sua Iuno tamen quandoque procaciùs vrget,
Quid causæ est, parili semel hæc si polleat (inquam)
Imperio? Oedipodionidûm cur prælia fratrum
Non renouet? sceptrúmque Iouis partita licentèr
Arroget, & gemino mundus sub rege laboret?
Motus erat dicto Saturnius, & miser acres
Coniugis iratæ voluebat pectore lites.
Quando ego iam caluisse Iouem in contraria cernens,
Subdo iterum hæc: Pater alme Deûm, partire benignus
Cum consorte tua fasces, facito ipse periclum
Primus, & alternè statuas Iunonia regna:
Vlla tui posthâc censen'? reuerentia sensus
Flexerit indomitos, & non tractabile pectus?
Nam meminisse potes, nec adhûc (reor) excidit illud
Tyresiæ, zelúsque thori, & de pellice rixæ.
Fac semel illa pari tecum pro iure agat: actum est.
Fulmina si desint, crepidas metuisse tumentis,
Iratæque queas. Quæ tunc ô maxime Diuûm,
Quæ tua conditio fuerit? Nunc iacta sub isto
Fundamenta locat scito: concedito subtùs

Imperitâsse

Imperitâsse viro poßit sua fœmina: deinceps
Et super imperio muliebri hæc astra petentur.
Túque etiam vultu quantumuis tetricus illo
Quem Phydias, quémque, vt libuit, tibi finxit Homerus,
Coneris retinere Iouem, petulantior illa
Thyrsum agitans, toto cælo bacchata feretur.
His dictis conuersi animi. Sed regia coniux
Triste quid iratis oculis intuta, minarum
Effudit modios, pauidum ceu iurgia Momum
Terriculent, causâue queant mouisse recepta.
Nunc, quoniam egregiè vobis victoria parta est,
Me duce, mortales: idem rex Iuppiter isthæc
Me voluit vulgare viris. Ego commodiorem
Tete hominem nec quæsierim, qui gesta referre
Poßit, Olympiaci causámque edicere cœtus:
Vt minùs hinc dominas comptas sciolásque pauescens
Turba maritalis, loris sciat aptiùs vti
Penè quidem amißi imperij, & sua iura tueri.
Postquàm etenim labes cunctos non vnica morûm
Inuasit, quando ipse alios adeò acritèr vrges,
Parcere fœmineæ quid ineptiùs (obsecro) claßi
Instituas? nihil hic carpendum denique restat?
Si nihil ipse potes dignum hic reperire notatu,
Hos pugillares legito, (simul obtulit vltrò)
Inuenies muliebre genus quo peccet abundè.
Atque etiam hunc coruum (quondam gratißimus albis
Ille fuit pennis Phœbo: sed vera loquentem
Delius iniustis non dignè exercuit iris:
Ipse clientela eiectum, tectóque recepi)
Præstitero. Ille tibi non falsa Coronidis ædet
Furta, & fœmineos labenti hoc tempore næuos.
Dixerat, & liquidas abiens conceßit in auras.
Ast ego distentè conscriptos marginem ad imum
Dum pugillares euoluo, iterúmque reuoluo,

Dúmque meo ausculto coruo, rauca ora loquaci
Gutture qui soluens, dicenda, tacenda monebat:
Præteriisse suis nostra hæc conuexa quadrigis
Auricomum sensi solem, Venerísque decoræ
Vespertina nouæ succedere lumina nocti.
Pulchrior hæc solito scintillas iecit ab alto,
Et tanquàm haud ignara foret quæ Momus acerbo
Inuectus studio pridem dixisset, amicos
Nunc ignes prompsit plenè, nunc nubibus atris
Nictu oculi, & tenebris os illud amabile texit.
Quid facerem, hærebam: causam abiecisse verebar
Commissam, & rigidi corda indignantia Momi
Non tutum irritâsse putans, stimulante procaci
Alite, versiculos pronus vertebar in acres.
Parte alia placidis, teneris, blandísque puellis,
Non bella intentanda, virûm pro lege recepta,
Dum reputo, & nihil hic magni patrarier, acer
Si fodiente stylo sexum proscinderem inermem,
Parcendum, & medio moderatè tramite sensi
Sic iter ingrediendum: vt Momo iusta querenti
Nec deessem, Veneris nec plus satis aduersatæ
In me odium, atque altas conflarem incautiùs iras.

LIBRI OCTAVI FINIS.

DE

DE REP. ANGLORVM INSTAVRANDA,

Liber Nonus.



CORVE loquax, odio antiquo damnate puellis,
Dicito, si quid habes: quid enim auscultâsse nocebit?
Ista tuo potiùs malim effutita periclo,
Iamdudùm audacis pœnam ob conuicia linguæ
Qui passus, nihil hic iterùm dixisse pauescas,
Momo tute tuo. Satis est tua dicta fideli
Si calamo excipiens, alijs pensanda relinquo.
Dicam equidem audactèr: nec pœnam deprecor vllam
Bile tumens, studióue minùs si vera maligno
(Ales ait) promam. Sed nec (reor) ipse ego falsi
Conuincar, nostra hæc æquas si dentur in aures:
Nec cupio insontes (sunt hæ quoque) crimine eodem,
Quòd peccent nimio plures, inuoluere cunctas.
Quid si ego iam decimam quamque excepisse benignus
Sustineam? Quid si plures tu fortè lapillis
Digneris niueis, numerúmque auxisse bonarum
Contendas? Nihil hoc causæ prodesse malarum
Aut queat, aut voces carpentûm liberiores
Obstruere, vlla sua si infamis, & obruta labe,
Suggerat insistens rumori alimenta sinistro.
Iamdudùm satis ipse viros mordacitèr omnes
Ob luxum, mollésque habitus, productáque fercla
Carpere, nigrantisque salis conspergere totis

Tentâsti cumulis, Momum exuperate magistrum.
Hic differre putas quicquam? potiore feratur
Iure(puto) ob sexum, aut formam, confinia vitæ
Si qua verecundæ transmittens fœmina peccat,
Quàm suus illa eadem si admittat fortè maritus?
Dicas, ista viris vt sint plenissima probri,
Culta placet multis sua fœmina. Scilicèt æquum
Poscitur, hinc oculos vel vt ipsius pascat adulter.
Anceps nempè malum, nec simplex illa bipennis
Qua mactat miserum mulier damnosa maritum.
Siue habet, & tota tunc se vult vrbe videri,
Quàm facilè integros circumfert baiula fundos?
Siue suis fictos fletus curruca labellis
Absorbet, quæ nictu oculis torrentibus illa
Profudisse sua nouit statione manentes,
Si qua peregrino prodit spectatior ostro
Ad ludos, tolerasse potes durissime? fusca est,
Indotata super Tuccæ Cornelia: papè
Nulla erat hesternis sacris operosior auri.
Nos inhonoratæ, & deiecto lumina vultu,
Scilicèt annicula stetimus post ostia chlæna.
Audin' tu? sartore opus est, iam iámque vocato.
Confice sex pereant libræ: ni denique mauis
Illa suas pangat clàm noctes callida mœcho,
Idque aliquo, ne quid precio sine speret Adonis.
Quippè opus est multis, multorum quæ placitura est
Iudicijs, formámque viro componere soli
Quid rurestre sapit. Prognatam Consule magno
AEmiliam, sciolè quum libros attigit, atque est
Psaltria, tum plusquàm Sempronia mobile saltat:
AEquum erit & media cultam spectarier vrbe,
Atque suas populo, & scenæ producere dotes.
Tu (bone vir) quid contrà audes mutire? decorum
Exigit, vxorem metuas vt dote superbam:

Ne tibi ſandalij cerebrum noua Tyndaris ictu
Diminuat. Specta, atque ſile, ſeu laudibus iſtis
Sponte faue: ni vis coràm illa vt turbida rixis
Rem peragat, fiáſque euictus fabula vulgi.
Quippè potes comptos dominæ turbâſſe capillos?
Durior aut Veneris pulſâſſe indigniter ora?
Caſtigare graues grauiori aut verbere voces?
Dij meliùs: tunc tu metuas Actæonis illa
(Noſtin' quæ?) media (vetus eſt) tubercula fronte.
Turpe viro certè, tam dura lege coactæ
Imperitare ſuæ. Noctes qui litigat, ille eſt
Infami digito dignus, nurúmque ſuſurris
Tam tacitis, vt poſt plebs tota reſciſcat in aurem:
Indignúſque, ſuis quem pulchrior vlla lacertis
Implicet, aut vera pòſt reddat prole parentem.
Quidnam igitùr? nec ferre queam? nec iure mariti
Importuna meæ cohibeſsim vota puellæ?
Hæc cupit, illa cupit, dedimus: nunc altera poſcit.
Quis modus? impenſæ totis Pactolus arenis
Non benè ſufficiat. Nec noſtris iſta parantur
Complacitura oculis: malim vidiſſe modeſtæ,
Matronæque habitu: nunc quid dubitetur, habemus:
Quid contrà oppoſuiſſe, nihil: quum peſsimus iſte
Mos adeò infrænis laxâſſe repagula ſexus
Suſtinuit, domibúſque datas nunc in fora truſit
Et cœtus, mox vt ſperent ſuggeſta diſertas.
O bone, ſi commune malum eſt, mirabile ſoli
Ne facito: inueniet prudentior hijs quoque finem
Quò ſtatuat: ſi quâ labes irrepſerat, illâc
Et repedare gradum iubeat, pulſámque reuerti.
Mollis enim quum res ſit fœmina, cuilibet apta
Principio formæ, quam qui genuere parentes,
Quíue nouam à patrijs, & adhûc ſine labe tenellam
Abducit laribus, ritè adieciſſe laborant.

Tu, si morigeram cupis, atque bonam, atque pudicam,
Disciplina domi videas quàm casta parentum
Illius obseruetur, & olim an liberiori
Voce laborârit vulgi Seruilia mater.
Tertia tunc etenim si deducatur, iniquum est
Et fragilem, & nixam exemplo culpâsse puellam.
Nam quid? nonne suis exclusa simillima coruis
Oua ferunt pullos? Mater meretricia, lenæ
Munere turpis anus, & auara, bibáxque, supremos
Ad canos defuncta, nihil moderabile gnatæ
Consuluisse volet: monitis sed quorsum opus? illa
Quæ vidit, quæque audiuit, præcocitèr imos
Condidit in sensus. Nec matrem docta magistram
Quæret, vt admissos bis sex impleuerit annos,
Prona, petulca vltrò, per amica silentia lunæ,
Ferratis iuuenum admittet lamenta fenestris,
Et cantus, gaudénsque sono testudinis, & se
Nunc Helenam, nunc aut Venerem vocitarier ipsam,
Laudatæ posthâc, volucris Iunonia, caudæ
Extollet pennas. Quin tu nimis inuida amantûm
(Quippè quid hìc cunctor, si non bis ferrea?) votis,
Cancellata, reuincta, atque importuna fenestra,
Appagè: iurauit cunctos meus iste profundi,
Atque Erebi, cælique Deos, nihil oscula præter
Sumpturum. Ergò vncto præstabit cardine laxas
Huic aperire fores, neque & hoc mea resciet vnquàm,
Aut si rescierit, sunt oh (clàm lusit & illa)
Iurgia, quæ genitrix fundet malè conscia, tanti?
Nunc age. Duc tali prognatam matre iuuencam:
Credin' Pasiphäë non tauripotente futuram
Tauripetam? tauròsque olim quæ damnet inertes?
Inde, maritales intra simulatque penates
Intulit illa pedem: credin' quòd postibus vnctis
Iam mala pòst illinc auerruncata facessent?

Illa

Illa mala est: tu crede tamen meliora, labantem
Blanditiisque animum sinito exorarier. Vno,
Vno nempè die sceptrum tibi (Iuppiter) illa
Auferat, hinc repetas? nugæ: promiserat? actum est.
Claua priùs forti tolletur ab Hercule, gestum
Quàm semel imperium mulier bacchata marito
Restituisse volet. Iam nunc vxorius adsta:
Obserua: poscit pallam, redimicula, inaures:
Curre: quid hic cessas? vulgo vult illa videri?
Tu pete, lecticas, humeris gestata Syrorum,
An sibi quadrijugis malit carpenta caballis.
Prætereà, est matrem pia iam quòd sæpiùs ægram
Visitet: hem? matrem? spectacula: quo comitante?
Euryalo. Nostin' vicinæ consobrinum
Euryalum? Nihil hic timeas: vicina quoque illis
It comes, ipsa quidem mulier primaria, lecta
Atque pudicitia: quantum flos integer æui
Exactus castam faciat, quam nemo rogabit.
Iam redeunt: iam fronte opus est. Quo denique freta
Pessima tu foribus plantas efferre mariti
Absentis? Mi vir (sed quid sibi mollia quærat
Verba animi fidens?) libuit: nec carcere clausos
AEolus hic ventos sola sperâris in aula:
Nec meus ille pudor fama super æthera notus
Hoc meruit. Syra curre domum, atque accerse parentes,
Tu genitrix, tu causa mali, tu prima petitam
Mille procis, vni huic voluisti nubere monstro.
Nunc habet, & spernit. Quantum mutatus ab illo,
Proiectos toties carpsit qui limine somnos?
Postibus atque rosas posuit, simul oscula iunxit?
*Sed quid ego hæc? Nemon' * isto me abducere? nemo* * Casu
Confidens animi, casus miseratus acerbos?
Non superant in fata manus? non denique præstat
Aut ferro, aut laqueo miseram hanc abrumpere vitam?

O quali coniuncta viro: tonat vsque loquaci
Dodonæa sono cui tintinnabula cedant.
Ipsa cauis repetens, nullique libentiùs Echo
Responsura sono, totidem dum verbula certat
Reddere, victa pudet: tot questibus illa retinnit
Argutum quiddam, & stridens, sed non sine fletu:
Nempè suos imbres etiam ista tonitrua fundunt.
Tu miser hic tribus ægrè expressis victe labascis
Lachrymulis? ne quæso istos corrumpite ocellos
Stultula: dixi equidem tentans: iam pœnitet, oro
Ne sæui: ah quò nunc te proripis? illa vbi victum
Senserit, occluso ad noctem stat sola cubili.
I male, quære aliam tibi quæ respondeat: oro
Tu mea: nequicquàm: obtestor: non audio: pallam
Adijciam, eximia specie, bis murice tinctam?
Et quam bis peragat phrygiano fimbria limbo?
Nolo equidem: (quamuis nec pallam stulta recusem)
Zelotypa sed dona manu collata pudicam
Dedignari opus est. Satin' hoc dixisse proteruo
Iam semel est? iura posthâc: mea lux, mea dulcis
Iuro vt vis, quod vis: age, nunc ignoscitur, intra:
Vi tamen ista facis, minima est nec gratia pallæ.
Proh Venus, & castis Veneris puer ignibus olim
Præfice, tûque Hymenæe vago vix vlla cubili:
Tantáne tam fragiles teneat fiducia formæ,
Vt permissa gregi indomito non æqua potestas,
Et pecus indignè perdat, pecorísque magistros?
Mitte tuos questus, alieno hoc tempore, amice,
(Coruus ait) quin & mirari desine, quid sit
Præcipuam huic tantæ labi quod porrigit ansam?
Cærea res, etenim varias quum fœmina formas
Suscipit, & iam iam præceps in deuia fertur,
Dux suus auersos aliquò si flexerit orbes,
Si cupitis vestra vitia hæc surgentia culpa,

Præstruere:

Præstruere: ipsi etiam exemplis absistite fœdis,
Proritâsse malas, fragilisque incendia sexus
Pascere, tanquàm auidis subiecto fomite flammis.
Nempè nec istarum vitium immedicabile finxit
Naturæ vis alma, nec est cur non bona possit
Messis ab hoc iterùm cultu sperarier aruo:
Quin ego quas læsi cupiens lenire puellas,
Sic statuo, hos næuos vitio euenisse virorum,
Qui primum impuri specimen sub tecta tulerunt,
Inspicienda suis, & probra ignota puellis,
Dùm pudor ille viros vinclo cohiberet eodem,
Quem tanto inculcare suis conamine certant
Non pudet? vnguentum redolet tua barba, capillos
Et crispare soles, & tergo serica poscis,
Annulus in digitis tremulo fulgore lapillos
Iactat ab Auroræ surgentis sede petitos:
Quid tandem expectas faciat tua Caia, Cai?
Quid puer? aut tenera iam saltans bimula planta
Ad Gaditanos numeros, gnata inscia, quid sit
Olim etiam tremula prouectam clune moueri.
Qualis es, ipse etiam tales tibi tolle: nec vltrà
Tute malus doleas similem tolerâsse maritam.
Dixerit hîc si quis, toto connubia in orbe
Hijs subiecta malis plus semper fundere amari:
Nec benè sub socio vix vnquàm viuere tecto
Vnanimes quos nectit Hymen, vinclóq; iugali
Dextera iuncta facit proli incubuisse futuræ:
Non equidem vsque adeò generis primordia vestri,
Nec sacras Veneris leges, ritúsque reuello,
Cœlibis vt potiùs protollam commoda vitæ.
Diua potens tædis, Diuúmque, hominúmque voluptas,
Blanda Venus, te nec generis culpâsse parentem
Par fuerit, nec morosis lepidissima vinclis
Tu cohibenda manes, quam lusus atque lepores,

Et Charites discinctam in dulcia prælia trudunt:
Vnde animis iam delibutis fœmina castè
Fœcundos vteros proli, resoluta medullis
Exhibet, & vacuus curis vir blandulus vltrò
Colla petit, duris nunquàm violanda lacertis,
Si volet vt socio redamet se fœmina vinclo
Illud agens, sciti genitorem intenta puelli
Vt faciat, nec dulce opus acri aliena dolore
Disperdat: (tanti est hic pronus spiritus, & mens.)
Attamen vt lepidis maneant sua iura puellis,
Primus honos mensis, & nulla pellice pallens
Læsus amor, blandum alloquium, partésque secundæ
Imperij, quantum œconomæ non infima cura
Communes commissa potest fouisse penates:
Nec minus hæ cunctis discant meruisse maritos
Obsequijs, (postquàm lex & Natura tenellas
Infirmásque iubent vultu pendere virili)
Hoc opus, atque isto versat se cardine moles.
Prima parens vrbis domus est, domuíque regundæ
Quum præsint socio lare vir pater, & sua coniux,
Quisquis in œconomi primæua labitur arte,
Ignarus qua lege pater, qua lege maritus,
Quaque herus esse suis idem queat, & diuersus
Vix benè ciuiles posthâc componere cœtus
Nouerit, aut rectè populo præscribere cuncto.
Quippe homines priùs, at nec quosuis quærat oportet,
Florentem statuat qui forma, & legibus vrbem.
Nam viles, nam proiectos, nam corpore fœdo,
Imbelles, mancos, stupidos, non denique vultu
Seruili admittat, quisquis melioribus vti
Iam queat, aut posthâc vitium benè corrigat arte.
Nempè cupis pubi præstantia corpora? (rarò
Pulchra animo facies pulchro spem lusa fefellit)
Si cupis, & modus haud desit: (modus vnicus iste est)
Arripe:

Arripe: scin' quisnam? matrum pulcherrima cures
Corpora præstantes patriæ procudere fœtus.
Matrum opus hoc. Brutis quæ cura impenditur, omnes
Nouimus, vt lectis maribus lectissima toto
Agmine formosos artus sua fœmina subdat.
Hic differre nihil reris, qua matre parentem
Te Venus alma facit? magnum & memorabile Numen
Tu ne sperne Deos inter coluisse priores,
Quorum erat antiquo genitor de sanguine Cælum,
Vraniéque parens. Cælesti ab origine cretam
Insignem cesto Venerem, tunicísque pudicis,
Demissósque oculos peplis, vultúsque tegentem,
Tuta potest tenero matrona incingere serto:
Tuta potest virgo, nondum congressa virilem
At sperare thorum quæ iam nunc nubilis instat.
Tritam aliam, fœdoq́; maris de spermate cretam
Lasciuam, nudam, pæto quæ lumine amantes
Allicit, & facili risu se denique prodit,
Mitte lupis, spurco quæ fœdant corpora quæstu:
Mitte peregrinis, vappis, nebulonibus, inguen
Indomitum, vt nequam sub Numine, nequitèr isti
Ranciduli, latrinæ in olentis forte lacunas
Exonerare queant meliùs, quàm crimine tecto
Sollicitare nurus castas, auréśque pudicas:
Si tamen hinc vestra spurcæ locus vllus in vrbe est
Cypriacæ: colat illa Paphon, vel fortè remotis
Sola stet in lustris: extrema suburbia multum est
Fornicibus cinctis si percolat: vt lanienas
Illò etiam, sordéśq́; omnes, protrudere præstat,
Excrementa velut quæ puri corporis haustu
Inficiant naréśque, oculósque, poróśque patentes:
Et tamen in magna penitùs quæ tollere plebe
Vix queat ars, nascendo vetustis quum noua certent.
At tibi connubio Veneri libâsse pudicæ

Si placet, & genialem Hymeni condicere cœnam,
Tu, cui lustra viro iam quinque exacta peregit
Prima iuuentutis tenera lanugine forma,
Illa quidem ignaris potiùs prælata puellis,
Ast infida nouos quæ vix benè seruet amorès,
(Credite vos, magnæ iustißima cura Diones,
Lapsa fides iuuenùm quas vel iurata fefellit)
Primùm animo tibi proponas, quo sanguine creta,
Qua forma, qua ætate, quibúsque ante omnia virgo
Moribus, in iunctos veniat noua nupta penates.
Nempe sui similem post se liquisse, magistra
Si natura omnes cupiunt: vnde altus ab æuo
Instat amor brutis proprios defendere fœtus,
Ignotósque arcere, suísque expellere lustris,
Magna maritali debetur gratia vitæ:
Vnde nouæ soboli desudat cura parentum
Mutua, perpetuum gignendo dum facit ortum
Humani generis, formandóque efficit ipso
Bis genitos: tanti est, pietas si nutriat altrix
Spem patriæ, & recto simul educet ordine alumnos.
Sed neque tam similes cupiat sibi gignere fœtus
* Synær. *Agesilaus,* claudo vt malit pede, quàm pede recto,*
Nec blæsum sibi balbus amet titubante loquela,
Litterulam vt nequeat scitè proferre caninam
Filius, iniectos ni ruminet ore lapillos:
Nec quocunque pater vitio sua corpora damnat,
Illud item in gnati pergratè corpore spectet:
Est aliquid formosa quòd vno pignora cuncti
Exoptant voto, & specie insignita decora.
Ergò immaturis sapiens (immitia poma
Nondum etiam tangens) statuet parsisse puellis,
Si cupit vt loculis vterus spaciosior amplis
Conceptum plena foueat propagine semen.
Illyricos gens prisca boues si fortè requiris,

Dimidiò

Dimidio Ausonijs maiores corpore bubus,
Cur tanta ob speciem prouexit laude Quiritûm?
In promptu causa est: quadrima ætate minorem
Nullus amor tauri admissus conscendere vaccam,
Ingentes illic matrum perfundere cellas
Semine quod pleno, caua per spaciosa, solebat.
Taurus item toruo frontem setosior ore
Maximus è toto lectus grege mugisonantûm,
Pendula cui laxo stabant palearia mento,
Cornuáque ad pugnam ventos quæ sæpè vocabant,
Regnator vacuos sibi solus habebat amores
Liber, & intonsis depascens montibus herbam.
Nos hodiè (ah facinus) peruerso more vocamus,
Si qua virum iam fortè petit, bis sextus vt annus
Accedit, plenas exinde, viríque potentes.
Nil minus. Expectent liceat sex altera brumæ
Tempora, quàm tactu se immisceat vlla virili.
Sic Lucina fauens, nulliq; libentiùs vnquàm
Implorata aderit: robusto fœmina nisu
Ingentem emittet puerum vitalibus auris.
Altera præpropero disperdet corpore fructus
Exiguos, nanos, aut gibbo tergore curuos.
Ipsa ægro posthâc suprema ad tempora ventre,
Laxatis vteri claustris, spem vanida fallet,
Difficiles partus longo cunctamine pensans:
Si neque perpetuos deinceps sterilescat in annos.
At si non vanis cupias tibi tollere signis
Formosos pueros: matrem elige clunipotentem,
Succidulam, rectam, atque alta ceruice decoram,
Quæ flauis latos humeros promissa capillis
Ornet, & vberibus turgescat pectora anhelis.
Stricta quidem medio, sed pòst amplissima ventre:
Cui iuuenile femur, succincta sub nate, robur
Arguat, & tactu solido non cedat. Iniquum est

Si qua latent, efferre foras, meliora putato:
Et teretis suræ, breuis & pedis, inde petuntor
Indicia, & quicquid tunicis velatur honestis:
Hanc tua si speciem tibi lecta puella reponit,
Tu modo, quum vultum tranquillo in littore cernis,
Ne tibi displiceas, nec Mopso Nisa proteruis
Indignè coniuncta auibus, lepidissima turpem
Respuat) haud dubiè formosa parentibus ipsis
Pignora filioli certabunt: qualia cultis
Sub lauris virgulta enodi germine ad auras
Cælestes tendunt viridi gratissima fronde.
Hîc verò, æqualis quum sit concordia vitæ
Coniugium, pauper tu ne quæsisse potentem
Instituas: genus, & fasces, victósque Syphaces
Linque alijs, quorum bifores vasta atria valuæ
Manè salutantum gregibus complèsse laborant.
Nube pari, nuptámque pio redamandus amore
Prosequitor. Parua quid causæ est, quominùs aula
Illa tibi Iuno, tu fulmine Iupiter illi
Deposito, vnanimi possitis viuere regno?
Fœlices quantum inuideant persæpè monarchæ?
At tua ne Iuno (namque hæc quandoque proterua est)
Insurgat, nimiósque animos spe colligat acri,
Exarmata tuæ videat si insignia dextræ,
Longiùs illa caue, breue nec repetenda reponas:
Vt neque vibrantem metuat, neque temnat inermem.
Par labor est: dubiúmque, metus magis, aut amor, isti
Conueniat: securus amor fluit, at metus odit.
Sed redamet potiùs moderato iure seuerum,
Et qui blanditijs, aliqua sed fronte, modestis
Demeruisse volet non stulta mente puellam,
Quæ sciat à fatuo & bardo, distinguere pectus
Quale quidem cupiat cordata virile mariti.
At neque non animis multum hoc quoque conciliandis
Attulerit,

Attulerit, quo quisque loco est, arte, atque parente,
Tali etiam vxorẽ quæsisse loco arte, parente.
Imprimis ne vrbana viro noua nupta colono
Tradatur, grauibus rastris, curuóque ligoni,
Dedignata manus vnquàm admouisse tenellas.
Neue Palis traducta sinu rubicunda virago
Rustica, Mercurio multùm irridente, mariti
Ausit inexperta sese iactare taberna
Vrbani, tenuésue plicas, quibus ante coëgit
Lintea texta domi digitis ex cannabe crasso,
Indoctè, stomachante viro disperdere byssi:
Aut abacos vitro instructos, ea pocula fagi
Esse putans ritu horridulo tractanda paterni,
Duriùs immiti contingere pollice: clarum
Quum videat sonitum tot crustas ædere fractas,
Quàm sibi displiceat? quàm vellet sydere læuo
Nunquàm adeò insuetis bos ad ceromata membris
Accessisse, sui iactura, & bile mariti?
Quid referam? notos cupiat, pertæsa tabernæ,
Ad postes nigra inductos fuligine, quiduis
Exegisse operæ potiùs benè firma valentis.
Siue molat trusas segetes, nec furfure curet
Exactè tenuem frugi purgare farinam:
Siue colis fusos filo demittere crasso
Instituat, staménue alterno pro pede cogat
Surgere, & immisso radij subtegmine texi
Induuias molita viro, natísque, per Austros
Cum grauis agricolas etiam ipsos detinet imber:
Aut cœlo exiliens tectis incompta sereno,
Vtilitèr paruis messorum conferat hortis
Prandia, serpillúmque potens, porrósque virentes,
Alliáque in simas sensim ascendentia nares:
Siue canens pastas vocet ad mulctralia vaccas,
Illæ vltrò accurrant dominæ, studeántque leuari

Vbera consuetis se demittentia palmis:
Siue aliud quiduis faciat rurestris ospellæ:
Quàm nihil, vnde pigram meritò vicinia damnet,
Tota Pali, aut Cereri, aut Pani dumeta per aspra
Exponens duros multo sudore lacertos.
Quanquàm equidem vrbanas alicui incubuisse labori
Tantum aberit, lentæue vt nolim occurrere vitæ
Illius, extincto quæ fleuit passere, quantum
Non olim patrio concesserat orba sepulchro,
Vt potiùs segnes superare Cupidinis arcus,
Illicitásq; faces, occlusis auribus, vni
Intentas iubeam, vitata per otia, casto
Quem fugit ille malus, glaciem ceu flamma, labori.
Nempè nec assiduo vestras custode, aliorum
Seruari de more, velim non sponte pudicas,
Vsque adeò illa via est iam stultè ingressa maritis
Zelotypis, nimia paritèr se affligere cura,
Et sumptu: ornatas, pictas, nil denique agentes
Dum dominas altis seruant penetralibus, aut si
Has prodire sinunt, tanta hoc fit denique pompa,
Vt non non Memphiti productus ab æde Serapis
Ibat linigeris quondam per compita mystis
Structior, ostentans sacrata cornua fronte.
Stultum erat hoc (dices) sed quid discriminis (oro) est?
Ille bouem: anne tuam tu custodire iuuencam
Iam venerabundus, tanquàm pro numine, pergas?
Quantò rectiùs hoc, veris vxoribus vti
Vt veris, nec imaginibus? tu rostra, forúmq;
Procures, villámque & prædia? degener illa
Tanquàm aliena, domus intra nil curet agendum
Septa maritalis? nec saltem prouida seruet,
Quæ tua sedulitas longinquis vexit ab oris?
Nempè tuum est rem augere foris: rem gnauitèr auctam
Illius est parili pensare, & condere cura.

Ergò aliquid ſemper quod agatur, fœmina frugi
Inueniet, media quantumuis degat in vrbe,
Penſa trahens, pictis diſcrimina ſiue tapetis
Tot varians, quot formæ inſunt animantibus ipſis,
Siue colant terras, ſeu pennis aëra ſulcent.
Atque erit hîc intra proprios aulæa penates
Fœmina quod princeps comitum confecta labore
Ipſa comes, præſeſque operis, venientibus vltrò
Hoſpitibus monſtrare queat, non ſegnitèr horas
Conteſtata ſuis, ſed nec ſibi deperijſſe.
Parte alia, ni linifices, & ruris, & vrbis
Matronæ, Angliacis auferre hoc dedecus oris
Inſtituant, alia merx hæc exotica parte
Linea dehinc veſtris ne det mantilia menſis,
Nec quæ vela ſuis veſtræ de more puellæ
Et capiti, atque humeris niue candidioribus aptant,
Seu tandem tenui quæcunque induſia lino
Texta cuti propiùs, ſeu vir, ſeu fœmina geſtant,
Nil video, cur non poſthâc infamia pœnæ
Iuncta nurus ſegnes taxet: certetur & ipſis
Inter, vt inſignem capiat digniſſima palmam,
Ore virûm laudata, alias dolor vrat inertes.
Nempè tuas telæ, matrona, & gnaua, per ædes
Cannabis, aut lini contuſo cortice, tune
Quicquam habeas, quod non tibi dextra domeſtica texit?
Quis pudor? imperio tantùm ceſſiſſe maritos?
Mancipia vt probrum hoc vxoria facta, ſilentèr
Diſſimulent? adeòn' ſenuerunt omnia luxu?
Quòd ſi etiam hoc ſummo princeps pro iure vetaret,
Neſcio num tabulis melior ſententia fixis
Proponi, aut populo poſſit magis apta ſupino.
Nam quæ præſentis ſocordia temporis extat,
AEre nec exiguo tela hæc aliundè parata
Veſtratûm depexit opes. Nec dicere promptum eſt,

Ingenio, argutis quin festiuissima dictis
Sæpè iocans hilari certet: sin fortè redibit
Mæstior, hic caueat turbato opponere quicquam,
Quod magis irritet, non ficto ast anxia vultu
Mæreat, & captet mollissima tempora fandi,
Ipsa quidem simplex, nec libro operosa magistro:
At perdocta patris quæ secum ex ædibus acris
Afferat œconomæ studium, partésque probatas.
Nempè, hæc tuta magis. Sed vt est sua cuique voluptas,
Qui volet insignes committere fortè poëtas
Quæ queat, atque sophos fari quod torqueat ipsos:
Illum ego perpetuæ censuræ, vt iuris adempti
Subijcio. Sciola nihil est audacius: aut se
Præferet, aut quare? ad cramben, bis térque reponet.
Læta tibi currant conuiuia liberiori
Sermonis serie? nutu, aut pede torua iocosum
Impediet. Largire aliquid? largita negabit
Penè supercilio. Soli quum sola per vmbras
Conuenit? hic nihil est intempestiua loquente
Intolerabiliùs: tu iam resolutior vltrò
Delicias, & verba voles sine felle, venusti
Plena ioci, lecto geniali, & lusibus apta?
Illa memor dictum hoc, factum hoc, refricabit ab ouo,
Si qua per elapsum commissa erratula solem
Ignaro exciderant, nec culpæ obnoxia, nigrum
Ni quod sustineant (se iudice nempè) lapillum.
Quid facias? curis tu lenimenta parabas?
Illa mouet bilem. Ludo tibi fortè futuram
Sperabas? ludos hæc te facit, & propè tangi
Se vetat: aut si dat, minima est non gratia, tunc si
Docta solœcismos non imputat: vtpotè casta
Nasonis dudum prouectior arte magistri.
Si non hic etiam Zenones, siue Cleanthas,
Carneadásue crepat: sed fac se coniuge dignum

Te putet: en quotus est tam doctam ferre puellam
Qui mereat? pleno aut poterit qui pectore habenas
Immodicæ rexisse suæ, quæ iura marito
Iam dare docta sapit? libros euoluere magnum
Esse putat, nec prima domus elementa regundæ,
Nec didicit paruo pultem coxisse puello?
Stulta iuuant stultos. Populi pars maxima stulta est.
Nec tibi morosa sapiens vxorcula fronte
Parte placere potest meliori temporis: æquum est
Quod rides, non illa procax irrideat. Id, si
Illa magis sapiat quàm tu, dubio procùl, & mox
Expectes: fragilis tanta est ea nausea sexus.
Nempè nec inuitæ cupiat cordatior vllus
Imperitâsse suæ. Qui vult dare iura volenti,
Fac minùs illa sciat, miretur verba loquentis,
Suspiciat, memor obseruet, nec spernere tentet.
Tota sed à vultu dependeat vsque mariti,
Viribus & sexu potioris, læta libentèr
Si iuga ferre volet mulier, quæ ferre necesse est.
Attamen exculto vir præstans pectore, cultam
Si tollit (quæ cura fouet plærasque parentùm,
Et iubet à teneris operosa volumina cunis
Discere, Apollineo solamen dulce marito)
Fortè pares studijs sors quos coniunxerit æquis
Fælices ter, & ampliùs ipsa ad funera reddet.
Rara sed hæc paucis contingit copula: nunc vt
Degeneres animos aurum arguit, & sacer æstus
Quærendi generum, qui conficit omnia, Plutum.
Barbarus ob titulos (quid non speremus amantes?)
Siue senex grauida cui turget census in arca,
Bis puer effæto quamuis balbutiat ore,
Prima leget raræ tam culta roseta puellæ.
Illa quid? in questus nisi quòd resoluta gementes,
O pater, ô duro exclamet sors improba fato:

Huic ego delicias, creſcentiáque oſcula demens
Seruaui, & primos (heu) virginitatis honores?
Ah quia nam patrio tantum dant biblia iuri:
Sed ſi corpus habet vir iam meus, attamen omnis
(Vt reor) ipſa mihi remanet mens libera vincli.
Hanc ego vel medijs elabi amplexibus optem,
Elabetur enim, fugiétque auerſa petulcum,
Ille meo nectet ſi quando brachia collo
Ruſticus, & ſimæ melior dare baſia Copæ.
At vos ô duri miſeram lugete parentes,
Si ferro, aut laqueo, læua hac me exoluere ſorte
Suſtineo: inuitas nec clauſtra tyrannica ſeruant
Magnanimas, adeóque mori ſtat cuique ſuum ius.
Sic malè conſartos neque pronuba luſtrat amores
Magna Iouis coniux, neque ſuaui ſparſa liquore
Oſcula Acidalio Charites de fonte miniſtrant,
Atque neque dulce tuens tædas Erycina coruſcat
Balſamina ſaturas gutta, terue vrget in orbem:
Torua ſed obſcuras picea nigredine Alecto
Ipſa faces præfert nubentibus, & malus Hymen
Triſte vlulat, Stygióque etiam linit vnguine poſtes.
Ergò nec hoc nihil eſt: mulier ſi pulchra ſupernè
Deſinat in piſcem: quorſum conamine tanto
Attinuit luſiſſe operam? non luditur (oro)
Quum datur inſulſo mulier Phœbea marito?
Digna, nouos in quam Paridas miſer ille paueſcat,
Ipſa aquilas, tauróſque legens, ſuſpiret ab imo,
Fœlicéſque vocet quas autor crimine purgat?
Quantò erit hoc ſatius, ſucci quum protinùs expers
Teſta recens, talem ſeruat conſtantèr odorem,
Ille rudis qualem primò inſtillâſſe laborat,
Informans propriam figulus non inſcius ollam
In quodcunque volet, ſeu malit rura, vel vrbem,
Siue lyræ aptatos digitos, vncóue ligoni?

Illa

Illa nihil ſapiens melius, quam vir ſuus optet,
Tota viri ſtudijs, iuſsiſque obtemperet vltrò?
Nempè ità ni duro vir geſtet pectora ferro
Dura magis, toruis etiam Cyclopibus vt ſit
Toruior, & nulla dehinc conciliabilis arte,
Omnia longanimi tolerantia cauta puellæ
Conficiet. Plæráſque bonas, tractatio prauas
Eſſe facit: ſine corde viri ſi ignobile nomen
Sæuit, Cumani laruatum tegmine aſelli.
Quantò hodiè plures cogit Xantippa maritos
Effera, Socraticas tandem tranſcendere metas?
Eſt modus. Eſt facilis nonnunquàm obliuio multi,
Ne qua viro ſemper memori ſuccenſeat ira:
Ille cicatrices veteres moroſior vſque
Ne fricet, vt rabiem iam deſperatio cogat.
Denique ſuccinctis complectar vt vltima verbis,
Si noua nupta volet, quamprimùm cerea ſeſe
Fingere ad exemplar morum, vultúſque mariti,
Ille etiam ſummo ſi nolit iure, niſi expes
Alterius curæ, extremas adhibere medelas:
Concordes ſecurus Hymen fæliciter ambos
Duxerit ad ſeræ vix tempora ſenſa ſenectæ.
At tu (ſancta Venus) iubaris pulcherrima clari
Sydere, ſurgentes ſeu Phœbi anteire quadrigas,
Labentiſue polo tibi ſtat deducere currus,
Quod ſupereſt, placanda manes. Inſtauret vterque
Thure dato coniux redimitas Numinis aras
Tædiferi, vt caſtos amborum ſuggerat ignes
Mentibus, & nullo violandum tempore vincli
Ius initi, quod non olim carioſa vetuſtas,
Nec canis comitata queat diſſoluere ruga,
Nec facies obiecta nouo formoſior ore,
Nec genus, aut lecti ſpes inſidioſa potentis:
Aſt qui primus amor iuuenili in pectore ſedit,

Ille etiam vnanimes foueat, constétque sepulcro.
Tanti opus hoc, tantísque viget Venus alma per æuum
Viribus, omnigeni tellure, atque æquore fœtus
Semina inexhausta dum passim lege propagat.
Quæ si fausta suo lustrârit sydere matres
Angliacas (adhibete preces, linguísque fauete)
Illæ inconcussim, genialis fœdere lecti
Seruato, egregiam prolem patriæque, virísque,
Atque suæ parient solamen dulce senectæ.
Parte alia, admissæ Veneris rata sacra pudico
Coniugio pubes, vbi iam maturuit annis
Percolet, atque status vitabit cœlibis, atras
Lege monente notas, nec præmia ter patris ausit
Temnere, moratis proprium quod ciuibus esto:
Hinc, dispersa vagè per corpora multa libido,
Haud vllam solido iunctam ne fœdere tollat:
Inde Iouis summi monitis submissa propago,
Vt faciat lapsi generis reparabile damnum.
Hæc vbi dicta dedit rauco de gutture coruus:
Suspexit, fixámque aciem ad conuexa sereni
AEtheris intendens, ceu iam reuocatus amica
Voce foret, vocem ipse etiam sentire videbar:
Explicuit geminas pennis nigrantibus alas,
Iurantíque manu raptis curuo vngue tabellis
Has (ait) vt Momo referam (namque innuit) æquum est,
Nunc abeo: tu chare vale, monitúsque fideles
Excipe, & orditæ iam mox subtexe Camænæ.

LIBRI NONI FINIS.

DE

DE REP. ANGLORVM INSTAVRANDA,

Liber Decimus.

RAulatìm extremæ videor succedere metæ,
Ægrè fessa trahens nisu vestigia crebro,
Ardua non paucis scatuit via tota salebris,
Quà metimur iter. Pelago iactatus, & istis
Saltibus en iterũ exceptus, prærupta supremi
Horrebam (fateor) simulachra obiecta laboris.
Quod ni cura Deûm dextra auxiliante leuasset
Labentem, in primo desistens limine gressus
Perplexos retrò, spe succumbente tulissem.
Sed vicit bona sedulitas: iamq; improba ad imam
Ducta manus tabulam, quamuis lassata, decenti
Gestit opus totum (si fas) circundare limbo.
Nempè nec innumeris consertus floribus hortus
Proderit, incinctus si nullo ex ordine prostet:
Nec si limbus abest, telæ qui fila coërcet,
Et certo laterum adstrictu vaga stamina cogit,
Iam dubium est, quin tela patens mox diffluat vltrò.
*Qualis enim pleno fluuius si turgeat alueo,** * Synær.
Et nihil ipsæ Hyades tumido moderabile suadent,
Protinùs obstantes certet transmittere ripas,
Multa mouens, caput imbriferúmq; in margine ponat
Penè quidem victor, latè stagnantibus vndis:
At si exultantem, summis licèt incubet oris,
Ripa suo insistat melior compescere vallo,
Postquàm omni conniso opera vis irrita fluxit,

Impetus ille ferox, sensim & fera corda residant:
Haud secus informem, nulla & ratione ruentem
Alma salutari limbo reuerentia legum
Constringit populum, propriáque in sede reponens,
Communem seruare docet rem partibus æquis.
Hoc caput, hoc calx est. Non cœtus ciuicus vllus
Olim, hodiè, aut posthâc iactis sine legibus vsquàm
Extitit, aut extare potest. Lex spiritus ipse est
Ciuilis vitæ: tolle hanc, simul eripe moli
Corporis infusos animæ immortalis honores,
Qua viget omne animal, sentit, sapit, atque mouetur.
Nimirùm non grex nomen trahit, aut armentum
Ciuilis cœtus (quamuis animalia quædam
Bruta repræsentent socialis fœdera vitæ)
Quod natura dedit brutis, perfectiùs artis
Auxilio mens culta viris, ratióque peregit,
Viuendi instituens ritus, quæ iura vocamus.
Iura Deum agnoscunt cœli, terræque potentem,
Iura dedère suos populis regésque, ducésque,
Atque alios quorum imperio respublica sponte
Contulit excelsos, moderandi insignia, fasces.
Iura nefas pœnis, fas distinxère merentûm
Muneribus: decus hinc, illinc comes additur ingens
Dedecus, ad seros transmissum vtrunque nepotes.
Denique securos humiles, placidósque, potentes
Iura sua statione, locóque, atque ordine sistunt.
Quæ, quoniam hæc, & plura viris operata modestis,
Vtilitate sui iustum, rectúmque probârunt,
Dignum erit extollant homines venerabile donum
Iustitiæ, quæ palantes in culta vocauit
Oppida, & à victu reuocauit prima ferino.
At neque lex omnis confusè est omnibus apta,
Nec decet ad normam cunctos componere eandem,
Qui diuersa sui cœtus fundamina ponunt.

Hoc

Hoc ſolo æquales cunctos ſtatuiſſe licebit,
Omnibus ex æquo lex ſi proponitur, vnam
Conciues vrbem proprio qui fœdere condunt.
Iuris enim par ſit fretos munimine eodem,
Sedis vt eiuſdem ſocios, agnoſcere lancem
Æquatam inter ſe, nihil hic fidentiùs vllo
Ob genus, aut vires, aut ſtructos æris aceruos,
Tentante in minimum quemuis de plebe, quod vno
Non omnes, iure vni, animo punire laborent:
Quantumuis poſitas leges differre videmus
Diuerſis, aliáque alios diſtinguere forma.
Formæ etenim tali melius ceu conuenit, æquum eſt
Non aliena vnquàm lex ædita quadret ad vnguem,
Ne ſeruare volens, vt talis, talibus obſit,
Inducátque nouam formam, migrante vetuſta.
Quippè viris ſenſu abſtruſo lex vna ſupinis
Non ſemel eripuit faſces popularior: illis
Regia dinaſtas peperit, popularibus antè.
Quocircà & legum caueat præſcriptor eiſdem
Aut varia, aut illis non conuenientia ferre.
Iſta ſed vt ſpecie clareſcant turbida prima,
Altiùs à puro deducam ſingula fonte.
Principio, cœtus hominum Natura creauit,
Addidit vtilitas iunctis ſocialia iura:
Quumque modo triplici foueat Reſpublica rectum,
Seu rex, ſeu populus præſit, lectúſue Senatus,
Eſt eadem cunctis diuerſo iure voluntas,
Et ſimilem abſimiles prætendunt denique finem:
Nempè ſuos, & ſe ſaluos communitèr omnes
Exoptant, cunctis coëundi hic terminus extat.
Et quanquam varijs quandoque hæc terna figuris
Plus minùs alternant plexos per mutua nexus,
Nomen at hinc propriè quæuis Reſpublica ſumet,
Vnde alijs longè præſtans in corpore pars eſt,

Si placet, & genialem Hymeni condicere cœnam,
Tu, cui lustra viro iam quinque exacta peregit
Prima iuuentutis tenera lanugine forma,
Illa quidem ignaris potiùs prælata puellis,
Ast infida nouos quæ vix benè seruet amores,
(Credite vos, magnæ iustissima cura Diones,
Lapsa fides iuuenùm quas vel iurata fefellit)
Primùm animo tibi proponas, quo sanguine creta,
Qua forma, qua ætate, quibúsque ante omnia virgo
Moribus, in iunctos veniat noua nupta penates.
Nempe sui similem post se liquisse, magistra
Si natura omnes cupiunt: vnde altus ab æuo
Instat amor brutis proprios defendere fœtus,
Ignotósque arcere, suísque expellere lustris,
Magna maritali debetur gratia vitæ:
Vnde nouæ soboli desudat cura parentum
Mutua, perpetuum gignendo dum facit ortum
Humani generis, formandóque efficit ipso
Bis genitos: tanti est, pietas si nutriat altrix
Spem patriæ, & recto simul educet ordine alumnos.
Sed neque tam similes cupiat sibi gignere fœtus
* Synær. *Agesilaus,* claudo vt malit pede, quàm pede recto,*
Nec blæsum sibi balbus amet titubante loquela,
Litterulam vt nequeat scitè proferre caninam
Filius, iniectos ni ruminet ore lapillos:
Nec quocunque pater vitio sua corpora damnat,
Illud item in gnati pergratè corpore spectet:
Est aliquid formosa quòd vno pignora cuncti
Exoptant voto, & specie insignita decora.
Ergò immaturis sapiens (immitia poma
Nondum etiam tangens) statuet parsisse puellis,
Si cupit vt loculis vterus spaciosior amplis
Conceptum plena foueat propagine semen.
Illyricos gens prisca boues si fortè requiris,

Dimidio Ausonijs maiores corpore bubus,
Cur tanta ob speciem prouexit laude Quiritûm?
In promptu causa est: quadrima ætate minorem
Nullus amor tauri admissus conscendere vaccam,
Ingentes illic matrum perfundere cellas
Semine quod pleno, caua per spaciosa, solebat.
Taurus item toruo frontem setosior ore
Maximus è toto lectus grege mugisonantûm,
Pendula cui laxo stabant palearia mento,
Cornuáque ad pugnam ventos quæ sæpè vocabant,
Regnator vacuos sibi solus habebat amores
Liber, & intonsis depascens montibus herbam.
Nos hodiè (ah facinus) peruerso more vocamus,
Si qua virum iam fortè petit, bis sextus vt annus
Accedit, plenas exinde, virique potentes.
Nil minus. Expectent liceat sex altera brumæ
Tempora, quàm tactu se immisceat vlla virili.
Sic Lucina fauens, nulliq; libentiùs vnquàm
Implorata aderit: robusto fœmina nisu
Ingentem emittet puerum vitalibus auris.
Altera præpropero disperdet corpore fructus
Exiguos, nanos, aut gibbo tergore curuos.
Ipsa ægro posthâc suprema ad tempora ventre,
Laxatis vteri claustris, spem vanida fallet,
Difficiles partus longo cunctamine pensans:
Si neque perpetuos deinceps sterilescat in annos.
At si non vanis cupias tibi tollere signis
Formosos pueros: matrem elige clunipotentem,
Succidulam, rectam, atque alta ceruice decoram,
Quæ flauis latos humeros promissa capillis
Ornet, & vberibus turgescat pectora anhelis.
Stricta quidem medio, sed pòst amplissima ventre:
Cui iuuenile femur, succincta sub nate, robur
Arguat, & tactu solido non cedat. Iniquum est

Si qua latent, efferre foras, meliora putato:
Et teretis suræ, breuis & pedis, inde petuntor
Indicia, & quicquid tunicis velatur honestis:
Hanc tua si speciem tibi lecta puella reponit,
Tu modo, quum vultum tranquillo in littore cernis,
Ne tibi displiceas, nec Mopso Nisa proteruis
Indignè coniuncta auibus, lepidissima turpem
Respuat) haud dubiè formosa parentibus ipsis
Pignora filioli certabunt: qualia cultis
Sub lauris virgulta enodi germine ad auras
Cælestes tendunt viridi gratissima fronde.
Hîc verò, æqualis quum sit concordia vitæ
Coniugium, pauper tu ne quæsisse potentem
Instituas: genus, & fasces, victósque Syphaces
Linque aliis, quorum bifores vasta atria valuæ
Manè salutantum gregibus complèsse laborant.
Nube pari, nuptámque pio redamandus amore
Prosequitor. Parua quid causæ est, quominùs aula
Illa tibi Iuno, tu fulmine Iupiter illi
Deposito, vnanimi possitis viuere regno?
Fælices quantum inuideant persæpè monarchæ?
At tua ne Iuno (namque hæc quandoque proterua est)
Insurgat, nimiósque animos spe colligat acri,
Exarmata tuæ videat si insignia dextræ,
Longiùs illa caue, breue nec repetenda reponas:
Vt neque vibrantem metuat, neque temnat inermem.
Par labor est: dubiúmque, metus magis, aut amor, isti
Conueniat: securus amor fluit, at metus odit.
Sed redamet potiùs moderato iure seuerum,
Et qui blanditiis, aliqua sed fronte, modestis
Demeruisse volet non stulta mente puellam,
Quæ sciat à fatuo & bardo, distinguere pectus
Quale quidem cupiat cordata virile mariti.
At neque non animis multum hoc quoque conciliandis
Attulerit,

Attulerit, quo quiſque loco eſt, arte, atque parente,
Tali etiam vxorē quæſiſſe loco arte, parente.
Imprimìs ne vrbana viro noua nupta colono
Tradatur, grauibus raſtris, curuóque ligoni,
Dedignata manus vnquàm admouiſſe tenellas.
Neue Palis traducta ſinu rubicunda virago
Ruſtica, Mercurio multùm irridente, mariti
Auſit inexperta ſeſe iactare taberna
Vrbani, tenuéſue plicas, quibus ante coëgit
Lintea texta domi digitis ex cannabe craſſo,
Indoctè, ſtomachante viro diſperdere byſſi:
Aut abacos vitro inſtructos, ea pocula fagi
Eſſe putans ritu horridulo tractanda paterni,
Duriùs immiti contingere pollice: clarum
Quum videat ſonitum tot cruſtas ædere fractas,
Quàm ſibi diſpliceat? quàm vellet ſydere læuo
Nunquàm adeò inſuetis bos ad ceromata membris
Acceſſiſſe, ſui iactura, & bile mariti?
Quid referam? notos cupiat, pertæſa tabernæ,
Ad poſtes nigra inductos fuligine, quiduis
Exegiſſe operæ potiùs benè firma valentis.
Siue molat truſas ſegetes, nec furfure curet
Exactè tenuem frugi purgare farinam:
Siue colis fuſos filo demittere craſſo
Inſtituat, ſtaménue alterno pro pede cogat
Surgere, & immiſſo radij ſubtegmine texi
Induuias molita viro, natíſque, per Auſtros
Cum grauis agricolas etiam ipſos detinet imber:
Aut cœlo exiliens tectis incompta ſereno,
Vtilitèr paruis meſſorum conſerat hortis
Prandia, ſerpillúmque potens, porróſque virentes,
Alliáque in ſimas ſenſim aſcendentia nares:
Siue canens paſtas vocet ad mulctralia vaccas,
Illæ vltrò accurrant dominæ, ſtudeántque leuari

Vbera consuetis se demittentia palmis:
Siue aliud quiduis faciat rurestris ofella:
Quàm nihil, vnde pigram meritò vicinia damnet,
Tota Pali, aut Cereri, aut Pani dumeta per aspra
Exponens duros multo sudore lacertos.
Quanquàm equidem vrbanas alicui incubuisse labori
Tantum aberit, lentæue vt nolim occurrere vitæ
Illius, extincto quæ fleuit passere, quantum
Non olim patrio concesserat orba sepulchro,
Vt potiùs segnes superare Cupidinis arcus,
Illicitásq; faces, occlusis auribus, vni
Intentas iubeam, vitata per otia, casto
Quem fugit ille malus, glaciem ceu flamma, labori.
Nempè nec assiduo vestras custode, aliorum
Seruari de more, velim non sponte pudicas,
Vsque adeò illa via est iam stultè ingressa maritis
Zelotypis, nimia paritèr se affligere cura,
Et sumptu: ornatas, pictas, nil denique agentes
Dum dominas altis seruant penetralibus, aut si
Has prodire sinunt, tanta hoc fit denique pompa,
Vt non non Memphiti productus ab æde Serapis
Ibat linigeris quondam per compita mystis
Structior, ostentans sacrata cornua fronte.
Stultum erat hoc (dices) sed quid discriminis (oro) est?
Ille bouem: anne tuam tu custodire iuuencam
Iam venerabundus, tanquàm pro numine, pergas?
Quantò rectiùs hoc, veris vxoribus vti
Vt veris, nec imaginibus? tu rostra, forúmq;
Procures, villámque & prædia? degener illa
Tanquàm aliena, domus intra nil curet agendum
Septa maritalis? nec saltem prouida seruet,
Quæ tua sedulitas longinquis vexit ab oris?
Nempè tuum est rem augere foris: rem gnauitèr auctam
Illius est parili pensare, & condere cura.

Ergò

Ergò aliquid ſemper quod agatur, fœmina frugi
Inueniet, media quantumuis degat in vrbe,
Penſa trahens, pictis diſcrimina ſiue tapetis
Tot varians, quot formæ inſunt animantibus ipſis,
Siue colant terras, ſeu pennis aëra ſulcent.
Atque erit hîc intra proprios aulæa penates
Fœmina quod princeps comitum confecta labore
Ipſa comes, præſeſque operis, venientibus vltrò
Hoſpitibus monſtrare queat, non ſegnitèr horas
Conteſtata ſuis, ſed nec ſibi deperiiſſe.
Parte alia, ni linifices, & ruris, & vrbis
Matronæ, Angliacis auferre hoc dedecus oris
Inſtituant, alia merx hæc exotica parte
Linea dehinc veſtris ne det mantilia menſis,
Nec quæ vela ſuis veſtræ de more puellæ
Et capiti, atque humeris niue candidioribus aptant,
Seu tandem tenui quæcunque induſia lino
Texta cuti propiùs, ſeu vir, ſeu fœmina geſtant,
Nil video, cur non poſthâc infamia pœnæ
Iuncta nurus ſegnes taxet: certetur & ipſis
Inter, vt inſignem capiat digniſſima palmam,
Ore virûm laudata, alias dolor vrat inertes.
Nempè tuas telæ, matrona, & gnaua, per ædes
Cannabis, aut lini contuſo cortice, tune
Quicquam habeas, quod non tibi dextra domeſtica texit?
Quis pudor? imperio tantùm ceſſiſſe maritos?
Mancipia vt probrum hoc vxoria facta, ſilentèr
Diſſimulent? adeòn' ſenuerunt omnia luxu?
Quòd ſi etiam hoc ſummo princeps pro iure vetaret,
Neſcio num tabulis melior ſententia fixis
Proponi, aut populo poſſit magis apta ſupino.
Nam quæ præſentis ſocordia temporis extat,
AEre nec exiguo tela hæc aliundè parata
Veſtratûm depexit opes. Nec dicere promptum eſt,

Grandæuæ viduo matres lare turba superstes,
Re tenui, tenuésque nurus, tenuésque puellæ
Quot benè linificæ poterunt ope ducere vitam
Textrinæ, Isiacis quæ primùm venit ab oris,
Si placet hanc manibus ritè exercere pudicis.
Ipsa Parætonias posthâc non lætior vrbes
Inachis aspiciet, querulo celeberrima sistro,
Tot studijs gauisa coli: partita labores
Fallet opus cantu, formæ assimilata coronæ
Cura puellaris, fusósque, rotásque, colósque
Expediet, tum linigero trahet vndique penso
Fila, nec argutæ pollex quæ spernat Arachnes,
Nec tua, cui posita fama est Tirynthia claua
Robora, ridentes inter neuisse ministras.
At neque Palladij dotes non dicere doni
Fas fuerit: quo te resonet (Diua innuba) versu,
Lanifici inuentricem operis, celeberrimus oræ
Velliger Angliacæ tractus? tu maxima templis
Digna quidem istorum cui soli altaria fument:
Attamen in partes Phariam si accedere Diuam
Et pateris, iunctóque coli non thure pigebit,
Nil tibi deperiet: tantùm haud ingrata quotannis
Illa tibi bis sex candenti tegmine mittet
Interulas, totidémque aurato lintea limbo.
Nec (reor) adiectis non demulcebere donis
Torua aliâs: tanti est non expers munere Pitho.
Si qua suas igitùr coniuncto munere palmas
Hijs matrona libens exerceat: illa proteruas
Casta preces iuuenum surda præterleget aure,
Et prima obscænas spes herba excindet amantûm.
Quippè quis hîc calamis aditus, pharetrate Cupido
Esse tuis poterit? si nullo cultior auro,
Si neglecta comas, si trita veste puella,
Soli intenta operi per tecta domestica clausis

Incumbat

Incumbat foribus? præsenti nempè marito
Munditie placitura sua, verbísque pudicos
Sensibus ex imis quæ spirent semper amores?
Absenti gratata, domum testudine seruet
Fixior, & gnatos communia pignora, seruos,
Ancillásque, penúmque, operásque, & denique totam
Rem curet, læto & redeunti occurrere vultu
Festinet, collóque insurgens oscula libet,
Oscula (Dÿ magni) mediúmque amplexa lacertis,
Mollia quæ duras moueant suspiria cautes?
Hic focus intranti scintillis lætior actis,
Gratatus domino, flamma depascet edaci
Fissa priùs cuneis, siccatáque robora quercus.
Intereà famuli, partes sortita iuuentus,
Hic ocreas, alter petasum, festinus ab vdo,
Defessósque via demet. Stabula ipsa caballis
Stamine, & arenti surgent præsepia fœno.
At famulæ expedient epulas, Cererémque canistris.
Ipsa vna ante omnes, non dedignata coquinam
Inspicere, hîc propria ceu quæ versetur arena,
A se cocta suo proponet fercla marito.
Ille auidus teret ore dapes, laudésque merenti
Ingeret, & cupidis laudatæ labra labellis
Carpet, inoffensa iam iam lætissimus aula:
Sæpè Ioui summo tacitas qui dicere grates
Coniugis ob tantæ genium, dotésque pudicas,
Nec Venerem intereà cesset sibi numen amicum
Propitiare prece, & lectos promittere honores
Ipsi Hymeni, structam quadrati marmoris aram,
Turture quæ gemino fragrantes inter odores
Fumet, purpureis sertis redimita quotannis.
Scilicèt in votis quid maius poscat habendum
Morigera, & gnaua? cui forma vxoria culpa,
Atque vacent mores: miti, sed non ita tardo

Ingenio, argutis quin festiuissima dictis
Sæpè iocans hilari certet: sin fortè redibit
Mæstior, hîc caueat turbato opponere quicquam,
Quod magis irritet, non ficto ast anxia vultu
Mæreat, & captet mollissima tempora fandi,
Ipsa quidem simplex, nec libro operosa magistro:
At perdocta patris quæ secum ex ædibus acris
Afferat œconomæ studium, partésque probatas.
Nempè, hæc tuta magis. Sed vt est sua cuique voluptas,
Qui volet insignes committere fortè poëtas
Quæ queat, atque sophos fari quod torqueat ipsos:
Illum ego perpetuæ censuræ, vt iuris adempti
Subijcio. Sciola nihil est audacius: aut se
Præferet, aut quare? ad cramben, bis térque reponet.
Læta tibi currant conuiuia liberiori
Sermonis serie? nutu, aut pede torua iocosum
Impediet. Largire aliquid? largita negabit
Penè supercilio. Soli quum sola per vmbras
Conuenit? hic nihil est intempestiua loquente
Intolerabiliùs: tu iam resolutior vltrò
Delicias, & verba voles sine felle, venusti
Plena ioci, lecto geniali, & lusibus apta?
Illa memor dictum hoc, factum hoc, refricabit ab ouo,
Si qua per elapsum commissa erratula solem
Ignaro exciderant, nec culpæ obnoxia, nigrum
Ni quod sustineant (se iudice nempè) lapillum.
Quid facias? curis tu lenimenta parabas?
Illa mouet bilem. Ludo tibi fortè futuram
Sperabas? ludos hæc te facit, & propè tangi
Se vetat: aut si dat, minima est non gratia, tunc si
Docta solœcismos non imputat: vtpotè casta
Nasonis dudum prouectior arte magistri.
Si non hic etiam Zenones, siue Cleanthas,
Carneadásue crepat: sed fac se coniuge dignum

Te putet: en quotus est tam doctam ferre puellam
Qui mereat? pleno aut poterit qui pectore habenas
Immodicæ rexisse suæ, quæ iura marito
Iam dare docta sapit? libros euoluere magnum
Esse putat, nec prima domus elementa regundæ,
Nec didicit paruo pultem coxisse puello?
Stulta iuuant stultos. Populi pars maxima stulta est.
Nec tibi morosa sapiens vxorcula fronte
Parte placere potest meliori temporis: æquum est
Quod rides, non illa procax irrideat. Id, si
Illa magis sapiat quàm tu, dubio procùl, & mox
Expectes: fragilis tanta est ea nausea sexus.
Nempè nec inuitæ cupiat cordatior vllus
Imperitâsse suæ. Qui vult dare iura volenti,
Fac minùs illa sciat, miretur verba loquentis,
Suspiciat, memor obseruet, nec spernere tentet.
Tota sed à vultu dependeat vsque mariti,
Viribus & sexu potioris, læta libentèr
Si iuga ferre volet mulier, quæ ferre necesse est.
Attamen exculto vir præstans pectore, cultam
Si tollit (quæ cura fouet plærasque parentùm,
Et iubet à teneris operosa volumina cunis
Discere, Apollineo solamen dulce marito)
Fortè pares studijs sors quos coniunxerit æquis
Fœlices ter, & ampliùs ipsa ad funera reddet.
Rara sed hæc paucis contingit copula: nunc vt
Degeneres animos aurum arguit, & sacer æstus
Quærendi generum, qui conficit omnia, Plutum.
Barbarus ob titulos (quid non speremus amantes?)
Siue senex grauida cui turget census in arca,
Bis puer effæto quamuis balbutiat ore,
Prima leget raræ tam culta roseta puellæ.
Illa quid? in questus nisi quòd resoluta gementes,
O pater, ò duro exclamet sors improba fato:

Huic ego delicias, creſcentiáque oſcula demens
Seruaui, & primos (heu) virginitatis honores?
Ah quia nam patrio tantum dant biblia iuri:
Sed ſi corpus habet vir iam meus, attamen omnis
(Vt reor) ipſa mihi remanet mens libera vincli.
Hanc ego vel medijs elabi amplexibus optem,
Elabetur enim, fugiétque auerſa petulcum,
Ille meo nectet ſi quando brachia collo
Ruſticus, & ſimæ melior dare baſia Copæ.
At vos ô duri miſeram lugete parentes,
Si ferro, aut laqueo, læua hac me exoluere ſorte
Suſtineo: inuitas nec clauſtra tyrannica ſeruant
Magnanimas, adeóque mori ſtat cuique ſuum ius.
Sic malè conſartos neque pronuba luſtrat amores
Magna Iouis coniux, neque ſuaui ſparſa liquore
Oſcula Acidalio Charites de fonte miniſtrant,
Atque neque dulce tuens tædas Erycina coruſcat
Balſamina ſaturas gutta, terue vrget in orbem:
Torua ſed obſcuras picea nigredine Alecto
Ipſa faces præfert nubentibus, & malus Hymen
Triſte vlulat, Stygióque etiam linit vnguine poſtes.
Ergò nec hoc nihil eſt: mulier ſi pulchra ſupernè
Deſinat in piſcem: quorſum conamine tanto
Attinuit luſiſſe operam? non luditur (oro)
Quum datur inſulſo mulier Phœbea marito?
Digna, nouos in quam Paridas miſer ille paueſcat,
Ipſa aquilas, tauróſque legens, ſuſpiret ab imo,
Fœlicéſque vocet quas autor crimine purgat?
Quantò erit hoc ſatius, ſucci quum protinùs expers
Teſta recens, talem ſeruat conſtantèr odorem,
Ille rudis qualem primò inſtillâſſe laborat,
Informans propriam figulus non inſcius ollam
In quodcunque volet, ſeu malit rura, vel vrbem,
Siue lyræ aptatos digitos, vncóue ligoni?

Illa

Illa nihil ſapiens melius, quam vir ſuus optet,
Tota viri ſtudijs, iuſsiſque obtemperet vltrò?
Nempè ità ni duro vir geſtet pectora ferro
Dura magis, toruis etiam Cyclopibus vt ſit
Toruior, & nulla dehinc conciliabilis arte,
Omnia longanimi tolerantia cauta puellæ
Conficiet. Pleráſque bonas, tractatio prauas
Eſſe facit: ſine corde viri ſi ignobile nomen
Sæuit, Cumani laruatum tegmine aſelli.
Quantò hodiè plures cogit Xantippa maritos
Effera, Socraticas tandem tranſcendere metas?
Eſt modus. Eſt facilis nonnunquàm obliuio multi,
Ne qua viro ſemper memori ſuccenſeat ira:
Ille cicatrices veteres moroſior vſque
Ne fricet, vt rabiem iam deſperatio cogat.
Denique ſuccinctis complectar vt vltima verbis,
Si noua nupta volet, quamprimùm cerea ſeſe
Fingere ad exemplar morum, vultúſque mariti,
Ille etiam ſummo ſi nolit iure, niſi expes
Alterius curæ, extremas adhibere medelas:
Concordes ſecurus Hymen fœlicitèr ambos
Duxerit ad ſeræ vix tempora ſenſa ſenectæ.
At tu (ſancta Venus) iubaris pulcherrima clari
Sydere, ſurgentes ſeu Phœbi anteire quadrigas,
Labentiſue polo tibi ſtat deducere currus,
Quod ſupereſt, placanda manes. Inſtauret vterque
Thure dato coniux redimitas Numinis aras
Tædiferi, vt caſtos amborum ſuggerat ignes
Mentibus, & nullo violandum tempore vincli
Ius initi, quod non olim carioſa vetuſtas,
Nec canis comitata queat diſſoluere ruga,
Nec facies obiecta nouo formoſior ore,
Nec genus, aut lecti ſpes inſidioſa potentis:
Aſt qui primus amor iuuenili in pectore ſedit,

Ille etiam vnanimes foueat, constètque sepulcro.
Tanti opus hoc, tantísque viget Venus alma per æuum
Viribus, omnigeni tellure, atque æquore fœtus
Semina inexhausta dum passim lege propagat.
Quæ si fausta suo lustrârit sydere matres
Angliacas (adhibete preces, linguísque fauete)
Illæ inconcussim, genialis fœdere lecti
Seruato, egregiam prolem patriæque, virísque,
Atque suæ parient solamen dulce senectæ.
Parte alia, admissæ Veneris rata sacra pudico
Coniugio pubes, vbi iam maturuit annis
Percolet, atque status vitabit cælibis, atras
Lege monente notas, nec præmia ter patris ausit
Temnere, moratis proprium quod ciuibus esto:
Hinc, dispersa vagè per corpora multa libido,
Haud vllam solido iunctam ne fœdere tollat:
Inde Iouis summi monitis submissa propago,
Vt faciat lapsi generis reparabile damnum.
Hæc vbi dicta dedit rauco de gutture coruus:
Suspexit, fixámque aciem ad conuexa sereni
AEtheris intendens, ceu iam reuocatus amica
Voce foret, vocem ipse etiam sentire videbar:
Explicuit geminas pennis nigrantibus alas,
Iurantíque manu raptis curuo vngue tabellis
Has (ait) vt Momo referam (namque innuit) æquum est,
Nunc abeo: tu chare vale, monitúsque fideles
Excipe, & orditæ iam mox subtexe Camænæ.

LIBRI NONI FINIS.

DE

DE REP. ANGLORVM INSTAVRANDA,

Liber Decimus.

PAulatìm extremæ videor ſuccedere metæ,
Ægrè feſſa trahens niſu veſtigia crebro,
Ardua non paucis ſcatuit via tota ſalebris,
Quà metimur iter. Pelago iactatus, & iſtis
Saltibus en iterũ exceptus, prærupta ſupremi
Horrebam (fateor) ſimulachra obiecta laboris.
Quod ni cura Deûm dextra auxiliante leuaſſet
Labentem, in primo deſiſtens limine greſſus
Perplexos retrò, ſpe ſuccumbente tuliſſem.
Sed vicit bona ſedulitas: iamq; improba ad imam
Ducta manus tabulam, quamuis laſſata, decenti
Geſtit opus totum (ſi fas) circundare limbo.
Nempè nec innumeris conſertus floribus hortus
Proderit, incinctus ſi nullo ex ordine proſtet:
Nec ſi limbus abeſt, telæ qui fila coërcet,
Et certo laterum adſtrictu vaga ſtamina cogit,
Iam dubium eſt, quin tela patens mox diffluat vltrò.
*Qualis enim pleno fluuius ſi turgeat alueo,** *Synær.
Et nihil ipſæ Hyades tumido moderabile ſuadent,
Protinùs obſtantes certet tranſmittere ripas,
Multa mouens, caput imbriferúmq; in margine ponat
Penè quidem victor, latè ſtagnantibus vndis:
At ſi exultantem, ſummis licèt incubet oris,
Ripa ſuo inſiſtat melior compeſcere vallo,
Poſtquàm omni conniſo opera vis irrita fluxit,

Impetus ille ferox, ſenſim & fera corda reſidant:
Haud ſecus informem, nulla & ratione ruentem
Alma ſalutari limbo reuerentia legum
Conſtringit populum, propriáque in ſede reponens,
Communem ſeruare docet rem partibus æquis.
Hoc caput, hoc calx eſt. Non cœtus ciuicus vllus
Olim, hodiè, aut poſthâc iactis ſine legibus vſquàm
Extitit, aut extare poteſt. Lex ſpiritus ipſe eſt
Ciuilis vitæ: tolle hanc, ſimul eripe moli
Corporis infuſos animæ immortalis honores,
Qua viget omne animal, ſentit, ſapit, atque mouetur.
Nimirùm non grex nomen trahit, aut armentum
Ciuilis cœtus (quamuis animalia quædam
Bruta repræſentent ſocialis fœdera vitæ)
Quod natura dedit brutis, perfectiùs artis
Auxilio mens culta viris, ratióque peregit,
Viuendi inſtituens ritus, quæ iura vocamus.
Iura Deum agnoſcunt cœli, terræque potentem,
Iura dedère ſuos populis regéſque, ducéſque,
Atque alios quorum imperio reſpublica ſponte
Contulit excelſos, moderandi inſignia, faſces.
Iura nefas pœnis, fas diſtinxère merentûm
Muneribus: decus hinc, illinc comes additur ingens
Dedecus, ad ſeros tranſmiſſum vtrunque nepotes.
Denique ſecuros humiles, placidóſque, potentes
Iura ſua ſtatione, locóque, atque ordine ſiſtunt.
Quæ, quoniam hæc, & plura viris operata modeſtis,
Vtilitate ſui iuſtum, rectúmque probârunt,
Dignum erit extollant homines venerabile donum
Iuſtitiæ, quæ palantes in culta vocauit
Oppida, & à victu reuocauit prima ferino.
At neque lex omnis confusè eſt omnibus apta,
Nec decet ad normam cunctos componere eandem,
Qui diuerſa ſui cœtus fundamina ponunt.

Hoc

Hoc ſolo æquales cunctos ſtatuiſſe licebit,
Omnibus ex æquo lex ſi proponitur, vnam
Conciues vrbem proprio qui fœdere condunt.
Iuris enim par ſit fretos munimine eodem,
Sedis vt eiuſdem ſocios, agnoſcere lancem
Æquatam inter ſe, nihil hic fidentiùs vllo
Ob genus, aut vires, aut ſtructos æris aceruos,
Tentante in minimum quemuis de plebe, quod vno
Non omnes, iure vni, animo punire laborent:
Quantumuis poſitas leges differre videmus
Diuerſis, aliáque alios diſtinguere forma.
Formæ etenim tali melius ceu conuenit, æquum eſt
Non aliena vnquàm lex ædita quadret ad vnguem,
Ne ſeruare volens, vt talis, talibus obſit,
Inducátque nouam formam, migrante vetuſta.
Quippè viris ſenſu abſtruſo lex vna ſupinis
Non ſemel eripuit faſces popularior: illis
Regia dinaſtas peperit, popularibus antè.
Quocircà & legum caueat præſcriptor eiſdem
Aut varia, aut illis non conuenientia ferre.
Iſta ſed vt ſpecie clareſcant turbida prima,
Altiùs à puro deducam ſingula fonte.
Principio, cœtus hominum Natura creauit,
Addidit vtilitas iunctis ſocialia iura:
Quumque modo triplici foueat Reſpublica rectum,
Seu rex, ſeu populus præſit, lectúſue Senatus,
Eſt eadem cunctis diuerſo iure voluntas,
Et ſimilem abſimiles prætendunt denique finem:
Nempè ſuos, & ſe ſaluos communitèr omnes
Exoptant, cunctis coëundi hic terminus extat.
Et quanquam varijs quandoque hæc terna figuris
Plus minùs alternant plexos per mutua nexus,
Nomen at hinc propriè quæuis Reſpublica ſumet,
Vnde alijs longè præſtans in corpore pars eſt,

Cuius ab arbitrio rerum flectuntur habenæ.
Nunc, licèt affectu vario diuersa sequentes,
Quilibet ipse suam certet præponere Spartam,
Nil opus hîc critici partes tractare magistri,
Quin potiùs linquam positam sub iudice litem.
Quamuis longa dies, & rerum prodidit vsus
(Vt nec apum memorare velim quæ forma regendi est,
Nec super ipsius proponam exempla Tonantis)
Vnum aliquem, annosa pro maiestate, monarcham
Qui proauos numerare queat, proauûmque parentes
Insignes patrio semper diademate reges,
Plus oculos, animósque suis perstringere sceptris
Multorum quàm sorte datos ad tempora fasces:
Quos propria sumptos spernet de fæce popellus.
Quum malè priuatus dudum, priuatus & acto
Tempore sustineat solij decora alta vetusti,
Ciuibus vt propriè metuendum, & amabile dictet:
Immò equidem æquales inter, contentio discors
Exagitat stimulis raro vnica corda superbis.
Tutius est igitùr soli indulsisse perennè,
Ille licèt quandoque ruat sine iure proteruus,
Quàm fera ab æquali passos ludibria dextra
Post multis seruire viris, quibus excidit vnus.
Vndique nam vitijs quum perfectißima nobis,
Et scateant multæ nostra in compagine rimæ
Fælix, atque bono dicetur proxima gens hæc,
Quæ minimas toto sustentat corpore labes.
Nam nihil, optantis fuerit, propriéq; Deorum est.
At benè si mixtis iungant se partibus, & rex
Et proceres, quodámq; tenus suffragia plebis,
Vt, quod præcipuè pulchrum est, in quolibet horum
Concreta, & dubia tandem sub mole resurgat:
Hîc ego natales cupiam, & duxisse senectam,
Optatósque lares sero posuisse nepoti.

Regnum igitùr (quoniam regi ſubmittimur Angli)
Dicetur populi res, & tutela Britanni:
Cuius ab imperio ſcripto de iure iubentis,
Legibus & patrijs nixi, vis maxima pendet.
Qui neque ſi poßit, cupiat perrumpere iuſtum,
Nec cupiens noua iura ferat, ſeu condita tollat
Non prius ordinibus regni de more vocatis,
Vt procerûm, populiq; rato ſtent ordine vota,
Omnibus & poſitum ſciſcat coniuncta voluntas:
Hic modus, hoc trutinæ libramine, gemmeus eſto.
Ritè regit, qui ſponte ſuos in vota coëgit,
Libera permittens conſultis ciuibus ora,
Siue fabæ (forſan) potiorem vocibus vſum,
Maluit atque patris præponere nomen herili.
Sic etenim longa regnum immortale catena
Legitimos ſtatuet regali ex ſtemmate reges.
Præcipuè ſi quos regni antiquißima vincla
Addiderant Comites (latet ipſo nomine ſenſus)
Aduocet in partes operis, curæque profundæ,
Conſpicuos cenſu, & genere, & virtutibus altis,
Rex caput vt reliquos per brachia protegat artus.
Si verum eſt, vnum non vno tempore corpus,
Munus idem ſupplere locis benè poſſe remotis:
Nec Thameſim (hyberno ſi quid magis arroget imbre)
Stagnantem, rectè pratis ſitientibus addi:
Nam ruit, & nulla infrænis tunc lege mouetur)
At bene compoſitis ſedatus quum fluit vndis
Tum ſatagat, riuos primæuo à flumine ducens,
Irriguas foſſor ſulcis immittere lymphas:
Quæ nec depereunt, nec dando deperit ipſe,
Qui fluit, à vena fons ſemper diuite manans.
Nil etenim fonti deductis brachia foßis
Abſcindunt, quod non multo cum fœnore partes
Retribuant: poſtquàm fonti terra humida rurſus

Subijcit occultis alimenta perennia venis.
Hoc igitur plebique, & regibus vsu erit ipsis,
Esse aliquos, medium quiddam qui finibus aptè
Concilient, nodóque ligent extrema reducto:
Quum neque plebeio se misceat alta potestas,
Nec gratè aspiciat populus sublime recuruus,
Ni medio insistant ambos connectere vinclo,
Quos proceres, satrapásue, ab auita stirpe decorum
Intulit, & regum voluit latus indefesso
Consilio, regnique vices pro parte tueri.
Quos equidem, an casus primùm, an solertia struxit,
Non adeò arguerim: vtilitas venerabile donum
Agnoscit: prudens cautque nepotibus ille,
Qui primus voluit quiddam decedere summo,
Et minor esse suis Theopompus viribus, vltrò
Inductis Ephoris: nimióque, vxoria temnens
Iurgia, præposuit modicum, & durabile fluxo.
Nam neque legitimos reges per Barbara tela
Cinxerit ignotus laudato iure satelles,
Quin sua nobilium deuoto pectore cura,
Atque amor, officio certans occumbere in ipso.
Nec genus inuisum, suspectáque dona tyranni,
Si tenera linquat, spem vanam ætate, puellum,
In sua seruârint surgentia vulnera ciues,
Quum metus omnis abest, odio post fata manente.
Quæ dubio solers quisquis sub corde volutat,
Sit licèt infandis Domiti securior ausis,
Aut cui castrensis caligæ cognomen adhæsit,
Ipsum etiam exuperans lecta feritate Neronem:
Vix vnquàm placidos carpet per membra sopores,
Excitus aut furiæ facibus, scelerúmque latratu,
Ostentísue nouis, maternísue insupèr vmbris.
Quin vigil intensas tantillum fallere curas,
Nec poterit tortis iucundum admittere fibris.

Quicquid id eſt, metuat metuentes ipſe neceſſe eſt,
Et fruſtrà imploret, quos nullos fecit, amicos:
Seu caueat medijs graſſantes enſibus enſes,
Aut ſuſpecta thori genialis culcitra primùm
Sollicitè excutiat, quàm coniugis oſcula libet,
Pocula ſeu proprio à gnato porrecta reuitet,
Siue etiam volucrum plangentibus intremat alis,
Aut demùm propria conſurgat territus vmbra,
Nil habet in tota ſecurum cæde tyrannus.
Quóque magis pergit, ſtructos magis induit in ſe
A coniuratis gladios, & ſpicula dextris.
Vſque adeò, vt feras cupiat deponere ſicas,
Vellet & infælix vltrò plebeius eſſe:
Sed ſemel arreptis vrgens lupus auribus obſtat,
Et iubet optatam iam deſperare ſalutem.
Pœna ſuos igitùr perdentem plurima vindex
Exagitat, viuas corrodens vſque medullas,
Sanguinis & fuſi ſtimulis præcordia carpens,
Mille cruces ſcelerum capiti per iuge rependit.
Quæ quoniam ſceptri nouitas tam dura miniſtrat,
Eſt magis à ſummo votis, & pectore, rege
Optandum, vt ſolij longùm conſeruet auiti
Progeniem, ignotis ciues nec faſcibus addat.
Sanguinis hæc etenim tanti per mutua vis eſt,
Vſque ab auis, atauíſque, genus quum pareat vni,
Vſque ab auis, atauíſque, vnos qui vendicet idem,
Vt neque non cupiat ſaluos, foueátque paternè
Non minùs ac proprij connatos corporis artus,
Qui primam ſtatuet, ſeruato ciue, coronam
Rex pius, imperio miti popularitèr acto:
Nec domino parere velit plebs anxia, quem non
Aptatum longo à maioribus induit vſu,
Ipſum adeò obſeruans, qualis quæ flore ſequaci
Lutea ſe flectit Clymene ad veſtigia Phœbi,

Ipsi adeò exoptans Tithonia sæcula, prolis
Vt tamen augustæ spem votis nutriat æquis.
At quoniam ordo triplex regnum moderamine certo
Sic struit Angligenis, vt prima, & summa potestas
Regia, non procerum suffragia, nec statuentis
Coniunctìm populi assensus pro parte repellat:
Nunc, quo ritè suis nectantur summa supremis,
Et medium extremos hinc, inde resarciat artus,
Quæ leges, qua temperie concinnitèr istud
Corpus alant mixtum, foueant, seruéntque, videndum est.
Imprimìs, quæ lex partes non respicit omnes,
Ast alijs, vnam protollens, derogat, ac si
Fraude mala statuat, non tanta, at tota potestas
Hanc penes existat, rèliquis sua iura coarctet,
Illa quidem nonum (moneo) expendatur in annum
Quid velit, insidijs ne incautos opprimat omnes.
Nempè tribus simul ordinibus ius esse sacratas
Condendi leges, patrio pro more vetustas
Longo vsu si docta tulit: modus iste rogandì
Haud secùs ac basis hanc nostram sic constituit rem,
Vt si inconsultis reliquis pars vlla superbo
Imperio quicquam statuat, seu tollat, ad omnes
Quod spectat, posthâc quo nomine læsa vocetur
Publica res nobis, nihil ampliùs ipse laboro.
Sufficit, vt nomen taceas, rem noscier ipsam.
Aurea paulatìm mixtura antiqua nouatam
Quum recipit formam, libertásque vnica rerum
Destituit sensim ciues læua arte nouantes
Sæpè quod ignorant. Tanta dulcedine vanos
Immutare iuuat, cuius vel postera sæcla
Pœniteat, tunc quum nec se reuocâsse priorem
Ad formam tutum est, habitu semel altero adepto,
Nec tamen illa recens placeat, quin se arguat vsu
Degenerem: vnde nouo studio peregrina probandi,

Turba

Turba leuis rursum insuetis se legibus aptet,
Qualitèr immisso clauum propellere clauo
Assiduè certans per mille foramina putres
Exterebret tandem tabulas, & inutile lignum
Reddat, Mulciberi tantùm fornacibus aptum.
Longè aliud quondam placuit Locrensibus, alto
Iudicio antiquas leges, formámque regendi,
Sic tandem intacta serie retinentibus, vt si
Aut veterem delere parans, aliámue rogare
Instituens, populo faceret quis verba vocato,
Colla priùs laqueo nectens, ea pacta subiret,
Aut persuadendi quod iam desumpserat, aut mox
Tentatos temerè ob ciues capitale ferendi
Supplicium, duro exemplo documenta daturus,
Obstringente gulam laqueo quem nexuit ipse,
Tranquillos populi affectus, placidámque quietem,
Sollicitâsse nouis num præstet denique cœptis.
Quippè grauis tardo quum stet Respublica motu,
Haud alitèr vasto quàm si pede machina mundi
Longum opus immenso motus vix compleat æuo,
Circulus vt magnum tandem consarciat annum,
Hanc si tam lenta Numen ratione ministrat,
Par erit ipsa Dei ciues exempla sequamur,
Ordine seruato, ne præcipitantèr agamus,
Lege, modóque suo maturè quod statuendum est.
Nempè vel in quouis mutatio facta repentè
Corpore, suppositi si plena est vsque pericli:
Heu quæ intemperies, quæ turba denique molem
Ciuilem, si fortè quid est mutata, sequentur?
Hinc ergò & nauos potiùs tolerare monebat
Intactos (qui vix quicquam molitus ineptè est)
Dius Aristoteles, studio quàm restituendi
Festino, ingentem subitò accelerâsse ruinam.
Hæc si fortè bonos ciues exempla mouebunt,

Dispiciant, num si figant, iterúmque refigant
Tantilla inducti tabulas ratione sacratas,
Idque repentino momenti ad tempora motu,
Longa quies possit rem constabilire fluentem
Assiduè hûc, illûc: pila ceu versatilis æquam
Quæ per planiciem digito propulsa, rotundum
Sistere vix corpus longo pòst tempore nouit.
Sic patriæ leges, quarum veneranda vigebat
Simplicitas, dum cana fides melioribus annis
Maiores dedit indignos nunc labe nepotum,
Quid (quæso) meruère nouis centonibus vsque
Iam superinduci toties? pulcherrima pridem
Quum fuerant nobis primæua volumina legum
Nuda licèt, posita ceu præstans veste puella?
At (reor) vt simplex victus, cultúsque priorum
Transijt in varias, tanto discrimine, formas,
Nunc tandem varijs opus est compescere frænis
Multifidam renouis gentem quæ pullulat hydris.
Hoc si fortè placet: quidnam est tam multa recudi
Iura noua assiduè cum cernimus, Iliada ipsam
Prolixo ambagûm longè superantia textu,
Quòd tam rara hodiè morum sartura sequatur?
Brutáne sunt legum nostratûm fulmina? an ipsi
Custodes fœdè labendi exempla ministrant
Prima suis? an fortè sat est iussisse? nec vllo
Iam custode opus est? ceu plebs obtemperet vltrò?
Quicquid id est, hoc non nihil est: miserúmq; profectò est,
Turba virum tanquàm medicorum destruat ægrum,
Sic tanta in legum farragine, tot simul actis
Quotidiè cuneis, patriæ perrumpere iura,
Iura vel hesternis frustrà præfixa columnis.
Nonne fuit satiùs, modico texisse paratu
Perpaucas, benè constantes, meliúsque notatas
A populo, & prono seruatas pectore leges,

Vnius exemplo tempta, quàm ſoluere cunctas?
Quippè, quid hic cauſæ eſt, vnam qui tempſerit, idem
Non alias ſoluat, commiſſi hortamine fretus
Impunis? ſin fortè bonos vel ſponte putâris
Eſſe homines: erras. Lex ſic cuſtode tuenda eſt
Peruigili, vt nullam veniæ ſpem porrigat auſis
Illicitis. Qui nil condonat, limine primo
Fortè per indocti dicetur compita vulgi
Crudelis: verùm hunc, vno, qui iure perempto
Innumeros ſcelerum intactos à crimine terret,
Arbitror humano ingenio magis eſſe propinquum,
Quàm ſtultæ vnius noxæ qui parcit, vt omnes
Poſt eadem veniæ ſpes turpibus illiget actis.
Fruſtrà igitùr bonus ille Solon prædura Draconis
Sanguine ſcita tulit ſcribi: dic optime, tune
Tam mitis plures iugulas, an acerbior ille?
Nouimus, & quò ſe nimia indulgentia profert,
Teſtis es ipſe, tuæ patriæ popularia iura
Qui ſtatuens, viuus patriæ vidiſſe tyrannum
Diceris, atque tuos iam tum ſenſiſſe ſubactos.
Attamen, vt regi gladios hæc dura miniſtrent
Tempora, tam crebris ſcelerum ſurgentia formis,
Nil vetat (externè quicquid ſimulauerit) altam
Quin foueat ciuis ſeruandi pectore curam
Anxius: & nullum plectet, quem prona voluntas
Non benè conuincat ſcelus incurriſſe ſcientèr.
Dignus erit venia, quem vis, aut neſcius error
Impulerit: quandoque etiam ni immanius extet,
Et nulla facinus delendum tale litura,
Ipſa poteſt ætas, ſexus, cauſa, & genus, atque
Conditio, & tempus, merita atque antiqua, rigorem
Infractum ſummi iuris condire minori
Supplicio: hic quamuis idem parciſſimus eſſe
Debeat, & iuſtas potiùs præferre ſecures,

Sæpè memor quantis indulta licentia ciues
Lasciuire animis correpta protinùs ansa
Inuitet. Fluidis nihil est procliuius, omnes
Quà data porta, ruent, laxisque expansa iuuentus
Carceribus, pleno sectabitur inuia gressu.
Hæc verò (expertis si quicquam credimus) huius
Signa mali iam tum procul incumbentis, habentor:
Quum videas ciues paulatìm (ac si ordine tempto
Extra aciem miles non iussus prodit in hostem)
Fidere consilijs, neglecta lege, petitis
A propria (vt cerebro arridet cuiusque) Minerua.
Quum sciolè insistant scrutari, & quærere causas
Cur potiùs non hoc lex olim, ac iusserat illud?
Et studiò carpant maiorum inuenta maligno:
Quum sese & satrapis ima de classe monetæ
Si quid habent loculi, nullo conferre rubore
Contendant: quid enim primi meruere parentes
(Ille refert media natus de fæce popelli)
Postera progenies, diuerso vt tramite vitæ,
Pars proiectet auos, pars prandia curta lupinis
Conficiat? mouet hic aures circumflua turba,
Et tacito audacis confirmat murmure voces.
Præthereà, assuetum quum detrectare laborem,
Lentiùs & patrias tendunt meditarier artes:
Quisque aliud vitæ genus (vt fastidit auitum)
Arripiens, nec stare loco contentus adepto,
At rursum mutare, & adhùc mutare paratus,
Nec patiens, si quid liceat (si cœpta secundet
Fors sua) non prima demùm consistere classe.
Parte alia, vt frugi semel osa est regula victus,
Vt gaudet nitidæ tunicis plebs infima byssi,
Cœnat apros, Bacchúmque sitit, plumáque recumbit,
Scortatur, ludit magno, talósque palæstræ
(Quippè opus hic neruis) deses præponit honestæ,

Iam

Iam dubitâsse potes, mutatis moribus, istos
Et mutare statum velle, & nouitate furentes
Expectare ducis tantummodò iussa Cethegi:
Si tamen intereà incautos non opprimat hostis,
Dum certant studio inter se diuersa sequentes.
At si non vano cupitis cognoscere signo,
Tabentis populi expunctam spem quamque medelæ,
Fac tantundem omnes prætendant scire: valete,
Plaudite, tum lumbos exporgite spectatores:
Fabula iamdudum vel post aulæa peracta est.
Nullus abhinc alium feret, at (se iudice) primus
Esse volet, cathedrámque nouus scandisse magister.
Inclyta sic virtus, cuius laus omnis in actu
Consistit, solis post hæc aget omnia verbis,
Disquiret causas rerum plebs stultula: quid sit?
Quale sit? & quantum? magno molimine certans
Expendet: capita & quum tot nil conuenit inter,
Res ipsa in dubio, magis ac fuit antè, manebit.
Intereà, certi dum quid communitèr omnes
Constituant (Græcis hoc fiet fortè calendis)
Non sese accingent operi, quod quæstio pendens
Indefinitum liquit, linquétque per æuum.
Atque ita nugiloquis quantum ipsa scientia crescit,
Crescet item fastus, lis, & discordia, & ira:
Hinc odium, & vindicta memor, partésque sequelis
Instructæ, saxa, atque sudes, ac denique ferrum.
Sanguine si verò semel incrudescitur, actum est.
Ipsa salus vix hos in pristina fœdera coget:
Victa, vel inferior pars vltrò tendet ad hostes,
Et patriæ fines vnà populabitur: illa
Dum gladijs confossa suis, & præda profanis,
Concidat, atque solo fumet Neptunia Troia.
Tum verò (heu rerum faciem) florentia quondam
Serta perornatæ paßim qui viderat vrbi

Cingere compositos festiua fronde capillos,
Hospes, & obstupuit, raros miratus honores
Frontis, in albentes inducta marmore crustas,
Tale decus laceræ, & scissæ neglecta per ora
Absore quum cernat, tales hic pectore questus
Proferet. O fœdam non dignè passa ruinam
Pulchra strues, socijs olim iunctissima membris:
Quæ te intemperies, quæ cælo fulmina, & iræ
Cælicolûm, hoc tristi disiectam denique casu
Turbârunt? nomen certè, sedémque notaui
Iampridem: maneat nomen quantumlibet, & nunc
Ista loci facies eadem compareat, ipsa es
Longè alia, ac fueras, nec iam te agnoscimus inter
Ruderáque, & strages, & diruta mœnia, celsis
Tot quondam aërias referentia turribus Alpes.
Scilicèt (ô ciues) animo hæc hausisse profundo
Iuuerit: externo si quid miserabilis ore
Ingentes poterunt vrbis mouisse ruinæ
Externos: quanto complèrint omnia luctu
Indigenæ: ipsi oculos mentis si denique rebus
Internis adhibere velint? grauiora videbunt
Excidia, & iactas primùm intra viscera flammas,
Cognatósque animos, coëundi fœdere rupto
Sese inter, quàm quid tulerit vis extera damni.
Ciuis enim longo rerum qui polleat vsu,
Idem etiam tenero patriam qui pectore cunctis
Præferat, hic homines inter quæ chara putantur,
Quum videat primæ surgentia semina labis,
Progressu in totos fœdè dispergier artus,
Quid faciat? clamet? quid si quem nulla potestas
Insignit, strepitu bacchantûm exclusus, inanes
Fuderit in ventos ad rauim verba, supinis
Auribus insueto longè ingratissima vero?
Proderit? in summos ni se prudentia reges

Insinuet?

Insinuet? longè ante pedes & cernere donet,
Quæ quandoque grauem parient neglecta ruinam?
Tantùm inter densas nemorum mæstissimus vmbras
Solus hic assiduè secum hæc, affixus Olympo
Humentes oculos studio profundet inani.
Iuppiter, omnipotens (tibi si mortalia curæ)
Cur pater, hæc prima lentus non corripis herba?
Auxilióque subis? Quid nunc timeatur, apertis
Vel tantillum oculis stertentûm plurima posset
Torpedo in foribus positum agnouisse, suóque
Dum licet, & superest, sese excussisse veterno.
Nam quò (proh) lapsæ concessit gloria gentis?
Quò patriæ cura vnanimis? quò sacra Deorum?
Quo decus antiquum solij regalis? & illa
Præbita nobilium classi reuerentia dudum?
(Eheu) quid prodest cladem nouisse futuram,
Ni superare datur? video surgentia monstra
Sphyngásque, Scyllæque canes, anguésque Medusæ,
Harpyiásque truces, exporrectámque Chymæram,
Centimanúmque Gygen, serpentipedésque gigantes,
Omnibus vt portis emissa potentiùs istas
Conquassent sedes, & proturbare tridentum
Ictibus insistant: iam propugnacula, turres,
Mœnia deficiunt, nutat res vltima, fatum
Accelerat, nec adhùc ciues timor occupat vllus?
Sella magistratus quid eburnea? quídue Senatus
Purpura dehinc veteri pro maiestate, furentûm
Fecerit ad surdos alienis auribus æstus?
Victa iacet legum non formidata potestas,
Vlteriùs culto nihil hîc opus ore diserti,
Responsis nec (Paule) tuis metuentia ferri
Rostra silent, mussat Prætor, vis sola gerit rem,
Vis mala, tecta, vias, loca publica, & ipsa Deorum
Templa, adyta, & quid non? suppresso iure, querelis

Confundit canique ſenis, puerique, nurúſque
Imbellis, ditiſque inopum ſpolia vltima paßi,
Et quemcunque poteſt potior ſpoliâſſe minorem
Viribus: vt ſæuo nihil hic immanius hoſti
Attribuiſſe queas. Quid quòd pugnatur, & ipſos
Inter latrones de prædæ partibus? & quem
Dextra potens præfert, hic Phyllida ſolus habebit?
Talibus incaſsùm ciuis bonus aſpera fata
Si fleat, ipſe animo præſenti abſentia cernens,
(Haud alitèr, quàm ſi vitali ſemine, ab ouo
Mox fieri pullum, cui nota potentia rerum eſt,
Nil dubitet) tum ſi rutilo Saturnius ore
Iam clara ſe luce Deum profeſſus ab alto,
Hæc referat: fili, fatum, & ſua cuique dies ſtat:
Nec tamen impediunt ſoli ſecreta Tonanti
Cognita (quicquid id eſt, quod præſciat ille futurum)
Quò minùs ad normam certent componere cuncti
Quam dedimus, moréſque ſuos, momentáque vitæ,
Spe pleni, hanc quò quis propiùs ſeruârit ad vnguem,
Hôc illi minùs à diris, monſtríſque timendum
Tartareis, vnde exuperat genus omne malorum.
Tu verò iam ſi quid habes, aliùe, minuta
Plebe magis ſapiens diuinos ætheris hauſtus,
Quorſum hæc ingrati, aut timidi præſagia veſtris
Subtrahitis? patriámne decet ſic vſque tacendo
Prodere? non alios inter pars veſtra pericli eſt
Communis? quocirca homines quos tangit, adite
Vos, mea progenies: ſolis effundere queſtus
Montibus, in tenues quæ mox Notus exigat auras,
Quid iuuat? hæc non tam ſapientem tempora poſcunt
Ceu ſpectatorem, quàm qui ſe proferat actor,
Labentíque humeros patriæ ſubporrigat vltrò.
Hæc pater æterno Diuûm ſi fatus ab ore,
Corripiat timidi ciuis cunctantia corda,

Quid

Quid dignum hic tanto monitore exinde reponat?
Deserta? an loca culta viris? nemora? an fora fidis
Vocibus increpitet? mediisque in millibus ardens
Testetur patriæ impendens miserabile funus?
Inuitisque etiam inculcet ter amabile virum?
O veri sacra effigies, ô sola bonorum
Gloria, simpliciter conceptus promere puros:
Quò diuersa fugis? num dissimulanter agentes
Respuis? atque ideò terras exosa, paternos
Ipsa sinus repetis? nos falsi detinet vmbra?
Nimirùm cauet vsq; loco, meminitq; perennè
Harpocratis: sin quid loquitur, tacuisse colacem
Præstiterat, nocuo dominum quàm prodere palpo.
At redeo, vnde abij. Leges adamantina semper
Claustra inconcussas seruent, venerabile iuris
Nomen & in sacro vigeat diademate tutis:
Ne qui custodes referunt, sibi parcere quiddam
Regale esse putent, plebi præfractiùs instent.
Plus nocet exemplo minimo rex ipse profanans
Se primum, vnde alios trahit alta libido sequendi,
Quàm si mille viros, ob crimina quæ facit, author
Castigans, studeat rursum prodesse minando.
Demus enim (hoc hodiè quoniam responsa tulerunt
Iuridicûm, cabalam arcanam qui pectore seruant)
Maior vt ipse suis sit legibus, atque superstet.
Attamen vt populum sibi demereatur amicum,
Qui patriæ pater, & populi vult pastor haberi,
Sit minor, idque volens. Nihil hîc minus illa tyaræ
Maiestas feret, aut sceptrum, si iura libentèr
Præponit, solio excelso, quem iure iubente
Mos vetus, atque suûm vota haud inuita locârunt.
Meta sed hîc nostri propè iam confecta laboris,
Occulit aërium densa intra nubila conum,
Cætera candenti maior quo proxima trunco.

Quadratum latus ecce basi superædita magnæ
Opponens, fessúmque vltrò desistere cogit.
Nec vanum augurium, toto quod vertice metæ
Celsus apex oculis sese subducere nostris
Institit, atque ipsis succedere acutior astris,
Quantum vix acies contracta cernere fronte
Iam queat, auratas quamuis fastigia pinnas
Ostendant tremula radiantis luce coronæ.
Ergò quidem spacijs quando hic excludor iniquis,
(Quippe breui non est regis describere versu
Munus, inexhausta pensantis singula cura)
Abstineo. Haud desunt maioribus hæc quoque velis
Qui tractata olim commendauere sequutis
Temporibus. Meminíque alio me denique Regem
Ter magnum laudâsse libro, præstantibus heros
Auspicijs nostras nuper qui rexerat vrbes,
Pace bonus, bello insignis, seruantior æqui
Quo fuit, aut fido non alter pectore maior,
Quisquis in hæc oculos deflectat tempora, sero
Nescio quid, peiora die: quo proxima fatis
Omnia nunc tacita rubigine tacta senescunt.
Quanquam etiam paucis pauca hæc subiungere verbis
Quid prohibet? Memorem princeps fandi atque nefandi
Qui putat esse Deum, summo qui rector Olympo
Despicit, & pronus cuncta hæc mortalia cernit,
Non ita transmissis perget violâsse repaglis
Iura, & fas, arásque Deûm, patriæque penates,
Vt putet esse suos seruilia corpora ciues,
Atque sibi natos per claustra domestica vernas.
Vultis inoffensis animis comprendere verum,
Vos, quibus hæc manibus surgunt ingentia sceptra?
Plebs primùm reges statuit: ius hoc quoque nostrum est
Cunctorum, vt domino faueant popularia vota:
(Si quid id est, quod plebs respondet ritè rogata.)

Nam

Nam neque ab inuitis potuit vis vnica multis
Extorquere datos concordi munere fasces.
Quin populus reges in publica commoda quondam
Egregios, certa sub conditione parauit,
Non reges populum: namque hijs antiquior ille est.
Ergò sollicitis plena vt mens regia curis
Insomnes peragat noctes, stertente popello,
Et decet, & par est: postquàm custodia soli
Demandata, gregem pastore aut ter beat, aut ter
Mactat, inassueto, si quos custodijt, ore
Deuoret, & sæuo crudescat dente Lycaon.
Sed nec tanta potest crudelis gloria facti
Successisse rogis: nulla pallescere culpa
Præstiterit, flentésq; oculos non ficta per ora
Demisisse tuos: quum tu præstantibus actis
Iam functus, merito migrans deberis Olympo.
Effice te votis optet plebs anxia iugem,
Perpetuúmque sibi. Timeat moderantiùs: at te
Vel sine fine pium, faustum, mitémq; salutet,
Atque salutaris veneretur syderis instar:
Non agitet diris, sæuo seu crine Cometen.
Hinc tu raro alijs ea demandâsse memento,
Quæ fuerant cura potiùs peragenda iubentis.
Quô tibi lictores, fasces, sellámque curulem?
Si vacuum læua iam possidet arte tribunal
Seianus, capreis turpi bacchante magistro?
Villicus es: non omne tibi conuiuia tempus
Regali contexta terant, nec balnea luxu.
Nec canis, aut longa comprensa indagine sylua,
Tam placeat, crebris aut scandens ardea gyris,
Nec sonus auratæ testudinis, aut parasitus
Mimica in offensum iaciens dicteria vulgus,
Nec Lamiæ quondam iactata potentia tantum
Arroget, aut scena, aut dubijs sors anxia talis,

Vtregem laxis obliuiscare decori
Cancellis, præcépsq; ferare in scommata vulgi.
Parte alia exosa est nimia inclementia fisci
Insidians loculis: crudelis epistola quid non
Sanguine scripta potest proscriptis demere? quid non
Tetra pudicitiæ illudens petulantia læsis
Designat tantorum animis? inuisior hîc tu
Quid metuas posthâc, nôrunt etiam hÿ, quibus altum
Sæua odium impressit violentia: nempè libido
Non semel inguinibus discinctis maxima dempsit
Imperia: & quantum est insontûm haurire cruorem?
Cautiùs hîc agito: quamuis centesimus alta
Enumeres serie tritauos in stemmate reges.
Corruet hæc etiam tam longa potentia, ruptis
Legibus, immanis si pro ratione voluntas
Stat tibi. Non opus est exemplis: ipse trementem
Ipse horror sceleris mentem sibi conscius omnes
Admotus, crepitúsq; aures attollere coget.
I miser, hinc plumis languentia membra reclina:
Dic sileant: miles prætorius atria cingat:
Heus pueri, heus, quid vult? confestim accurritur: eccum
Surgentem: quidnam est? nequeo dormire, loquentûm
Nescio quis somnos visus turbare susurrus,
Atque pedum strepitus: nemo est: satin' omnia clausa?
Clausa magis Danaës quàm turris ahænea: rursus
Ægra thoro curis confectus corpora mandat,
Vixque oculos dulci inuitat libare sopori,
Idolum obtorto circundare brachia collo
Æthiopis sentit, saltem aut sentire videtur.
Exclamat quiddam argutum per somnia: Auerni
Quale solent tenues campis fœlicibus vmbræ:
Et tandem vi multa ora eluctantia soluit
In questus. Mala turba accurrite: nempè quis isti
Institit, (en condit se post aulæa) cubili?

Excutite:

Excutite: haud vllus, ne musca hic denique restat.
Stulte, quid hic cauisse foris iuuat? intus oberrat
Ille malus, geniique occurrit larua sinistri.
Hic alius laxo resupinus cardine rerum,
Imperióq; impar, & gurgite nequior illo,
Cui totos Tiberi loculos exhauriјt annus,
Opsonat solidas, alter Galienus, inulto
Hoste, priùs partas tanto sudore tyaras.
Ingemit omnis eques, lato & manus addito clauo,
Atque renascentis lustrum timet Heligabali.
Tantùm aliqui, abiectæ plebis fæx infima, laudant,
Ludio nimirùm Paris, Ambrosiúsque choraules,
Dignus & hÿs mensis conuiua Tricongius ille,
Atque Tigillinus, liberti etiam vmbra potentis,
Nescio quis vanum protollens Græculus astris,
Græculus haud vllis nunc non visendus in aulis.
Heu quàm decliui serus se vesper Olympo
Præcipitat: scin' quæ tandem vehat? ecce fidelis
Præ foribus cupit admitti vir pallidus, ore
Barbato: Sophus est? excluditor: alter amicus
Addit se comitem, cano capite ipse, paternus:
Quàm verò indignum? (pleno hic demurmurat ore
Assentatorum chorus) an tu semper ephebis
Esse minor patiere oblitus principis? & te
Liber in ista dabis retinacula? non licet omne
Quod libet imperium partito cum Ioue? demens
Concredit, plenóque hilaris superscitat auro.
Intereà magnis irarum fluctibus altum
Ruminat indignans populus sub corde dolorem.
Improuisa dies, & ineuitabilis hora
Alta iacit tectis secretæ incendia flammæ.
Quære tibi posthâc melliti verba colacis
Dulcia, procinctæ pigmenta & florida linguæ:
Nullus adulator morti se deuouet, vt te

Protegat: at versis fortunam paßibus ambit.
O pecus indignum, faciles quod principis aures
Occupet: ô magnis pestis iam tritior aulis,
Quàm facilè vt foribus sese bipatentibus vnquàm
Excludi sinat, aut citrias non cingere mensas
Polypus expansis pergat, de more, flagellis.
At verò ancipitis quæ tandem gratia facti est?
Tantáne palponem teneat fiducia linguæ
Flexibilis, calidum, atque rigens ore efflet vt vno?
Et tegat atra albis? & mutet candida nigro?
Scilicèt: egregium quiddam, dignúmque triumphis:
Psittacus aurata longùm nutritus in aula,
Χαῖρε suum ficto scitè si gutture promit,
Idque etiam ferula ventris dictante magistri.
Nonne putes melius, fas indulgere Catoni,
Liber, & erectus, mordaci radere vero
Qui sciat, & næuos nondum præscindere adultos?
Increpet hic, à te si quid delinquitur: hunc tu
Tam fidum reuerenter habe. Quem gratia flectit,
Aut odium, aut lucri spes improba, pelle seuero,
Pelle supercilio: semper iucunda loquenti
Vix tu crede Deo, quamuis oracula palpo
Illita purpureas sese demittere in aures
Festinent, adytis cælum spondentibus vltrò.
Scilicèt, hijs Ammône satos debemus, & illos
Pelle leonina, mediam clauáq; per vrbem
Lymphantes, Phœbósque nouos testudine sumpta.
Nempè Palatinis Superis qui denegat aras,
Sanus homo est? Babylon commentum prodidit, acri
Ilia corrodens, iterùm mortalia, lympha.
Tyndaris Herculeas compreßit Martia fauces.
Vncus Apollineum cælo deducere diuum,
Et potuit fœdis lacerum mandare latrinis.
Ergò homines? mihi crede, meri: sed comprime labrum,
Donec

Donec Olympiaco naulum ſoluiſſe Charonti,
Numina conſpicias dudum præſentia, & Orco
Iam gratere bono numerum creuiſſe relatis.
It funus, pallentem animam circunſidet atris
Conſcia Tiſiphone crines innexa colubris,
Omnia præteritæ ſubeúntque piacula vitæ,
Quot nouies non Styx timido capiti abluat vndis,
Nec benè centena luſtret Proſerpina tæda.
Tunc tandem diſpanſa patent magna atria culpæ.
Diſplicet: & totis mallet quæſiſſe tyaris
Veridicos: mallet ſanctas placuiſſe per artes,
Non animas letho illuſtres miſiſſe, proterui
Reſcripti ad numeros, & ſequipedalia verba:
Non fauiſſe malis, non inuidiſſe bonorum
Suſpectis (eheu) virtutibus, aut vice verſa
Præmia promeritis ita ſubduxiſſe, pudendæ
Illa voluptatis cumulatò vt ferre miniſtros
Miremur: cape tu faſces Proconſulis: & tu
Proprætoris habe: bibit hic: corruperat alter
Sacra Bonæ iam nota Deæ: quantum accipit ordo
Quadruplatorum? mallet ſuper omnia leges
Seruâſſet patrias, vindex acerrimus Argi
Centum luminibus, quibus & Iouis ales, & acri
Ceßiſſent acie ſerpens Epidaurius. Optet
Non aliò detorta, ſuis ſubſcribere iura
Feciſſet placitis ſcelus hoc hortantibus ipſis
Iuridicis: tantum Maſuri (ſi Dijs placet) auro
Pagina corrupti confert, ſi dicat, opinor.
Multáque prætereà cuperet melioribus olim
Auſpicijs patriæ collata, & ciuibus ipſis,
Non vni deſumpta ſibi: ceu machina rerum,
Principis ad nutus ſolùm ſeruire miniſtra
Debeat (ah facinus) præclaro munere abuſi,
Quo melius, dignè, & benè geſto, non habet orbis:

Indignè, nihil est toto infœlicius orbe.
Iamque opus exegi: iam pectore magnus Apollo
Excutitur: gratare tuo, gratare poëtæ
Terra parens, oculis vna ô mihi charior ipsis.
Neue mihi spectro posthâc tam fœda per vmbras
Humentes occurre, polo dum noctis opacæ
Vela tegunt vultus, tunc quum placidissima somnos
Fessa trahunt terris animalia cuncta silentes.
O, erit ille dies quum tu conuersa, venusto
Natiui decoris vigilem constantiùs ore
Compellas? verámque Deam, Numénque Britannis
Tutelare velis, non monstro tecta, fateri?
Quas ego tunc Veneres, stupefacto lumine, cernam?
Qualia nec Zeuxis pinxit, nec cultior alter,
Semiopus infecta cui sic liquisse tabella,
Laudi erat artificûm pòst relligione sequentûm.
Tunc ego purpureas maculosis ferre cicutis
Et spondebo rosas, & nigris lilia ferre
Helleboris: adeò iam tritum erit arbuta dulci
Melle, simul fontes lactis turgescere riuis.
Quippè pio populo, & gnauo, sensúsq; modesti,
Numina nec raucis studijs lassata vocantûm
Præstò aderunt, facilíq; manu maiora petitis
Contribuent, medióque aderunt præsentia cœtu,
Fortè sui posthâc & parcent limina Olympi
Tam iugi calcare pede. En erit hîc quoque syluis
Læta quòd alticomis, campísq; virentibus errent,
Quum vacat, & saturis placet alternata voluptas.
Salue magna parens, operosa Britannia dotum
Culta viris præstans gregibus, pinguissima glebæ
Vtilis ad segetes, & graminis vtilis herbæ,
Rore madens, atque imbre madens, & sole tepescens
Molliculo, & vernæ suauissima flatibus auræ:
Sic tibi perpetuis florescant tempora sertis,

Vt

Vt tuus hic vates medios nunc inter Iberos
Munere legati fungens, ignobilis oci
Supplendis opus hoc raptim qui condidit horis,
Vellet inauratis rediens suspendere templi
** Parietibus, plectrúmque, & pulsas pectine chordas,* * Proceleusmaticus.
Atque lyram informi compage exile sonantem,
Quale decet satyræ socco resonare pedestri
Germanam, & similem, si non est ipsa, poësim
Mordacem. Vena maiores diuite vates
Pangere purgatas quod pleniùs impleat aures,
Non equidem inuideo. Pugnax genus esse loquelæ
Huic argumento tam conuenit, vt sale multo
Si careat, putres altè calcaribus actis,
Vix poterit morbos aliquo expergiscere sensu.
Quanquam equidem, toto quod nunc delinquitur orbe,
Non vnis (ne quid placeat sibi cætera turba)
Obiecto Angligenis: intrà peccatur, & extrà.
Optimus ille, minùs reliquis qui tangitur: & te,
(Gens mea) mox aliis claras prætendere tædas
Ne pigeat, versis cunctósque reducere velis.

LIBRI DECIMI FINIS.

IN LAVDEM HENRICI OCTAVI, REGIS ANGLIÆ PRAESTANTISS. CARMEN Panegyricum.



LONDINI,
Excudebat Thomas Vautrollerius
Typographus.

1579.

Beneuolo Lectori S.



NVNC tibi licebit (candide Lector) hoc præſenti libello pro tua voluntate frui: quem luſtris ferè quatuor iam pręterlapſis doctiſſimus Chalonerus de ter maximi illius Henrici Octaui Anglorum Regis encomijs ſcriptum, Sereniſſimæ Elizabethæ eiuſdem filiæ, ac Auguſtiſſimæ Principi noſtræ pro ſtrena dedicauit. Hunc ego tam dignum libellum perpetuis tenebris obrui, indignum exiſtimaui: & propter perſonas tam illuſtres, & authorem, & ob ipſam denique materiam. Quamobrem cum reliquis eiuſdem authoris libris anteà nunquam prælo commiſſis hunc quoque priuatum priùs, hoc tempore publicum fieri, ac aliquantò emendatiorem nunc recudendum curauimus. Tu tali (quæſo) Phœnici, aureæ ipſius Naturæ fabricæ optima ſemper (vt par eſt) libenter precare, libello fruere, noſtríſque laboribus faue. Vale.

Τί θαῦμα, δηρὸν εἴπερ εἰρήνην πάτρα
Ἔσχηκεν ἄυτη; αὐτὸς Ἀστράιαν Θεὸς
Σύνταξεν ἄρχειν τῆς πάτρας Βρεττανικῆς.
Ἠλισσαβῆταν, παρθένον διοτρεφῆ·
Ὡς δηθὰ καὶ διδόιη Ἀγγλίας κρατεῖν
Κεῖνος, κ᾽ ἀνελθεῖν ὀψὲ ἐις τὺς ὐρανύς.

G. M.

SERE-



SERENISSIMAE, AVGVSTISSIMÆQVE HEROINÆ D. ELIZABETHÆ, DEI GRATIA ANgliæ, Franciæ, Hiberniæque Reginæ. &c. magni illius Henrici octaui Anglorum Regis filiæ, Dominæ suæ clementissimæ, colendissimæq;.



Ectora Priamiden laudari voce paterna
Iuuit: laudati laus stetit ore viri.
Si iuuat, & maior laudato laus stat in ore,
Quæ laus, laudato est à genitore seri?
Lætus erat Priami gnatus, laudante parente:
Lætior à tali se genitore satum.
Tu tanto (Regina) potes tibi laudis aceruo
Adijcere, Henrici nomina magna patris.
Quo maior nostris nunquam Rex præfuit oris:
Optima, iam tali es laude patris, melior.
Sic tibi laudati, longùm fæliciter anni
Proueniant, titulis exuperéntque nouis:
Vt nihil augusto fuerit te sanguine creta
Dignius, augustum quàm simulare patrem.
Tam similis vultu quum sis, speciosa virago,
Fac similis referas, maxima facta patris.
Ille quidem læto excepit munuscula vultu
Quæ parua, at grata lata fuere manu.
Tu (precor) accipias, anni redeuntis in omen
Hanc, licet exilem, quæ tibi strena datur.

Ad librum.

ANno principium conſtituit nouo
Ianus, bicipiti limite, terminus
Exacti orbiculi, & ianua temporis
Inſtantis, rediuiuo hîc vbi ſemine,
Fœcundi gremium Sol rediens ſoli
Implebit genitor: quò facie noua
Syluarum virides extuberent comæ.
Nam cœli rigor, & frigoris impetus
Paulatímque gelu, nix quoque candida,
Diſcedent, hyemis tela potentia,
Et cedent Zephyro, qui pater optimus
Veris, prata nouis veſtit odoribus
Ornans omnigenis herbida floſculis.
Tam grato volucres munere concitæ,
Vocali ferient omne nemus ſono,
Et valles, ferient ſaxa ſed & ſono,
Argutum querulæ dum repetunt melos.
En campis teneri luxuriant greges,
Non vltrà madidi iam memores Noti,
En ludit medijs ſquammigerum pecus
Vndis exiliens: vſque adeò iuuat
Laſciuire animos, quos recreat calor.
Ergò hoc & memores pignore concitos,
Spe plenos, docuit fidus amor viros,
Strenas complacitis munera amiculis,
Certo more Patrûm, mutua mittere,
Optantes, referet ſydere proſpero
Anni principium, lætus vt exitus.
Non damnant placitis Chriſticolæ nouis
Quod pulchri ſpecimen fluxit ab Ethnicis,
Quin dant: & memores hoc potiùs dabunt,
Quod Ianus melior, iam reſerat nouo

Exemplo

Exemplo, renouis Christicolis sacros
Postes, ætherei regna simul Poli.
Nam fastos benè si mente reuoluimus,
Infans Pontificis scinditur hoc die
Cultro, qui superis venit ab ædibus,
Captiuos Barathro perpetuò datos,
Exemptos proprio sanguine reddere.
Quare, nil dubitans, ipse ego iam paro
Quod dem: si placido Iuppiter accipit
Vultu, quod tenuis, pronus at obtulit.
Anne est, quod timeam? ne Iouis edita
Regina à cerebro, despiciat meum
Tantillum, ast alacri pectore proditum
Munus? non faciet. Quarè age, nudior
Ostendas, animi quàm mihi diuitis
Portas pauperies obstruat inuida:
Hoc do, quod superest: perge, liber tere
Augustas semel, atque hoc satis est, manus.



IN LAVDEM HENRICI OCTAVI REGIS ANGLIÆ PRÆSTANTISS. CARMEN Panegyricum.



Audabunt alij fœcundæ pignora Romæ,
Tot monumenta Ducum, vasto quos extulit orbi
Fama volans: Quis non Pompeij, & Cæsaris acta,
Scipiadúmque, animo admirans, ter lecta recondit?
Sunt alij, Graijs ducibus præconia palmæ
Qui tribuant: doctis hic iam depromit Athenis
Fortia facta virûm: mauult hic dicere alumnos
Sparta tuos: cuncti at meritis super æthera tollunt
Pellæum iuuenem, Phœbeæ lampadis instar,
Ipse suis maior vitijs, virtutibus altis,
Cætera Graiorum qui obduxit gesta virorum.
Omniáque hæc, Latio cultu, Graióque nitore,
Pulchra quidem per se, reddent pulcherrima ab arte.
Me pietas, atque ipsa etiam indignatio partìm
Propulit, vt patriæ primum decus, hactenùs vltrò
Quem indictum muto ore silent tot pectora docta
Angligenûm, hic tenui conarer dicere versu,
Multa priùs genium, cunctanti mente, precatus
Tanti hominis, ne tantillo indignetur ab ore
Laudari, primis si paulò instructior annis,
Dedocili insuetas repetam nunc carmine Musas.
Ergò age, quisquis eris, cui se liber offeret iste,

Henricum

Henricum octauum referens, qui sceptra Britanna
Imperio dudum longo florentia rexit,
Mente, manúq; valens: quoniam diuersa sequentes
Sunt aliqui, fortasse, minus qui candida promant,
Ignari causarum, alieno & pectora ductu
Imbuti, satagant Herôa lacessere dictis,
Extincto seu quis barbam vulsisse leoni,
Iam pauide attrectans, at paulò audacior instet:
Ne quæso accedas, animo peiora sequuto,
Quin potius næuos, multa virtute rependens
Dispicito, an iusta poteris texisse litura.

Primum equidem, si quisquã hæc vltima tempora sæcli
Iamque senescentis, iamque in peiora ruentis,
Discutiat: quem non communi labe petitum,
Inueniet peccare per agros, atque per vrbes?
Vsque adeò, vt meritò dici queat optimus ille,
Quem minimo inuoluit denigrans fama reatu.
Quo minus id mirum est, si fortunatior, & Rex,
Indulsit genio, admittens quandoque proterua,
At non immani veniam superantia facto:
Quum Reges peccare bonos malesuada voluptas,
Et faciat laxis secura licentia habenis
Nullius insolita ferulam subeunte magistri,
Iam Regum palma: quorum est sibi nota potestas,
Quid liceat, laudémque minus libuisse meretur,
Si summis tantùm digitis libamina carpant
Parca voluptatum, quas fertilis aula ministrat.
Quanto etiam pluris, si non abstemius est is,
Qui minus accipiat, quo maior copia rerum,
Quàm si quem prohibet metus, aut vis, duráue egestas.

Hic igitùr, longo Regum de sanguine cretus,
Penè puer, didicit sceptris succedere auitis
Iam iuuenis, iam Rex, iam se præstantior ipso,
Si spectes animi sublimis pignora, docto

Quem Musæ fouere sinu, Charitésque lepore
Dotârunt grata multa grauitate loquelæ.
Vsque adeò, vt populo facturus verba, vel vlli
Legato, aut cuiuis de re quacunque adeunti,
Sic potuit varijs cultißima promere linguis,
Non minus vt cunctos facundia tanta moueret,
Quàm gestus, vultúsq; etiam sat amabile spirans.
Nam velut ex ipso quis iudicet vngue leonem,
Sic etiam, positis insignibus, ille alieno
Dißimulans si fortè per vrbem exiret amictu,
Cognoscendi auidus mentem, moré sque popelli,
Non potuit cupiens, ignota fallere veste,
Quin specie, atque ipso gressu sublimior esse,
Quàm mentiretur, vulgo appareret, & alta
Ingrediens, ceruice tenus turbæ superesset
Attonitæ, humano ceu quiddam augustius ore
Cerneret obtutu fixo. Nam membra decora
Prætereo prudens, & quæ si singula carptìm
Persequar, immensum exigerent, iustúmq; volumen.
Hoc equidem affirmem, neque me sententia fallit:
Quum pulchra excellat forma gens Angla, decúsq;
Præferat ingenui, vix vnquam rustica, vultus,
Vicerat ille omnes tunc pulchros pulchrior vnus:
Tanta fuit sacra maiestas regia formæ.
Quam ne quis formam tantùm putet, illita ceu quis
Pulchri hominis, picta designet membra tabella,
Non hic corpus erat sine mente, sed acer, & aptus,
Præstitit, ingenuo quæ liber corpore præstat:
Æquales veræ præuertens munere palmæ.
Nam patrio certis metam de more sagittis
Figere, neruoso lunantem robore taxum,
Tam benè vix olim Herculei didicere lacerti:
Si lucta certaret, erat cui viribus impar
Inuideat Pollux, quercinæ frondis honorem.

At

At bellacis equi in gyros si fortia colla
Flecteret, artifici pertrectans voce, manúque,
Castora iam dicas: idem si lucidus arma
Indueret, galeam nutanti vertice crista
Cui decus, & multo thorax superadderet auro,
Hoc erat Iliacum superare vel Hectora: syluas
Venator multo si cum cane retia ceruis
Intendens peteret, non si Theseia proles
Hippolytus, Triuiæ perdoctus voce magistræ
Hoc ageret, maius posset decus inde referre.
Sed quid ego hæc memorem? quæ plebi singula cordi
Sic fuerant, sic ore viri pendentia contrà
Ora attollenti, & lachrymis sua gaudia fassæ,
Vt neque vel nisu quis commendatior alter
Concinno foret, aut quem vellet grata venustas,
Quidlibet egregium magis ostentare decore:
Vsque adeò arrisit specioso è corpore virtus
Gratior, & placitæ respondens actio formæ.
At si animum spectes, quo longè excelluit Heros,
Quantus erat? quanta & regnandi præditus arte,
Consilij semper constantis prætulit ausa?
Fortitèr incumbens, dum magnus magna capessit,
Nil humili versare manu dignatus, at alto
Contendens Reges, séque ipsum æquare labore?
Namque vno eximios illa ætas tempore Reges
Quum ternos ferret, quos formidanda potestas
Sic alijs longo præuexerat interuallo,
Vt quarta, aut sexta demum subsistere classe,
Cætera iam Regum properaret turba minorum,
Quúmque animos iusto maiores, conscia virtus
Hinc faceret Gallo, qui damnis sæpè repulsus
Fortior, indomitæ exemplo consurgeret Hydræ,
Hinc etiam Hispano generosa superbia pectus
Extimulans, & tot regnorum larga facultas,

Cæsareo cunctos instaret subdere sceptro.
Tertius hic medium noster se ingessit: vtrique
Alterno, quandoque hostis, quandoque & amicus,
Consilio, illorum & sese conatibus, vltrò
Opposuit, trutina aduersos dum pensitat æqua.
Sic etenim, imperij quoniam exitiosa libido
Hos agitans, firma nunquàm consistere pace
Passa diu est, quin sæpè nouas causata querelas,
* Cæsu. *Instructos paribus, * in prælia truderet armis,*
Vnde etiam tremeret quassata Europa tumultu
Horrisono, in partes sese iam tota refundens:
Quanto rectius hic, studio meliora secutus?
Quum prohibere minas amborum, innatáq; bella
Haud potuit, tantis miscentûm vulnera dextris,
At potuit prohibere, altrum ne vinceret alter.
Atque ita, si alteruter præstaret sorte fauente,
Iamque instans, iugulum victricia tela pararet
Figere in alterius, quò iunctis viribus auctus
Tunc vacuo solus possit dominarier orbi:
Haud tulit vlterius grassantem noster Achilles,
Supremo bellum confectum ornare trophæo:
Quin ipsis prædam extorquens de faucibus hosti,
Auxilium victo insperato tempore ferret.
Vi remoræ plenis velis sistente carinam,
Dum medio cursu prohiberet longiùs vti.
Sic etenim, Papiæ fertur sub mœnibus altis,
Anglica Cæsareas fouisse pecunia turmas:
Qua sine (scimus enim) tunc non te (Galle) tulisset
Iactabunda suis captiuum Hispania claustris.
Qua sine, Telephio non rursus more redemptus,
Ex vna ferres medicinam, & vulnera dextra.
Talitèr ille olim, summo qui vertice ab Idæ
Troianos Danais lento certamine contra
Constituens, nunc hos, nunc & Saturnius illos

Vincere

Vincere permiſit dubius, quæ ſi quis ab Anglo
Dicta putet, ſtudio res qui Anglas iactet inani,
Ille vel Henrici ſaltem incunabula Regis
Diſpiciat: primis & quæ pulcherrima ab annis
AEdidit, aduerſo Ludoici lilia Marte
Concutiens, Gallóſque vnus qui tempore eodem
Flectere fræna metu, & calcaria ſubdere anhelis
Fecit equis: vnde ille dies calcaria Gallis
Enſibus intactus potiora oſtendet in æuum:
Fædifragóſque abſens, inſtantes tergore Scotos,
Immaníque ipſum proſtrauit vulnere Regem:
Demens, qui fidei firmum connubia vinclum,
Sordidius pacto Galli poſtponeret auro.
At non inſurgens, atque inſperatior ille,
Abſentis fines populatus Scotus amici,
Sic potuit validis iuuenem diuertere cœptis:
Quò minus inſignes multa vi, fortitèr vrbes
Concutiens, binas tandem expugnaret, ademptas
Gallorum imperio: qui tanquàm numine ferri
Immiſſum inuicto cernentes, fata verenti
Iudicio, geniúmque viri exhorreſcere tandem
Incipiunt: placidas artes, pactis Hymeneis
Verſantes, ſi ſic firmo conſiſtere vinclo
Pax queat. At Gallis quiſnam hoc vertiſſe pudori
Dictitet, à magno pacem depoſcere Rege?
Cuius in adiunctis Cæſar ſtipendia caſtris
Sic meruit præſens, vt iam vexilla nigranti
Sparſa Aquila, fului ſequerentur ſigna Leonis?
Quod decus haud vnquàm temerè quis vendicet alter:
Auguſto comitante alieni prælia ductus.
Neſciat vt dubij, tandem ſententia vulgi,
Vtrum legato maior laus Cæſare parta eſt,
Cæſaris an titulis quod ſpretis, ceſſerat vltrò,
Auſtriacum mallens defuncti ornare nepotem.

Sic etenim, terris ſublato Cæſare, poſtquàm
Iam nouus auſpicijs Cæſar de more, creandus
Eſſet, & ambigerent, quem primum voce referrent,
Huic patuiſſe ferunt procerum ſeptemuira vota,
Quos penes arbitrium eſt, quem Cæſaris inſula adornet,
Inſula in humanis quæ præſtantiſsima rebus,
Inſolitam hoc primum renuente, es paſſa repulſam.
Quo ſpecimen cernas, iuncta pietate, modeſti
Principis, haud vnquàm temerè, longinqua petaci
Ambitione furens qui ſtringeret, aut mare cœlo
Commiſcens, altam vellet turbare quietem
Tot miſerè populorum, ob non ſibi debita regna,
Regna, alijs adeò per faſque nefáſque petita.
Quorſum etenim cuperet, maiora capeſcere ſceptra
Conſcius hic? quantis flueret ſibi terra beata
Diuitijs? generi humano quas copia largo
Promeret ex cornu? cui non ipſa Itala tellus
Anteferens, gremio rectè ſe præferat almo?
Siue ſolum ſpectes, vbi certat fertile amœno,
Siue ſitum, portus tutos maris inſula noſtri
Quot præſtet, longo ſe extendens maxima tractu?
Vix vnquàm miſeris aliquà non hoſpita nautis
Inſula, quæ vndiſono Oceani circundata vallo,
Tutior ipſa viris, raro vim reppulit, vltrò
Aſt inferre manum didicit: qua fretus, inerti
Bellaces animos, tandem tabeſcere pace,
Haud tulit: aut nimio, pacem deſueſcere bello,
Optimus hic cenſor, quid tempore præſtet vtroque.
Pacis amans potiùs, ſi pax ſine Marte cruento
Innocuos poſſit tutò exercere ligones.
At ſi bella forent (nam crebrò bella peregit)
Suſcipienda, animo hoc ſeſe commiſit arenæ
Ille, vel vlturus, ſi quæ ſibi damna priores
Vicini inferrent, vel ſi quis iuſtiùs æquo

Vicinum premeret, clypeo tecturus: iniquam
Cautior, haud vnquàm passus prorumpere sortem
In caput alterius: namque hoc libramine tutos
Europæ populos, statuit sua iura tueri
Posse diu, multa cum libertate minores,
Si non vnius, sceptra ambitiosa Monarchæ,
Insolita demum ferrent ceruice, iubentis
Quidlibet, exundantem vbi littora nulla coërcent.
Sic igitur causa communis, sydere dextro
Protector docuit, quantum prudentia possit:
Sæpe salutaris velut interiectio, rebus
Humanis statuens, quæ tandem meta, modúsque:
Quod quia magnanimo, toties patefecerat auso,
Discite mortales, quàm veris gloria fulcris
Huic stetit: hic etenim dictus diuersa per ora,
Arbiter & belli, & pacis, cognomine pulchro,
Tale decus meruit, titulo speciosius omni,
Quale decus, nulli veterum tribuêre triumphi.
Hoc erat, æquato Reges incedere gressu,
Quodque suis docuit se quemque includere septis.
At si de genere hoc, pergam numerosa duella
Distinctìm longa serie prætexere, certè
Nunc liber exiguus nimium procresceret: ergò
Historiæ potiùs scriptoribus illa relinquam.
Nam neque vel toties deuictos ordine Scotos,
Aut ipsam gentis quæ flammis cesserat, vrbem
Metropolim, vel tot castella euersa per agros,
Hic canere est animus: nec te fæcunda beatis
Quæ spatiosa aruis, numerosa classe, querelam
Gallia, non vnam propter, tam sæpè petita es,
Gallia, vicinis non vno crimine læsis,
Crimine sed nullo, prorsus quæ inuisior extas,
Quam quo degeneri, iam Rex tuus vnus & alter
Consilio, immani iunxit socia agmina Turcæ:

Quem cuncti & meritò, vitant cane peius & angue:
Téque vel imprimis procul hinc arcere decebat
Saltem pro tituli pugnantem laude prioris,
Quod quoniam inter vos sic conuenit, esto: supernus
Viderit ista Deus, quorsum hæc audacia crescet?
Sed præstat reuocare gradum, & quo tendimus, ire:
Iamdudùm properamus enim, Mauorte relicto,
Flectere equos, diuæ Pacis per amœna vireta.
Ergo vale, Mars quære alium, qui carmine digno
Fortiùs hæc resonet, queque & tibi munera curæ,
Arma, enses, clypeos, arcus, tormenta, phalangas,
Et classes, quarum Oceanus sub mole, fatetur
Se toties pressum, vix ausum surgere contra,
Vastatásque vrbes, & te obsidione petitam,
Tandem semirutis, deuicta Bononia, muris:
Sis licet, ac vel sola, operis pulcherrima iusti
Materies, liceat sicco pede, maxima quæque hæc
Prætereuntem, in pacis opaca silentia ferri.
Pacis enim quis non bona sæuis præferat armis?
Ergò ades, ô Henrice iterum tèr maxime, laudes
Ipse tuas, stellis admixtus, despice ab alto,
Afflatu & superæ, refocilla lætior auræ.
Sed tanquàm varijs, distinctum floribus hortum
Ingrediens, nouitate ipsa stupet anxius, huic, an
Huic flori admoueat digitos, ea copia pulchro
Gyriuagos oculos, aspectu distrahit, omnes
In partes, neque habet quem tandem præferat altri:
Sic mihi iam dubio, facies pulcherrima rerum,
Ingeritur, neque turba sinit discernere, primum
Quid dicam: sed prima gradu prudentia primum
Ipsa locum meruisse potest: certissima Diuûm
Progenies, cælo demissa, vt regibus astet,
Et Regum ad virtutis opus, conamina flectat:
Prospiciens, parteis oculos versánsque per omneis

Iugiter

Iugitèr incumbénsque in publica commoda, noctes
Inuigilans curis, dum plebs securior altum
Stertendo satagit tandem edormiscere villum.
Haud alitèr, medio quàm cum sua carbasa ponto
Vncta ratis, celeri pulsu infert nocte serena:
Cuncta silent, nautas nox intempesta quieti,
Ordine neglecto, paßim per transtra supinans,
Indulgere iubet, somnúmque ciere reflando.
Solus at insomni temoni adsistere dextra
Nauclerus didicit, patulo sua lumina cœlo
Intendens, ventósque cauens, si fortè procella
Ingruat, & placidi faciem maris obruat vndis:
Surgite nunc socij, exclamat, nunc tempus inerti
Ampliùs haud somno suadent triuisse pericla:
Et saeuus laeuam, ventis crepitantibus, Auster
Paulatìm inuadens, video, quid turbine acuto,
Oceano exurgens, nubes haec fusca minetur.
Ferte manus celeres, versis incumbite velis:
Ipse ego, si dictis alacres parebitis vltrò,
Praeueniam, & tuto nauim hanc in littore sistam,
Hic, vbi vicino portus se prouehit ore.
Haec fatus, diuersa viros in munia transfert:
Illi acuunt se voce, manúque haud segniùs instant.
Talitèr Henrico prudens solertia pectus
Instruxit, longè ante diem cauisse pericla,
Et vitâsse simul: nam vix nocuisse parato
Siue hominum insidiae, seu fata minantia possunt:
Tam valido insistit clypeo sapientia tecta.
Primum igitùr Regis munus constare regendo,
Dum reputat, frustráque minas proferre tonantes,
Quem populi nimium corrupta licentia temnat:
Rursus, ab insidijs nullo conamine tutum,
Hunc licet aßiduus claudat de more satelles,
Quem gens tota odio communi deuouet Orco:

Ille quidem studuit, Proceres, populúmque Britannum
Conciliare sibi, & medio connectere vinclo:
Vt neque vel nimio iam despondisse rigore,
Aut animos nimio iam possent tollere fastu.
Qualis equus, cui incautus eques malè laxat habenas,
Saltibus indomitis se in deuia proripienti,
Aut ferus assiduis pertundit terga flagellis,
Degenerísque asini clitellas ferre coërcet.
Quod noster summa, extremum vitabat ab arte,
Hinc, atque inde malum: nam vectigalia iustum
Qui misero imponit populo excedentia pondus,
Quíue onerosa nimis iubet, aut nimis imperiosè
Contendit, sine lege ruens, pro lege teneri,
Hic equidem seruæ mandans seruilia plebi,
Nunquàm alacri vtetur pòst in certamina, parcè
Pectore tunc ictus aduersos suscipienti,
Si fortasse larésque, focósque, & pignora chara,
Obijciant non se sibi, sed seruare tyranno.
Qui tunc mentis inops, alieno milite frustrà,
Ignotis patriámque volet defendere dextris,
Ipse suis diffisus, & obseruans velut hostes.
Contrà, vbi iam lentè nimiùm resupina potestas
Fluctuat, & quiduis populo concedit, inani
Consilio plausus captans, quos tempore paruo
Congestos, pòst excipiet plebs bruta cachinno,
Spernere docta virum, sic indulgere paratum,
Ille etiam serò vellet cohibere vagantes,
Maiestate carens: nam dudum bellua plebs hæc
Dedidicit timuisse Deum, timuisse iubentis
Imperium, qui sic precibus iubet ense reposto.
Quare etiam Henrico stetit hæc sententia, facto
Nolle suos, indigna suis committere turpi,
Siue indigna pati, quæque & gens libera nollet,
Imperium auersata iubentis, murmure longo.

Sic lentè durus, venerabilis extitit: vltrò
Quæ iußit, facili populo concredere sueto,
Esse quidem pro re communi, ea mentibus hæsit
Credulitas, nihil hunc frustrà molirier, esse,
Esse aliquid, licèt hoc celauerat ille repostum,
Cur subitò agricolas bellis obuerteret? aut cur
Iam reuocans, rursus vellet committere aratro
Perdociles? sacris obfixos postibus enses
Ponere, & antiquo terram proscindere sulco?
Rem facilè augentes secura per otia, festis
Ludicra, festiua cum libertate, diebus
Tractantes, multóque obeuntes stulta cachinno,
Stultior hæc quoniam plebs vult sibi, seria molli
Aspernata animo: quæ cernens singula pastor
Hic populi, tacito gaudebat pectore, signa
Sic ea lætitiæ hos dare publica: quæ simul ille
Et tulit, & præsens promouit, tristibus ausis,
Seria vix vnquàm faustè tractante popello.
Nam veluti frondes veris quæ tempore planta
Arborea emittit, patulis & posteà ramis
Florificans, spondet numerosum denique fructum:
At si degeneri squallescat percita musco,
Liuentem cui rara comam gemma emicat inter,
Fronti nullus honos, spectante cacumine terram,
Extemplò agricolæ spes omnis trunca relabi
Incipit, haud vanis ex signis coniicienti,
Ægrotare sibi stirpem hanc radicibus imis:
Sic populus festo redimitus tempora flore,
Si ludit, cantúsque ciet, si ter pede terram
Ingeminans pulsat, choreas per compita ducens,
Mille modis vario commiscens omnia plausu,
Si bibit, atque inter calices sua facta recenset
Fortia, si bardis operam dans, auribus adstat,
Dum magno ingentes nugas molimine, cantant

Ad citharam, ille arcu contendit, at ille palæstra,
Proijcit hic magno connixus robore saxum,
Hic agili præceps iactat sua corpora saltu,
Victor ouat, laudémque, & præmia larga reportat,
Quæ sero gaudet senior seruâsse nepoti:
Hæc mihi si claro peragat plebs omnia sole,
Nil dubitans veris se efferre coloribus, vt quæ
Natiuam ingenuè testetur simplicitatem,
Quis non hæc animi tranquilli, candida dicat
Argumenta fore? & puro de pectore labi?
Qualia nequicquàm simulandi nescia fingat,
Si mutare statum iusta indignatio vellet.
Qualitèr econtrà, si quis mihi pinxerit, alto
Torpentem mœrore animi, & consortia plebem
Quæ fugiat, nisi quæ secretas ferre per vmbras
Tendit, vbi hos cœtus nox intempesta coëgit,
Nil sanum querula tristis iam voce susurrat,
Dira sed in Regem iaciens, lectúmque Senatum,
Paulatìm induitur sic coniurata, rebelli
Pectore: iámque parat sceleri se accincta, nefandos
Si quis in arma viros, dux profligatior, vltrò
Educat, speciosa foris prætendere doctus,
Intùs at immani versans crudelia cœpto.
Heu Superi: quis nam hos docuit malesana scientes
Consilia exercere? quis vltrà quàm decet, altùm
Hos voluit sapere? & censuram denique rerum
Sumere? num scire, aut nimium scire, officit istis?
Quis regat hos vnus? quorum vel quilibet instet
Consilio iniussus se inferre, exquirere & idem
Omnia non dubitet, rationibus vsque minutis?
Et damnet, minimum quod non sibi quadret ad vnguem?
Talia sed mota peragit plebs effera turba,
Cum furit, & longo iamdudùm pondere pressa,
Tandem (animos faciat seu desperatio) surgit

In

In rabiem conuersa, feris truculentior ipsis.
Ni caueat, memori voluens prognostica mente,
Qui regere hos Princeps, exemplo primus honesti
Debuit, haud æqua arguiturus voce popellum,
Qui magno exemplo, docuit peccare minores,
Aut nimis indulgens, peccare per otia plebem
Sustinuit, (namque otia sunt fomenta malorum)
Aut malefacta in prima imprudens negligit herba
Corripere, arboreo quæ temnunt corpore falcem,
Pòst vbi per plures morbi contagio creuit,
Aut miseros tandem, veluti ludibria, & vmbras
Negligit, aut aliis ridens exponit inultos,
Quod genus vt fastus verum est insigne Tyranni:
Sic nullo grauiùs commotos pungit ab æstro,
Quàm si despiciat, quorum vltor debuit esse.
Namque hominem sociale animal natura creâsse
Cum voluit, certo iungentem fœdere cœtus,
Vtile communi quò tandem quilibet vsu
Perciperet, magno sese dum corpore miscet,
Membra quidem statuit pronè spectantia terram,
Imperio capitis subdens, vbi sacra superni
Lucet imago Dei, quo distribuente, cuique
Iam membro accedit rata pars, & cuique suum ius.
Præcipuè imbelles protectos vindice dextra,
Dum metuit temerare virûm manus improba, corpus
Non vno ciuile modo quæ destruat, audax
In scelus, atque manu stringens aliena rapaci,
Ni caput occurrens, horum compescere diros
Insultus satagat: qualem se feruida pullis
Cristati præbet coniux enixa mariti,
Perfidus in gyrum penna se præpete miluus
Si flectens, ventri inconcessam quærit et escam.
Quid faciant pulli? ni iamdudùm anxia mater
Instantem pauidæ soboli perterritet hostem,

Lurconem dum voce minax, & submouet alis?
Talitèr (vt paruis componere maxima fas sit)
Dia Deûm proles, nobis Astræa, salubri
Iustitia humanos trutinans sic temperat actus,
Vt neque perfidiæ sedem violentia tetra
Inueniat, quam Diua procul ceruicibus arcet,
Iamdudùm suetam miserorum sanguine pasci,
Nec vana surdas plebs aures voce fatiget,
Cui nihil armorum est præter lamenta, precésque,
Læsa suis dum se gaudet refouere sub alis,
Iam placido innocuam producens tramite vitam.
Hæc illa est igitùr virtutum maxima, iusto
Quæ tanquàm regina alijs virtutibus anteit,
Immotos oculos obuincens fascibus, ense
Erecto cui dextra riget, cui læua bilancem
Sustinet: hæc olim propriè seu symbola recti,
Maiores (Astræa) tuis superaddere signis
Gaudebant: animis ea dum versatur imago,
Sæpè salutaris venerati numinis vsum:
Qua sine, non pietas, non aut clementia inani
Nomine, labenti patriæ succurrere pergant,
Dum malè condonant mansueto pectore culpas,
Ferro opus est, vbi nunc contendit ferrea proles,
Inscriptas tabulis sacris perrumpere leges.
Quas nisi iustitiæ cingant adamantina claustra,
Durior hæc ætas hominum violauerit vltrò.
Quod prudens longo Henricus cognouit ab vsu,
Quo se proripiat populus mala bestia, legum
Ni multo custode tenor seruetur ad vnguem.
Iunior hic etenim dum forsan mite benigni
Principis ingenium precibus miseratio flectit,
Non vni indulsit, non vno crimine turpi.
At cum ignoscendo tandem perceperat, vnus
Quanta nocens toti dimissus damna maniplo

Inferat,

Inferat, audaci ingeminans ſua crimina facto:
Noluit vlteriùs iam clemens dicier vni
Parcere, ſed multis, duxit manſuetius eſſe,
Parcere quàm ſoli, qui nollet parcere multis.
Ergò metum duxit vinclum præſtantius eſſe,
Quo populus temerè mores mutatus in horas
Stare loco poſſit, crudæ formidine pœnæ,
Quàm ſi indulgentem vitijs, vitioſior horæ
Momento tantùm plebs diligat, huic amor eſt nam
Recti odium, & nullo bacchantèr currere fræno.
Quòd ſi aliquis damnet rigidi ſic Principis arctum
Imperium, populo ſcriptas qui ſanguine leges
Proponat: quodam tenùs hoc fortaſſe fatendum eſt.
Tempora, ſi & mores, ſi non & plurimus vſus,
Arguerent, humana magis meminiſſe pericli
Pectora, quàm ſi quid lætum, aut gratum accidat illis,
Ingrata obliti benefacta recondere mente,
At memori dociles animo proponere acerba,
Quæ paſſa, aut patienda reuoluunt nocte diéque.
At ſi Regis opus, gladio ſtat vindice, noxa
Stirpitùs à puro vt ſic tollatur grege: quiſnam
Iam pius, aut clemens magis eſt, qui monſtrat apertè
Quid caueant, claris edicens ſingula ſcriptis,
An qui ſecuros, legum leuitate fefellit?
Longa quibus vitij obduxit tolerantia callum?
Póſtque nouo exemplo, iuſſo, pro legibus vſus,
Armatos populo immitit? (ſuprema poteſtas
Si benè ſupremum imperium ſic exerit) vna
Iam plures perimens, longè crudelior, hora?
Quàm qui vnum perimens, plures ſeruauerat vno?
Sed metus hic pœnæ, in paucos quæ exercita, paucis
Exemplis ſtetit, haud facile eſt dixiſſe, potentûm
Quàm benè conatus compreſſerit, ilicèt iſtis
Olim vicino coniunctus pauper agello,

Tam male vicini sensit mandata potentis,
Vt ni cuncta cliens, obnoxius vsque patrono,
Perficeret, nutu quæ iusserat ille superbo,
Actum erat istius de re, de bobus, & agro.
Quare nouas sedes, aiebat diues, inultus
Haud patiar, quin tu quis ego sim, & tu quoque qui sis,
Ipse malo edoctus tandem fateare tuomet.
Quid faciat pauper? tremulo cui torpet in ore
Lingua affixa metu? numnam mastigia pergis
Mutire? haud equidem fas sit (patrone) benignus
Tolle tuas instar (quæso) mihi fulminis iras:
Tolle tuum quodcunque meum est, vel me quoque tolle,
Dummodò pace tua communi perfruar aura.
Hæc olim Henricus damnans malesueta potentûm
Imperia, iniusto miseros torquentia fastu,
Vlteriùs vetuit Cumani obtendere aselli
Mentitam populo hos, magno sub nomine laruam.
Non solùm in medio, regni seu corde, tribunal
Supremum cingens numeroso iudice, lites
Antiquo de more statis qui mensibus omni
Discuterent populo, pauper ne obscurus, an aurum,
An genus, & proauos iactet, discrimine nullo,
Quinetiam binas diuersis addidit oris
Iustitiæ sedes, vbi præside nixa potestas
Lecta virûm, pulchro incepto præsentius illis
Ius possit dictare, loci distantia fortè
Quos potuit retinere domi, ni teste propinquo
Legis opem possent sentire parabilis: vnde
Idem erat extremis qui ignotior abforet oris,
Tam facilè vsurus legum munimine, quàm qui
Verba palatino propior Regi explicat ore.
Hoc erat, hoc igitur, quo demùm robore fulta
Plebs potuit tutò tandem coluisse potentes,
Quod satis esset, & vlterius nihil addere supplex,

Mitius imperium reputans, dum seruiat vni,
Ille licèt pro iure suis regalitèr instet,
Quàm multis dare multa, per & non debita iura.
Iure etenim custode fruens, intenta labori,
Mille modis victum plebs ingeniosa parabit,
Rem satagens arcti parcendo augere peculi.
Qualis stramineo quæ se formica sub antro
Exercet, nunc hùc, nunc sedula fertur & illùc,
Torrida flauentes dum campos occupat æstas,
Abrosam condens miranda per horrea messem:
Quo genio indulgens, torpentis tempore brumæ,
Promat opes, parcos benè quas seruarat in vsus,
Nil metuens, ni vim metuat contemptior vrsi,
Qui ferus imbelles perrumpens vngue cauernas,
Sæpè solet plebis nigrantis corpore vesci,
Nequicquàm quæ parca dapes custodiat, ipsa
Cum custodis egens, laniata per ilia, dentem
Suscipit, at quanto satius custodia firma,
Iam toto miseræ frugum redimatur aceruo?
Talitèr & populus non vna industrius arte,
Pauxillo paucum adijciens, ditescere pergit,
Bestiolæ exemplo tantillæ edoctior, annis
Quid valeat seris aliquid tribuisse repôstum.
Quod vos non vobis (Ciues) seruâsse repôstum
Quis ferat? ast alijs seruauerit ille repôstum,
Quisquis opes cumulare parat, custode remoto,
Fortior imbelli quas aufert nomine prædæ.
Ergò pios iustis qui vos sub legibus alta
Pace fouent, prono venerati pectore Reges,
Discite, quando opus est, in publica munera, quisque
Quæ rata pars, illis vestri tribuisse peculi.
Si datis, exiguo totum quis non benè seruat?
Non datis, exiguo totam quis non male perdit?
Quæ vestro ingratè Regi soluisse tributa

Respuitis, per vim vobis pòst auferet hostis
Ingeminans, diro nectens vos compede, charis
Coniugibus, vestrísque illudens sæpè puellis,
Quas ante ora patrum, non vno crimine turpes
Efficiet iuuenum manus improba, vos quoque mæstos,
Non lachryma vultus liceat stillante rigantes,
Hæc prece iam tarda, tam tetra repellere damna,
Quin oculis etiam coram obuersetur imago.
Nam voces tunc & dominorum, & verbera, victa
Iam ceruice pati, & laribus decedere auitis,
Sic malè congestum linquentes hostibus aurum,
Instructásque dapes, pretiosæ & vellera lanæ,
Non illos pridem quæ tondebantur in vsus,
Et quæcunque nouo exemplo committere victor
Audeat, haud animo victi renuente recusent.
Quidquid erit, vincenda proteruia sæua ferendo est.
Proh Superi: horrendum hoc omen diuertite nostris
A laribus: Domino & Regi seruire Britanno
Ingenuo ingenui pergamus, tempora Phœbus
Annua dum repetit vasti certamine cursus,
Dum calet æther, & aërio flant corpore venti,
Dum refluis lunæque vices mare sentit in vndis,
Et medio tellus dum fert sua pondera centro.
Quarè age, tu qui Anglo gaudes vir nomine, gaude,
Si tibi pauxillo libertas ære redempta,
Tam benè fortunas demùm seruauerit omnes.
Fortè putes stultus si quid tibi deperit, vltrà
Quàm cupias propria custodiuisse sub arca,
Non benè communi quod sic committitur arcæ.
At si qui ditat, de te iam diuite tollens,
Sic tibi perpetuo fœlicia tempora cursu
Proroget, ipse tui cingens te milite nummi:
Non video cur non liceat, sempérque licebit,
Tollere quod satis est, Princeps pius haud petet vltrà,

Haudque

Haudque alio quàm quo deceat vel iure, modóue.
Sic licèt Henricum, vicina potentia Regum
Iam nimio excrescens, superaddere plura coëgit,
Maiorum pridem quàm vectigalia stultis
Fortè rapina fuit, prudentibus at mera virtus.
Tempore scire suo, non magna augere tributa,
Cui res vsque foret cum talibus, omnia dudum
In decuplum geminasse suis, quos non piguit, ne
Fortè aliquid desit totum sitientibus orbem.
At licèt inuidiæ rumpantur & ilia morsu
Nonnullis, quibus hoc augere æraria, totum
Displicet, haud aliam prò re, pro tempore, formam
Qui statuant, licèt hinc, atque vrgeat inde necesse,
Quàm qua maiorum processit curta supellex,
Scire velim: nostris vnquàm quæ tempora rebus
Ingruerint, metuenda magis, pro mole pericli,
Aut metuenda minus, tali sub Rege repulsa?
Scire velim: si tam durum sit tollere, quando
Ditior extiterit nobis Respublica: res &
Quæ priuata, priori longè opulentior æuo,
Tollere de magno, audactèr suadebat aceruo?
Hoc quoque scire velim: tollentem paucula damnans,
Liuide, cur potiùs non ipsa ad sydera tollis?
Millia qui largo tibi fœnore plura rependit,
Plumbea quæ inuenit pridem, pòst aurea reddens?
Aude ingrate negare, & primam si potes, effer
Pauperiem: cui nunc malesuada opulentia turget,
Luxu Asiæ, cui mensa Apici, cui tecta Luculli,
Concedant ebore, & signis, pictisque tapetis,
Cuique peregrino cultu non barbara coniux,
Assidet, ipsa comas nodo gemmante reuincta.
Quid dico vrbanos? vel si se rusticus offert,
Quàm nitidus? quantum & victu mutatus ab illo
Iam fuerit? zythum sæclo ructâsse priori

Cui magnum fuit: at nihil est nunc vina diebus
Et vel non festis, madido tribuisse palato?
Luditur, & vestitur, & estur, quod Sybaritæ
Inuideant: tu stulte putas, hæc omnia macris,
A tenui & vacua depromi posse pharetra?
Non ego, nec tanti fraudârim præmia facti,
Solus in immensas quod se demittere curas
Sustinuit, toto procurans pro grege pastor,
Dum toties totum tibi sustinet, alter vt Atlas.
Si nescis? num rere aliud tunc temporis actum,
Quum tua dispositis castellis littora in orbem
Cinxerat, & portus non vna mole reuinxit?
Ne qua manus nostris succedens aduena terris,
Hostilem incautis posset diuertere prædam?
Quid? mare tam pulchra, & valida tibi classe subactum
Quod dedit? exempli cæptor, quo si sapit, vltrò
Vtetur Regum stirps postera, doctior vsu,
Quàm prosit patriam muris cinxisse abiegnis,
Hijs, quibus in media, res & spes, sistitur vnda?
Arte noua puppis dum plurima, turribus altis
Altior, edomitum imperiosa per ambulat æquor?
At nihil est, nobis sic vltima littora reddi
Tuta foris: si non medio lectissima regno
Corpora fida virûm, muro præsentius omni
Auxilium patriæ conducens ære perenni,
Martis opus pacem voluit vigilare per altam.
Quid? quòd nobilium sobolem submisit equorum?
Longinqua quæ stirpe vterum per pascua læta
Hinnifremæ complens, generoso semine, matri,
Thessala nunc Anglis, Nomadúmque armenta reponit?
Quid? quòd & AEtnæum spirans de faucibus ignem
AEnea terribili reboat nunc machina bombo,
Passim omni digesta loco? Nam cætera belli
Instrumenta, domi, atque foris, quæ prouidus vsque
Congessit,

Congeſſit, ſileámne? opera vel vanus eadem,
Enumerem, Thameſi ripas quota cingit arundo?
Ardua quot nobis paſcantur per iuga damæ?
Quotque canum nemus omne latranti voce remugit,
Angla tuis (Diana) ſacris, operata iuuentus
Cum vacat, alipedes ſectans per deuia ceruos?
Hæc ille aſſidua meditatus mente, ſuorum
Certa ſalus, certo quo ſtans pede falleret hoſtem,
Non vllis potuit iam parcere ſumptibus, & quò
Salua foret nobis res, nullis vſque pepercit.
Ergóne magnificum fœcundi pectoris auſum,
Tot benè velle viris, populo patriam, patriæque
Seruantem populum, vox praua, & ruſtica perget,
Optima detorquens in peſſima, lædere dictis?
Quid potuit maius cuiquam conferre, ſalute?
Quid voluit potius? tota quod mente cupiuit,
Tota opera toties tibi præſtitit: ilicet, hoc eſt,
Vir medicus, puero nonnunquàm abſynthia miſcens,
Inuitum antidoto cautus quod ſanat amara,
Multa prius meditans: pueri lachrymæque, precéſque,
Auerſæ horreſcunt ingrati pocula ſucci:
Ille etiam, puero motus, nollet dare: tandem
Vincit amor veri, inuito conferre ſalutem.
At mirum ne quis putet, vnum hunc omnibus, omni
Non ex parte, ſatis plenè potuiſſe placere:
Quum pater ipſe Deûm, ſummi regnator Olympi,
Iuppiter, ætherea terras moderatus ab arce,
Incertæ nequeat plebis tot diſſona vota,
Et ſimul, & grato cuiuis coniungere nexu.
Si pluit: hic Boreæ canas, gelidáſque pruinas.
Si riget: hic tepidos, præfert Aquilonibus imbres.
Si ſudum eſt: vernas alter vocat AEolus auras.
Nymboſi exurgant odioſo turbine venti:
Iactatus clamat ſuperos Palinurus in vndis.

Sanguine tot Procerum Christo incunabula regni
Fundâras, quo nunc te impuro proripis ausu?
Quid struis? aut qua spe, partum decus improba, nisu
Degeneri, pergis Herebi confundere monstris?
Flecte gradum, verbis colliment facta necesse est,
Nunc, vbi cum stultis, non est tibi res idiotis
Amplius, at plusquàm doctos, quos littera telo
Instruit, inque tuum tenebris cinctum caput armat.
Non potes ignaros, ex gnaris reddere: formis
Ars fœcunda nouis, exemplo quum queat vno,
Millia tot cudens, passim proferre librorum.
Scilicèt, hoc demum, ceruix tua vulnere nutat,
Quod scit, & vnde sciat, populo est reparabile paruo.
Vnum hoc demito, & antiquam sic restitues rem:
Non potes? ergò etiam vitæ te redde priori,
Quò superas agilis conscendas pauper ad arces.
Sic etenim, toto passim circumfluus orbe,
Sancta Cliens iterùm suspexerit atria Petri
Atria nunc deserta, malis aut trita cucullis.
Nam dabit hoc meritis, meritò quod detrahit istis
Moribus: haud æquum est nos hæc dare, teque ita luxu
Parta nepotino disperdere: sedibus Ales
Si superis lapsus, iubeat concredere, nos hæc
Vt fiunt, oculis, non auribus excipiemus.
Cur igitur nobis tam noxia lumina reddis?
Quidue palam? at laudes præstat memorare merentis,
Non vitia istorum percurrere, quæ Deus olim
Corriget, aut tollet: non insequor ista libentèr
Quæ lippis nunc & tonsoribus ore teruntur.
Nec mihi mens, homines viuentes more vetusto,
(Sunt quoniam & Romæ) impuris coniungere puros.
Nec tua, quæ tibi digna supersunt (Roma) reuello:
Viderit hæc alius, quantum tibi deferat orbis.
Optârim potiùs, niueo candore micantem

Pastorem

Pastorem niueo pecori ter lactea claustra,
Clauibus ingenuis tecti reserare superni.
Optârim potiùs, castas casto ore sacerdos
Effundátque preces, diuini & semina verbi,
Omnibus amplectendus, vt omni maior honore,
Laudetur, placeat, præsit, metuatur, ametur.
Optârim, pecus ignauum, mugitibus amplis
Quod reboat, clausóque ciet lugubre sub antro,
Crassa cucullatæ mutet dispendia vitæ
In melius: nam si vestis nunc ominis instar,
Turgentésque genæ, ventérque abdominis alti
Thesaurus specie offendunt: si denique non est
Solus, qui solo Monachum se nomine iactat:
Nec pauper (mirum) qui dum nil possidet, omni
Possideat villa, præstat quod lectius: optem,
Linquat vt hæc mundi mundo. Vulpecula nam si
Macra cauum repetat strictum, quem macra subiuit,
Fortè iterùm celsi conscendet culmen Olympi
Par leuibus ventis, volucrum & velocior ala.
Nunc iacet, immundo gaudens vt amica luto sus.
Auersata oculo Phœbi renuente nitorem:
Qualis furua suo quæ gaudet noctua fusco
Iam senior, grauibúsque volans cunctantiùs alis,
Præda auibus metuit prædatis ne fiet ipsa.
Vsque adeò est tenuis nam venter, ab arte magister
Quærendi, quæ post perdat ventrosior æquo.
Ergò, tuo dempsit si tam bona fercula ventri,
Henricus, si tam lauta instrumenta popinæ:
Tu quibus immeritam carnem afflictare solebas
Crudelis si tam regalia claustra per vrbes
Iam medias (sic sola placent namque oppida soli)
Ne reputes, quicunque monastica dogmata sector
Collaudas, potuisse tibi hæc sine numine tolli?
Numen erat, nimium tibi quod præcidit: & hæc est

Ad citharam, ille arcu contendit, at ille palæstra,
Proijcit hic magno connixus robore saxum,
Hic agili præceps iactat sua corpora saltu,
Victor ouat, laudémque, & præmia larga reportat,
Quæ sero gaudet senior seruâsse nepoti:
Hæc mihi si claro peragat plebs omnia sole,
Nil dubitans veris se efferre coloribus, vt quæ
Natiuam ingenuè testetur simplicitatem,
Quis non hæc animi tranquilli, candida dicat
Argumenta fore? & puro de pectore labi?
Qualia nequicquàm simulandi nescia fingat,
Si mutare statum iusta indignatio vellet.
Qualitèr econtrà, si quis mihi pinxerit, alto
Torpentem mœrore animi, & consortia plebem
Quæ fugiat, nisi quæ secretas ferre per vmbras
Tendit, vbi hos cœtus nox intempesta coëgit,
Nil sanum querula tristis iam voce susurrat,
Dira sed in Regem iaciens, lectúmque Senatum,
Paulatìm induitur sic coniurata, rebelli
Pectore: iámque parat sceleri se accincta, nefandos
Si quis in arma viros, dux profligatior, vltrò
Educat, speciosa foris prætendere doctus,
Intùs at immani versans crudelia cœpto.
Heu Superi: quis nam hos docuit malesana scientes
Consilia exercere? quis vltrà quàm decet, altùm
Hos voluit sapere? & censuram denique rerum
Sumere? num scire, aut nimium scire, officit istis?
Quis regat hos vnus? quorum vel quilibet instet
Consilio iniussus se inferre, exquirere & idem
Omnia non dubitet, rationibus vsque minutis?
Et damnet, minimum quod non sibi quadret ad vnguem?
Talia sed mota peragit plebs effera turba,
Cum furit, & longo iamdudùm pondere pressa,
Tandem (animos faciat seu desperatio) surgit

In rabiem conuersa, feris truculentior ipsis.
Ni caueat, memori voluens prognostica mente,
Qui regere hos Princeps, exemplo primus honesti
Debuit, haud æqua arguiturus voce popellum,
Qui magno exemplo, docuit peccare minores,
Aut nimis indulgens, peccare per otia plebem
Sustinuit, (namque otia sunt fomenta malorum)
Aut malefacta in prima imprudens negligit herba
Corripere, arboreo quæ temnunt corpore falcem,
Pòst vbi per plures morbi contagio creuit,
Aut miseros tandem, veluti ludibria, & vmbras
Negligit, aut aliȷs ridens exponit inultos,
Quod genus vt fastus verum est insigne Tyranni:
Sic nullo grauiùs commotos pungit ab æstro,
Quàm si despiciat, quorum vltor debuit esse.

Namque hominem sociale animal natura creâsse
Cum voluit, certo iungentem fœdere cœtus,
Vtile communi quò tandem quilibet vsu
Perciperet, magno sese dum corpore miscet,
Membra quidem statuit pronè spectantia terram,
Imperio capitis subdens, vbi sacra superni
Lucet imago Dei, quo distribuente, cuique
Iam membro accedit rata pars, & cuique suum ius.
Præcipuè imbelles protectos vindice dextra,
Dum metuit temerare virûm manus improba, corpus
Non vno ciuile modo quæ destruat, audax
In scelus, atque manu stringens aliena rapaci,
Ni caput occurrens, horum compescere diros
Insultus satagat: qualem se feruida pullis
Cristati præbet coniux enixa mariti,
Perfidus in gyrum penna se præpete miluus
Si flectens, ventri inconcessam quæritet escam.
Quid faciant pulli? ni iamdudùm anxia mater
Instantem pauidæ soboli perterritet hostem,

Lurconem dum voce minax, & submouet alis?
Talitèr (vt paruis componere maxima fas sit)
Dia Deûm proles, nobis Astræa, salubri
Iustitia humanos trutinans sic temperat actus,
Vt neque perfidiæ sedem violentia tetra
Inueniat, quam Diua procul ceruicibus arcet,
Iamdudùm suetam miserorum sanguine pasci,
Nec vana surdas plebs aures voce fatiget,
Cui nihil armorum est præter lamenta, precésque,
Læsa suis dum se gaudet refouere sub alis,
Iam placido innocuam producens tramite vitam.
Hæc illa est igitùr virtutum maxima, iusto
Quæ tanquàm regina alijs virtutibus anteit,
Immotos oculos obuincens fascibus, ense
Erecto cui dextra riget, cui læua bilancem
Sustinet: hæc olim propriè seu symbola recti,
Maiores (Astræa) tuis superaddere signis
Gaudebant: animis ea dum versatur imago,
Sæpè salutaris venerati numinis vsum:
Qua sine, non pietas, non aut clementia inani
Nomine, labenti patriæ succurrere pergant,
Dum malè condonant mansueto pectore culpas,
Ferro opus est, vbi nunc contendit ferrea proles,
Inscriptas tabulis sacris perrumpere leges.
Quas nisi iustitiæ cingant adamantina claustra,
Durior hæc ætas hominum violauerit vltrò.
Quod prudens longo Henricus cognouit ab vsu,
Quo se proripiat populus mala bestia, legum
Ni multo custode tenor seruetur ad vnguem.
Iunior hic etenim dum forsan mite benigni
Principis ingenium precibus miseratio flectit,
Non vni indulsit, non vno crimine turpi.
At cum ignoscendo tandem perceperat, vnus
Quanta nocens toti dimissus damna maniplo

Inferat,

Inferat, audaci ingeminans sua crimina facto:
Noluit vlteriùs iam clemens dicier vni
Parcere, sed multis, duxit mansuetius esse,
Parcere quàm soli, qui nollet parcere multis.
Ergò metum duxit vinclum præstantius esse,
Quo populus temerè mores mutatus in horas
Stare loco posit, crudæ formidine pœnæ,
Quàm si indulgentem vitijs, vitiosior horæ
Momento tantùm plebs diligat, huic amor est nam
Recti odium, & nullo bacchantèr currere fræno.
Quòd si aliquis damnet rigidi sic Principis arctum
Imperium, populo scriptas qui sanguine leges
Proponat: quodam tenùs hoc fortasse fatendum est.
Tempora, si & mores, si non & plurimus vsus,
Arguerent, humana magis meminisse pericli
Pectora, quàm si quid lætum, aut gratum accidat illis,
Ingrata obliti benefacta recondere mente,
At memori dociles animo proponere acerba,
Quæ passa, aut patienda reuoluunt nocte diéque.
At si Regis opus, gladio stat vindice, noxa
Stirpitùs à puro vt sic tollatur grege: quisnam
Iam pius, aut clemens magis est, qui monstrat apertè
Quid caueant, claris edicens singula scriptis,
An qui securos, legum leuitate fefellit?
Longa quibus vitij obduxit tolerantia callum?
Pósque nouo exemplo, iusso, pro legibus vsus,
Armatos populo immitit? (suprema potestas
Si benè supremum imperium sic exerit) vna
Iam plures perimens, longè crudelior, hora?
Quàm qui vnum perimens, plures seruauerat vno?
Sed metus hic pœnæ, in paucos quæ exercita, paucis
Exemplis stetit, haud facile est dixisse, potentûm
Quàm benè conatus compresserit, ilicèt istis
Olim vicino coniunctus pauper agello,

Tam male vicini sensit mandata potentis,
Vt ni cuncta cliens, obnoxius vsque patrono,
Perficeret, nutu quæ iusserat ille superbo,
Actum erat istius de re, de bobus, & agro.
Quare nouas sedes, aiebat diues, inultus
Haud patiar, quin tu quis ego sim, & tu quoque qui sis,
Ipse malo edoctus tandem fateare tuomet.
Quid faciat pauper? tremulo cui torpet in ore
Lingua affixa metu? numnam mastigia pergis
Mutire? haud equidem fas sit (patrone) benignus
Tolle tuas instar (quæso) mihi fulminis iras:
Tolle tuum quodcunque meum est, vel me quoque tolle,
Dummodò pace tua communi perfruar aura.
Hæc olim Henricus damnans malesueta potentûm
Imperia, iniusto miseros torquentia fastu,
Vlteriùs vetuit Cumani obtendere aselli
Mentitam populo hos, magno sub nomine laruam.
Non solùm in medio, regni seu corde, tribunal
Supremum cingens numeroso iudice, lites
Antiquo de more statis qui mensibus omni
Discuterent populo, pauper ne obscurus, an aurum,
An genus, & proauos iactet, discrimine nullo,
Quinetiam binas diuersis addidit oris
Iustitiæ sedes, vbi præside nixa potestas
Lecta virûm, pulchro incepto præsentius illis
Ius possit dictare, loci distantia fortè
Quos potuit retinere domi, ni teste propinquo
Legis opem possent sentire parabilis: vnde
Idem erat extremis qui ignotior abforet oris,
Tam facile vsurus legum munimine, quàm qui
Verba palatino propior Regi explicat ore.
Hoc erat, hoc igitur, quo demùm robore fulta
Plebs potuit tutò tandem coluisse potentes,
Quod satis esset, & vlterius nihil addere supplex,
Mitius

Mitius imperium reputans, dum seruiat vni,
Ille licèt pro iure suis regalitèr instet,
Quàm multis dare multa, per & non debita iura.
Iure etenim custode fruens, intenta labori,
Mille modis victum plebs ingeniosa parabit,
Rem satagens arcti parcendo augere peculi.
Qualis stramineo quæ se formica sub antro
Exercet, nunc hûc, nunc sedula fertur & illûc,
Torrida flauentes dum campos occupat æstas,
Abrosam condens miranda per horrea messem:
Quo genio indulgens, torpentis tempore brumæ,
Promat opes; parcos benè quas seruarat in vsus,
Nil metuens, ni vím metuat contemptior vrsi,
Qui ferus imbelles perrumpens vngue cauernas,
Sæpè solet plebis nigrantis corpore vesci,
Nequicquàm quæ parca dapes custodiat, ipsa
Cum custodis egens, laniata per ilia, dentem
Suscipit, at quanto satius custodia firma,
Iam toto miseræ frugum redimatur aceruo?
Talitèr & populus non vna industrius arte,
Pauxillo paucum adijciens, ditescere pergit,
Bestiolæ exemplo tantillæ edoctior, annis
Quid valeat seris aliquid tribuisse repôstum.
Quod vos non vobis (Ciues) seruâsse repôstum
Quis ferat? ast alijs seruauerit ille repôstum,
Quisquis opes cumulare parat, custode remoto,
Fortior imbelli quas aufert nomine prædæ.
Ergò pios iustis qui vos sub legibus alta
Pace fouent, prono venerati pectore Reges,
Discite, quando opus est, in publica munera, quisque
Quæ rata pars, illis vestri tribuisse peculi.
Si datis, exiguo totum quis non benè seruat?
Non datis, exiguo totam quis non male perdit?
Quæ vestro ingratè Regi soluisse tributa

Respuitis, per vim vobis pòst auferet hostis
Ingeminans, diro nectens vos compede, charis
Coniugibus, vestrísque illudens sæpè puellis,
Quas ante ora patrum, non vno crimine turpes
Efficiet iuuenum manus improba, vos quoque mæstos,
Non lachryma vultus liceat stillante rigantes,
Hæc prece iam tarda, tam tetra repellere damna,
Quin oculis etiam coram obuersetur imago.
Nam voces tunc & dominorum, & verbera, victa
Iam ceruice pati, & laribus decedere auitis,
Sic malè congestum linquentes hostibus aurum,
Instructásque dapes, pretiosæ & vellera lanæ,
Non illos pridem quæ tondebantur in vsus,
Et quæcunque nouo exemplo committere victor
Audeat, haud animo victi renuente recusent.
Quidquid erit, vincenda proteruia sæua ferendo est.
Proh Superi: horrendum hoc omen diuertite nostris
A laribus: Domino & Regi seruire Britanno
Ingenuo ingenui pergamus, tempora Phœbus
Annua dum repetit vasti certamine cursus,
Dum calet æther, & aërio flant corpore venti,
Dum refluis lunæque vices mare sentit in vndis,
Et medio tellus dum fert sua pondera centro.
Quarè age, tu qui Anglo gaudes vir nomine, gaude,
Si tibi pauxillo libertas ære redempta,
Tam benè fortunas demùm seruauerit omnes.
Fortè putes stultus si quid tibi deperit, vltrà
Quàm cupias propria custodiuisse sub arca,
Non benè communi quod sic committitur arcæ.
At si qui ditat, de te iam diuite tollens,
Sic tibi perpetuo fœlicia tempora cursu
Proroget, ipse tui cingens te milite nummi:
Non video cur non liceat, sempérque licebit,
Tollere quod satis est, Princeps pius haud petet vltrà,

Haudque

Haudque alio quàm quo deceat vel iure, modóue.
Sic licèt Henricum, vicina potentia Regum
Iam nimio excrescens, superaddere plura coëgit,
Maiorum pridem quàm vectigalia stultis
Fortè rapina fuit, prudentibus at mera virtus.
Tempore scire suo, non magna augere tributa,
Cui res vsque foret cum talibus, omnia dudum
In decuplum geminasse suis, quos non piguit, ne
Fortè aliquid desit totum sitientibus orbem.
At licèt inuidiæ rumpantur & ilia morsu
Nonnullis, quibus hoc augere æraria, totum
Displicet, haud aliam prò re, pro tempore, formam
Qui statuant, licèt hinc, atque vrgeat inde necesse,
Quàm quæ maiorum processit curta supellex,
Scire velim: nostris vnquàm quæ tempora rebus
Ingruerint, metuenda magis, pro mole pericli,
Aut metuenda minus, tali sub Rege repulsa?
Scire velim: si tam durum sit tollere, quando
Ditior extiterit nobis Respublica: res &
Quæ priuata, priori longè opulentior æuo,
Tollere de magno, audactèr suadebat aceruo?
Hoc quoque scire velim: tollentem paucula damnans,
Liuide, cur potiùs non ipsa ad sydera tollis?
Millia qui largo tibi fœnore plura rependit,
Plumbea quæ inuenit pridem, pòst aurea reddens?
Aude ingrate negare, & primam si potes, effer
Pauperiem: cui nunc malesuada opulentia turget,
Luxu Asiæ, cui mensa Apici, cui tecta Luculli,
Concedant ebore, & signis, pictísque tapetis,
Cuique peregrino cultu non barbara coniux,
Assidet, ipsa comas nodo gemmante reuincta.
Quid dico vrbanos? vel si se rusticus offert,
Quàm nitidus? quantum & victu mutatus ab illo
Iam fuerit? zythum sæclo ructâsse priori

Cui magnum fuit: at nihil eſt nunc vina diebus
Et vel non feſtis, madido tribuiſſe palato?
Luditur, & veſtitur, & eſtur, quod Sybaritæ
Inuideant: tu ſtulte putas, hæc omnia macris,
A tenui & vacua depromi poſſe pharetra?
Non ego, nec tanti fraudârim præmia facti,
Solus in immenſas quod ſe demittere curas
Suſtinuit, toto procurans pro grege paſtor,
Dum toties totum tibi ſuſtinet, alter vt Atlas.
Si neſcis? num rere aliud tunc temporis actum,
Quum tua diſpoſitis caſtellis littora in orbem
Cinxerat, & portus non vna mole reuinxit?
Ne qua manus noſtris ſuccedens aduena terris,
Hoſtilem incautis poſſet diuertere prædam?
Quid? mare tam pulchra, & valida tibi claſſe ſubactum
Quod dedit? exempli cæptor, quo ſi ſapit, vltrò
Vtetur Regum ſtirps poſtera, doctior vſu,
Quàm proſit patriam muris cinxiſſe abiegnis,
Hijs, quibus in media, res & ſpes, ſiſtitur vnda?
Arte noua puppis dum plurima, turribus altis
Altior, edomitum imperioſa per ambulat æquor?
At nihil eſt, nobis ſic vltima littora reddi
Tuta foris: ſi non medio lectiſsima regno
Corpora fida virûm, muro præſentius omni
Auxilium patriæ conducens ære perenni,
Martis opus pacem voluit vigilare per altam.
Quid? quòd nobilium ſobolem ſubmiſit equorum?
Longinqua quæ ſtirpe vterum per paſcua læta
Hinnifremæ complens, generoſo ſemine, matri,
Theſſala nunc Anglis, Nomadúmque armenta reponit?
Quid? quòd & AEtnæum ſpirans de faucibus ignem
AEnea terribili reboat nunc machina bombo,
Paſsim omni digeſta loco? Nam cætera belli
Inſtrumenta, domi, atque foris, quæ prouidus vſque
Congeſſit,

Congeſſit, ſileámne? opera vel vanus eadem,
Enumerem, Thameſi ripas quota cingit arundo?
Ardua quot nobis paſcantur per iuga damæ?
Quotque canum nemus omne latranti voce remugit,
Angla tuis (Diana) ſacris, operata iuuentus
Cum vacat, alipedes ſectans per deuia ceruos?
Hæc ille aßidua meditatus mente, ſuorum
Certa ſalus, certo quo ſtans pede falleret hoſtem,
Non vllis potuit iam parcere ſumptibus, & quò
Salua foret nobis res, nullis vſque pepercit.
Ergóne magnificum fœcundi pectoris auſum,
Tot benè velle viris, populo patriam, patriæque
Seruantem populum, vox praua, & ruſtica perget,
Optima detorquens in peßima, lædere dictis?
Quid potuit maius cuiquam conferre, ſalute?
Quid voluit potius? tota quod mente cupiuit,
Tota opera toties tibi præſtitit: ilicet, hoc eſt,
Vir medicus, puero nonnunquàm abſynthia miſcens,
Inuitum antidoto cautus quod ſanat amara,
Multa prius meditans: pueri lachrymæque, precéſque,
Auerſæ horreſcunt ingrati pocula ſucci:
Ille etiam, puero motus, nollet dare: tandem
Vincit amor veri, inuito conferre ſalutem.
At mirum ne quis putet, vnum hunc omnibus, omni
Non ex parte, ſatis plenè potuiſſe placere:
Quum pater ipſe Deûm, ſummi regnator Olympi,
Iuppiter, ætherea terras moderatus ab arce,
Incertæ nequeat plebis tot diſſona vota,
Et ſimul, & grato cuiuis coniungere nexu.
Si pluit: hic Boreæ canas, gelidáſque pruinas.
Si riget: hic tepidos, præfert Aquilonibus imbres.
Si ſudum eſt: vernas alter vocat AEolus auras.
Nymboſi exurgant odioſo turbine venti:
Iactatus clamat ſuperos Palinurus in vndis.

Denique quid multis opus est? ni Iuppiter ipse
Prospiciat, cunctis quid congruat aptius, vlla
Contentos homines reddet iam sorte? beatis
Non si Cælicolis Chyrona adiungere vellet.
Tam vario plebs ad præsentia nauseat ore,
Dum cupit vlteriùs, quod nactum denique spernat.
Quare, ego vos, capitis quibus est reuerentia cani,
Compellem potius, maturi pectora sensus
Promere, quid faciat? multis qui multa reponens,
Vnus, non vnam personam sustinet? hic, si
Auribus vnius tantum se accommodet, omni
Sibila displiceat, passim iactante theatro.
Est quod scire vnum satis est: malè quod sciat omnis:
Est pulchri, est quædam perfecti idæa, repòsta
Quam specie Princeps animo proponat, inertis
Illa licet vulgi, rudiores fallat ocellos.
Sic etenim, culpant quæ forsitan vnus, & alter,
Aut plures, non illa vno damnauerit ore
Iam populus, nec quæ aspectu primo horrida squallent,
Reijcienda putet: multo laudatur ab vsu,
Difficili pulchrum quod nititur: at benè cœptis,
Annuat ipse Deus, fœlix vt & exitus adsit.
Sic certè Henrico (tantum valet alta medullis
Insita credulitas, longos concreta per annos)
Non vna obijciunt multi se voce, priorum
Quod placita immutans, Diuûm spectantia cultum
Longè alius, quam qui tantum tibi detulit olim,
Ipse loco te (relligio Romana) mouere
Sustinuit: migrare iubens à finibus Anglis
Teque, suosque simul tot nomina Diua cucullos,
Quando etiam tantum, non hinc secura dolorem
Sperabas, nostris nam quo seiunctior oris,
Hoc ignota magis, venerandas sanctula claueis
Obtendens, multáque animos formidine complens,

Ignaris poteras lucrosam exponere mercem:
Si benè sic mœcho prostat Superûm domus auro.
Nescio: nec sacrorum argutus censor, apertis
Vocibus, hic pergam abstrusas depromere causas:
Quæ noua Relligio, hunc, antiquam Relligionem
Flectere, ad exemplar primæuæ relligionis
Impulerit? multo pectus iam numine versans?
Nam Deus hæc tam vasta, procul dubio, exerit ipse,
Commutans, adimens, flectens, quandoque reponens,
Imperia, & ritus, mores, formásque regendi,
Quæ steterant, rursus facie mutata recenti,
Qui iubet in Chaos antiquum, repedare per vmbras.
Hoc scio, si meritis, dignè contingere iniquis,
Pœna potest: potuit, labis nunc Roma magistra,
Promeruisse, suæ quantum nil credere laruæ,
Tot gentes properant: solis namque Anglica tellus
Non damnat votis, prius, & pòst, quæ potior pars,
Christicolûm damnat: Romæ ne nescius erres
O Præsul: vos & comites, quos purpura vestit,
O vtinam, antiqui seruantes limina Petri
Dignius, illi etenim vestri rubor occupat ora.
Vultis vt antiqui stet vobis gratia facti?
Pascite oues, rictu neque dilaniate lupino.
Vultis vt ipsa pedum vobis vestigia signent
Basia? sit vobis pura, & sine crimine vita.
Vultis vt excrescant vobis tot castra, tot vrbes?
Hæc habeant pauper, neu scortorum agmina tollant.
Sed nihil est: nec iam rauco clamore theatri,
Ipse pudor vobis, desueti pectora honesti,
Amplius igniculis, plusquàm torpentia, sursum
Erigit: vsque adeò Romæ nunc ferrea constat
Segnities, nolle vlterius resipiscere, inanes
Iactanti voces, & non sua tela mouenti.
Heu Superûm domus: antiquo quæ purior æuo,

Sanguine tot Procerum Christo incunabula regni
Fundâras, quo nunc te impuro proripis auso?
Quid struis? aut qua spe, partum decus improba, nisu
Degeneri, pergis Herebi confundere monstris?
Flecte gradum, verbis colliment facta necesse est,
Nunc, vbi cum stultis, non est tibi res idiotis
Amplius, at plusquàm doctos, quos littera telo
Instruit, inque tuum tenebris cinctum caput armat.
Non potes ignaros, ex gnaris reddere: formis
Ars fœcunda nouis, exemplo quum queat vno,
Millia tot cudens, paßim proferre librorum.
Scilicèt, hoc demum, ceruix tua vulnere nutat,
Quod scit, & vnde sciat, populo est reparabile paruo.
Vnum hoc demito, & antiquam sic restitues rem:
Non potes? ergò etiam vitæ te redde priori,
Quò superas agilis conscendas pauper ad arces.
Sic etenim, toto paßim circumfluus orbe,
Sancta Cliens iterùm suspexerit atria Petri
Atria nunc deserta, malis aut trita cucullis.
Nam dabit hoc meritis, meritò quod detrahit istis
Moribus: haud æquum est nos hæc dare, teque ita luxu
Parta nepotino disperdere: sedibus Ales
Si superis lapsus, iubeat concredere, nos hæc
Vt fiunt, oculis, non auribus excipiemus.
Cur igitur nobis tam noxia lumina reddis?
Quidue palam? at laudes præstat memorare merentis,
Non vitia istorum percurrere, quæ Deus olim
Corriget, aut tollet: non insequor ista libentèr
Quæ lippis nunc & tonsoribus ore teruntur.
Nec mihi mens, homines viuentes more vetusto,
(Sunt quoniam & Romæ) impuris coniungere puros.
Nec tua, quæ tibi digna supersunt (Roma) reuello:
Viderit hæc alius, quantum tibi deferat orbis.
Optârim potiùs, niueo candore micantem

Pastorem

Pastorem niueo pecori ter lactea claustra,
Clauibus ingenuis tecti reserare superni.
Optârim potiùs, castas casto ore sacerdos
Effundátque preces, diuini & semina verbi,
Omnibus amplectendus, vt omni maior honore,
Laudetur, placeat, præsit, metuatur, ametur.
Optârim, pecus ignauum, mugitibus amplis
Quod reboat, clausóque ciet lugubre sub antro,
Crassa cucullatæ mutet dispendia vitæ
In melius: nam si vestis nunc ominis instar,
Turgentésque genæ, ventérque abdominis alti
Thesaurus specie offendunt: si denique non est
Solus, qui solo Monachum se nomine iactat:
Nec pauper (mirum) qui dum nil possidet, omni
Possideat villa, præstat quod lectius: optem,
Linquat vt hæc mundi mundo. Vulpecula nam si
Macra cauum repetat strictum, quem macra subiuit,
Fortè iterùm celsi conscendet culmen Olympi
Par leuibus ventis, volucrum & velocior ala.
Nunc iacet, immundo gaudens vt amica luto sus.
Auersata oculo Phœbi renuente nitorem:
Qualis furua suo quæ gaudet noctua fusco
Iam senior, grauibúsque volans cunctantiùs alis,
Præda auibus metuit prædatis ne fiet ipsa.
Vsque adeò est tenuis nam venter, ab arte magister
Quærendi, quæ post perdat ventrosior æquo.
Ergò, tuo dempsit si tam bona fercula ventri,
Henricus, si tam lauta instrumenta popinæ:
Tu quibus immeritam carnem afflictare solebas
Crudelis si tam regalia claustra per vrbes
Iam medias (sic sola placent namque oppida soli)
Ne reputes, quicunque monastica dogmata sector
Collaudas, potuisse tibi hæc sine numine tolli?
Numen erat, nimium tibi quod præcidit: & hæc est

Iam quotus hic nostris pauper versatur in oris?
Quis nescit, magnos magna vi nunc nebulones
Sic petere, vt ni des, dubites ne tollere pergant?
Quis nescit, prostrare malis nunc artibus Iros,
Impura qui voce, stipem per compita clamant
Luce tenus, multa quam pòst sub nocte bibones,
Ridentes nimiùm facilis pia pectora vulgi,
Scorta inter magno strepitu, rixísque profundant:
Quótue hominum nequam viuunt, nequissima proles.
Hanc iubeas mancam, vel si pede claudicat vno,
Saltem aliquid sanis præstare per otia membris,
Nolit: cur? dulce est benè pascier, est agere & nil.
Hæcne placet Superis pietas insulsa? petenti
Da facilis, mendicus erit: verùm abnue, fiet
Aut cerdo, aut quiduis: ventri namque omnia dictat
Ingeniosa fames, vacuo labor improbus instat.
At mihi si ter tot (dicat nunc Anglia mater)
Adsint, vberibus homines quot nutrio magnis,
Dummodò gens prono contendat gnaua labore
Me colere, ex ipsis penetralibus abdita versans,
Vna ego, ter tot & exuperans, alimenta rependam.
Men' pudor est igitùr torpere per otia vobis?
Tam benè, quæ Solymæ vincam præconia terræ?
Nam sterili infœlix essem si percita iunco,
Aut minùs agricolis ferrem lapidosa per arua,
Torrida vel venis peterem sitientibus imbres,
Ipsa fame cogente sibi pro lege iuuentus
Sufficeret: namque artis opus sine lege, parata
Substituit melius, quibus est natura nouerca,
Quàm fortunatis, quos pinguior educat vlnis:
Ni labor hos instans stimulis exerceat, & lex
Strictior, ignauo indicens ieiunia ventri.
Mentiar, hus olim si non conamine stulto
Cœnobia ignauis præbebant prandia, quot vel

Tertia pars nostri agricolis vix protulit arui.
Tertia pars Monachis nam cesserat: hi male pasto
Ventre, alios etiam fruges consumere natos
Pascebant, & iam, nil præter pascere, pulchrum
His fuit, & nullos iam tandem pascere in vsus:
Quos ego sæpè meæ telluris inutile pondus
Et sensi, & quot quot vel nunc benesuada laboris
Munera defugiunt, indignos censeo victu.
Ergò age, tu (mi Henrice) decus, tu gloria nostri
Prima soli, cape sceptra manu, deforme Britanno
Pelle solo pecus omniuorum, pecorísque magistros.
Sic ego nobilium nutrix non lenta virorum,
Ingenuas pergam rursus florere per artes,
Marte potens, flauæ studiísque operata Mineruæ.
Dixerat, & magnum his dictis commouit alumnum.
Ergò vna iam voce iubens migrare cucullos,
Sustulit ignauis sua sic præsepia fucis:
Structáque (Somne) tuis loca furua silentibus vmbris:
Et tibi (Nox) caliganti, Noctísque sorori
Desidiæ, & quæ cum non sit, tamen esse videtur.
Nescio sed Monachis num sit, tamen esse videtur
Callida quæ ficto mentitur hypocrisis ore.
Si dubites num sit: collum saltèm aspice tortum
In læuam: tam fida manus (si Dijs placet) olim
Succedens nudis pietatis sedibus, astu
Pura peregrino corrupit dogmata cultu,
(Antoni) haud similis tibi, nec tibi (Paule) nec illis,
Deserta patribus qui cellas ponere eremo
Gaudebant, vix radices ieiuna per ora
Sumentes, nisi quas paruo manus extulit horto
Ipsa serens, proprio post vota peracta labore.
Potus erat, gelido latices de fonte fluentes,
Mensa humus, & fessis præbebant antra cubile.
Nunc igitur Monachis qui non hæc pinguia demi
Prandia

Prandia fers, veteres at ſaltem reſpice: puris
Vocibus hi poterant iram mulcere Tonantis.
Carminibus poterant (tanta eſt fiducia) Iōnæ
Iam facili fulmen vibrata euertere dextra.
Quid faciant iſti, venter quibus eſt Deus, & Dux?
Corrigat hos aliquis? ſi non peſſundet iniquam
Progeniem? dum quis putre, & immedicabile vulnus
Palliat? an potiùs ferro, aut per cauſtica prorſus
Amputat, extirpans vitij monumenta nefandi?
Quæ tu (quiſquis eris) placatus, deſine cœlo
Inſerere, & tandem æterna diſpunge litura.
Nam rem relligio peperit pòſt filia, matrem
Ditior, immemori confoſſam dente ſubegit.
Quod pius indignum facinus quum cerneret Heros,
Diſpulit inſtantem maternis viſceribus rem.
Sic orba euaſit mater, ſic filia demùm
Mundano placuit ſubdens ſe nupta marito:
Et iam fœcundo peperit quoque filia partu,
Nixa vno geminos meliora in fata gemellos:
Tela manu criſpat, patriæ qui militat, alter,
Alter Palladijs hanc doctior artibus ornat.
Infœlix (ô Res) materno crimine fœlix
Prole tua, patriæ ſic pergas gignere noſtræ:
Sic properent alij nobis longo ordine Reges,
Belligeros, doctóſque viros, per præmia larga
Allicere: Henrico primi ſtet gloria cœpti,
Tam benè ſublatam patriæ qui reſtituit rem:
Hic ego ſi centum linguis centena per ora
Dulce melos poſſem centena voce referre,
Qualia vel Phœbi ſuperent & carmina plectrum:
Non linguæ, non ora mihi, non carmina, centum
Vocibus, & toties Phœbeo prodita plectro
Sufficerent (ô Rex) condigna laude referre,
Quantus eras largo virtutum pectore fautor,

Dona ab inexhausto manantia fonte rependens
Cuilibet, egregiè quicquam per facta merenti.
Vsque adeò (hoc dicam) nemo indonatus abiuit,
Quisquis erat, quem tu censebas munere dignum.
Et sapuisti, (ô Rex) nam qualis crimina princeps
Infracto punit castigans verbere pœna:
Talis & ingenuos debet per præmia larga
Erigere ad virtutis opus: torpere videbis
Ingenia, omnigeno pridem florentia cultu,
Si nec honos, nec res, meritis succedit honestis.
Quid faciat miles generoso vulnere clarus,
Aduersum cui pectus obit non vna cicatrix,
Si iacet, indigno senior neglectus in agro,
Bella gerens monstris, cum paupertate, faméque?
Quid faciat cultæ præstans facundia linguæ?
Quid varijs peregrina petita scientia ab oris?
Quæ vidit, quæque & didicit, selecta reponens
Iam patriæ? ingrato contrà si præmia pugno
Comprimat, has Princeps vltrò qui debuit artes
Ipse domi nutrire, forísue accersere magno?
Qualis enim catulum lecta de stirpe magister,
Spem nemorum, cauta paulatim inflectit ab arte,
Voce minax, nunc & castigans verbere sæuo,
Si peccat, docili sed pinguia frusta repromens,
Quum paret, catulo paritèr spes, & metus instant:
Non faciat? iam fert vlulanti verbera tergo.
Si faciat? recipit laudatus frustula, & vltrò
Iam dominus caput huic mulcens blanditur, vterque
In statione manent: facit hic, dat & ille: catellus
Iam gestit lustrare cubilia fœta ferarum.
Dente aper, exurgátue leo metuendus ab vngue,
Non metuit, pulchrum est vitam pro laude pacisci:
Dum fidus domini mereatur frustula blanda,
Expectans, (neque enim memori sine munere mente
Obijciet

Obijciet tantis, se desperatior ausis.)
Talis in errantes Henricus durior, illos,
Qui meruêre satis, nunquàm satis extulit: & non
Territus, exhausti vitabat damna peculi,
Plus animos redimi, multo vel fœnore ducens,
Quàm dubio euentu subiti si fortè pericli
Negligeret, toto quod non benè redditur auro.
Quisquis enim cupiat fidis confidere: certa
Spe foueat, dum res geritur, pòst re benè gesta,
Re iuuet: est aliquid laudare, at præmia Princeps
Adijciens, medio in cursu sic incitat alis.
An quod ab immiti iaculatur fulmina dextra,
Iuppiter, an potiùs nomen trahit ille, iuuando?
Crede mihi, non est tam plectens crimina, quàm quæ
Splendida condignis dat præmia, (præstat vtroque)
Iustitia: & non dans, hoc iam pede claudicat vno.
Nam vacat annales cuicunque euoluere, paucos
Inueniet Reges vllo laudarier acto
Pleniùs, hijs, quibus à largo donum vbere fluxit.
Si neque præclarum facinus successit auaro
Cuiquam, nec vicit, sterili qui vincere pugno
Dedocuit: donatiuum castrensia vota,
Vrbanæ & plebis suffragia lata reposcunt.
Auro opus est: medios aurum transire per hostes
Assolet: ipsa necem genitrix gnati expiat auro.
Hoc fuit Augusto laudes quod strauit, & ipsi
Iuliadæ: hoc magni titulum, profusior emit
Magnus Alexander, seu quisquis largitèr almis
Ingenijs fauit: doctorum viuere princeps
Ingenijs poterit Phœnicis sæcula rari.
Nigrior ille licèt sit Memnone, lotus in vndis
Pieridum, exibit vincens albedine cygnos,
Talis in ore virûm, qualem effinxêre poëtæ.
Ergò dedit: neque delicium Titus ille virorum,

Plura dedit, maiora dedit, neque promptiùs isto:
Nam citò dans, bis dans, rarò bis ferre petentem
Sustinuit: multos spes hæc tam certa iubebat
Ire per aduersi manifesta pericula casus.
Si capite annueret, patria vel si (benè) lingua
Proferret, vox hæc licèt vna, sed vnica, totum
Conficiebat, & emissum irreuolabile verbum
Huic stetit: ipsa Fides tali promitteret ore.
Hoc proceres, hoc ordo etiam affirmârit equester
Auctior, hoc Italus dicat, fateatur Iberus:
Quisquis ab extremis terrarum & finibus, isti
Se dignum exhibuit: namque hoc laudatior ipso,
Non ea non dignis tam pulchrum tollere, duxit,
Reddere quàm dignis. Vos, ô, quibus iste perenni
AEre dedit placidis litare per otia Musis,
Si qua manet facto pietas, vos ô, decet omni
Tum studio, & quo vos ornauit munere linguæ,
Vestrorum ingentem studiorum efferre parentem
Laudibus: ipsa (inquam) resonent collegia laudes
Structoris, Diuis regalia tecta Camœnis
Structáque, regali censúque instructa Camœnis.
Ipse ego quàm vellem digno consurgere versu,
Et mea fulmineo procurrere iam pede posßit
Musa, imitata tubam, nec quicquam exilior, altam
Virgilij, aut Graio cecinit qui Pergama plectro.
Conscius at medio ponam mea carbasa cursu.
Viribus hæc non apta meis: ego stultior instem
Fumanti solem terris ostendere lychno?
Et lusi, & satis est: vobis hæc maxima linquo,
Dia Poëtarum soboles, Pernaßia templa
Qui colitis, multa & Phœbi iuga consita lauro.
Plura loqui timor ipse vetat, vox faucibus hærens
Abnuit, infanti resonare hæc grandia lingua.
Nam mea ieiuno si carmine Musa pedestris,

Hactenùs

Hactenùs officij memor, hæc tam paucula tanto
Virtutum, tam non dextrè, deprompsit aceruo,
Concelebranda sibi: quid vasti denique acerui
Congeries faciet? Quid si nunc Regia proles,
Vel Ioue digna manus, patriæ spes trina, superstes
Magnanimo (agnoscas cuius de stirpe) parenti,
Exurgat? partémq; operis sibi vendicet huius?
Spondeat hæc numeris mea decantare Thalia
Tam raucis? & tam nullo sale quæque referre?
Quis pueri Edvvardi suauissima pectora, mores
Ter suaues, pulchri exemplar, quod nullus Apelles
Exprimat, & nullo describat Tullius ore,
Condignè hic pergat non digno dicere versu?
Quis Mariæ constans per tot certamina robur
Iam queat admirans iusto tractare cothurno?
Semper ab aduersis namque hæc iactata procellis,
Indefessa tamen, animósque induta viriles,
Multa tulit, cœptiq; tenax non territa mansit:
Digna quidem, quam iudicij mens certior acris,
Eligere aptâsset melioribus optima fatis.
Quis teneram, & niueo insignem candore puellam,
Augusta quæ fronte, oculo & micat, ELISABETHAM,
Tam benè ter magni referentem ipsa ora parentis,
Iam queat, atque pari meritis extendere laude?
Quæ licèt & generis, tum forma munere, sceptris
Ipsa suis maior, cunctas (me iudice) vincat
Quot sunt, quot fuerant vnquàm prius, Herôinas:
Attamen haud alio præstat magis indice, pulchri
Quàm quòd in aspectus pulcherrima pignora, non tam
Quisquam oculos cupiat fixus dimittere fixos,
Quàm potiùs diui ingenij penetralia sacra
Suspicere, omnigeno Musarum prædita cultu.
Si spectes quæ rara placent exempla, venustam
Huic Venus inuideat faciem superata: decoram

Huic Iuno ſpeciem, iam non Regina reſignet,
Arte minor Pallas, huic & concedat Apollo,
Quum canit, auratæ vel cum teſtudinis omnes
Per numeros varians, arguto pollice currit:
Ille Deûm interpres certet ſi interprete lingua,
Ille Deûm interpres, huic cedat munere linguæ.
Quô me Muſa rapis? iam non meus hæc ego Phœbi
(Ipſe etenim docuit) depromam oracula ab antro.
Fœlix, ô tanta genitoris imagine, virgo,
Fœlix ô ſceptris, fœlix & munere diuo
Ingenij, fœlix & diuæ munere formæ:
Reſtat adhûc aliquid, temet fœlicior ipſa,
Aude aliquando tui, nimiùm cunctata, pudoris
Vincula, fœlici, & pluſquam, conferre marito:
Paruulus vt nobis Henricus luſitet aula,
Qui benè pulcher auum referat, quo pulchrior alter
Non fuit, aut pulchris vnquàm præſtantior actis.

FINIS.

DE ILLVSTRIVM QVORVNDAM ENCOMIIS MISCELLANEA, CVM EPIGRAMMATIS, ac Epitaphijs nonnullis: eodem Thoma Chalonero Authore.



LONDINI,
Excudebat Thomas Vautrollerius
Typographus.
1579.

IN AVTHOREM, GVLIELMI MALIMI

μαρτύριον.



ERCVLEVS iste planè labor hæc grauia, faceta, ac tam demum necessaria scientèr, ac astabrè scribendo, ornatissimum Chalonerum rarum Philosophum, Poëtam insignem, præstantem denique φύσει, ϗ τέχνῃ, ϗ τύχῃ πολιτικὸν fuisse probat. Id quod nemini præsentia hæc eius opuscula candidè perlegenti dubium esse potest, siue varietatem aucupetur, siue scientiam quærat, vel prudentiam hominis admiretur, siue verba tantummodò venetur, siue expiscetur sensum, siue iusto examine vtrunque, vel singula cõsectetur, ac trutinet. Talem igitur tantúmque virum qui laudat, æquus censor habẽdus est: qui vituperat, improbus: qui eiusdem posteris fauet, pius: qui famam vllatenùs lacerat ac cruentat, malitiosè iniquus. Pluribus in hac re minimè vtar, ne vel bonorum iudicijs nimiùm diffidisse, vel malorum petulantiam reformidasse, vel (quod ad illius laudem spectat) lumen in meridie accendisse, videar.

AD

AD SERENISSIMAM ANGLIÆ &c. REGINAM ELIZABETAM, QVVM A GRAVI MORBO,

post tristissimum de eius morte Nuncium conualuisset, Epistola cum gratulatione hortatoria. 1 5 6 2.



VVM tot sustineas ex te pendentia vota,
(Spes ô labentis sola relicta domus)
Quàm malè te dubio dictum est decumbere morbo,
Tam benè te nobis gratulor incolumem.
Fama malum præceps absentis venit ad aures,
Hîc vbi diues aquis it Tagus auriferis,
Multáq; longinquas inimica voce per oras
Congeminans, primis addidit aucta nouis.
Hic tua lethali languescere pectora tabe
Dixerat: hic fato iam cecidisse graui.
Ille meos tentat quæsitis promere sensus,
Alter propenso condolet officio.
Quum nil solus ego scirem, tot vocibus actus,
Quid nisi constantèr dicta proterua nego?
Ipse tamen tacitum secreto corde dolorem
Concipio, & dubia singula mente tero.
Quicquid id est, populus quod nunc demurmurat iste,
Non nihil est: aliqua parte sed est aliquid.
Demus, vt ancipiti vexetur febre, vel artus
Ah, teneros quæuis carpat adorta lues:
Proh Deus, anne ideò non euasisse putanda est?
Hoc ego, quod nolim, tam citò crediderim?

Fama fluit mendax, mentitur primus & auctor,
Nec nisi peruictis auribus ista feram.
Intereà creber paulatìm rumor, inanes
Decidit in ventos, & rediuiua manes.
Gratulor, & plenis nunc stant mea gaudia velis,
Quæ prius obscuris tacta fuêre Notis.
Ite triumphales per festa Britannica lauri:
Vicimus: in tuto est ELISABETHA *loco.*
Iactata est (fateor) morbi surgentibus vndis,
Rursus at in portum rettulit alma salus.
Nunc, licèt ista vado depulsa pericula constent:
Metimur tanti proxima damna mali.
Ante diem si te confectam cuspide Parcæ
Dempsisset mæstis flebilis hora tuis:
Quid potuit nostris succedere tristius vnquam
Rebus? vt in promptu cuilibet esse potest,
Qui secum regni reputet momenta vetusti,
Quanta sit & sceptris vis subeunda nouis?
Nam si nil magnum facili molimine versum est,
Sanguine mutatum constat & imperium:
Heu quantas abiens turbas Regina dedisses,
Vnica nunc miseris anchora sacra manens?
Tecum vnà veterum cecidisset gloria Regum,
Et tecum Henrici stirps adamata tui:
Quem colimus, neque adhùc terris censemus ademptum,
Ora patris dum tu tam similata refers.
Quod si nos adeò nomen veneramur amatum,
Quid facias generi tu pia gnata patris?
Ecce vides in te sobolem recidisse tuorum:
Reddere sola potes, tollere sola potes.
Si neque te generis, nec tangit cura tuorum,
At saltem patriam respice Virgo tuam.
Non tibi, sed patriæ genita es, redde optima serum,
At saltem serum ciuibus officium.

Collige

Collige Virgo rosas, flos est fœlicior vsu,
Intactum quàm si marceat omne decus.
Hanc faciem, hos annos, hæc membra decora iuuentæ
Quis non fœcundo iudicet apta thoro?
Elige de multis quicum fœlicitèr annos
Tu gratata tuis, & pia mater agas.
Quum benè te paruis dulcis puer (ecce) lacertis
Colla petens stringat, gaudia quanta feres?
Oscula libabit gnatus, feret illa maritus,
Ille dabit Dominæ congeminata suæ.
Me miserum: hæc animo versans nunc lætor inanè,
Spectator verè gaudia quanta feret?
Si nescis: nostra hic agitur de sorte, futurus
Ille tuus cunctis dexter adesse potest.
Tuque parens patriæ meritò diceris, vt albo
Marmore vile putes corpora casta tegi:
Quum solido inscriptæ surgent adamante columnæ
Mutanti viduos, prolis amore, thoros.
Scilicèt hæc semper non est tibi forma perennis,
Et veniet canis addita ruga comis.
Vt fragilis iactura boni tibi mitior extet,
Formosa rursus prole virere datur.
Laudabit quisquam gnatos? maturior alter
Hoc ipso dicet mater & ore fuit.
Tu fœcunda tuos inter, noua sydera Phœbe
Ostendes populis exoritura tuis.
Tunc tua constitues in seros sceptra nepotes,
Gens tua securo tunc pede plaudet ouans:
Quum videat sueti imperij languentia pridem
Stemmata, sic gemmis luxuriare nouis.
Conferat hijs steriles quisquam nunc cœlibis annos
Actáque virgineo tempora proposito.
Et quæcunque senex nimiùm tibi lectus, eremi
Qui deserta suæ prætulit Ilaridi.

Laudibus ad nubes atque vltrà tollit, iniquo
Iam propior preßi nomine coniugÿ
Matronæ extenuans celebrata virgine honores,
Illa virum & gnatos ceu colat, ista Deum.
Multáque prætereà potius laudanda modestè,
Nescio quo nimium quum nocet omne modo.
Quæ speciosa licet, regno paritura Puella
Regia, vix serues, tu pia dicta simul.
Nam neque nescieris vel prudentißima, stirpi
Omnis homo quantum debeat vsque suæ.
Quo generis constet damnum reparabile nostri,
Rectiùs vt sensit doctus Aristoteles:
Hac non lege satos, naturam hoc poscere, iuncto
Nil, si fert ætas, purius esse thoro.
Casta nec vt maneas, dignabere ferrea dici.
Triste ferat precium quum tua virginitas:
Si malè distractis studia in contraria membris
Tota quidem post te terra Britanna fremat.
Nouimus Henricum, tum qui nascuntur ab illo,
Arma per hos miseris nulla mouenda manent.
Vlteriùs Domino ignoto si cogimur vti,
Linea in obliquo est non ità certa gradu.
Hic, atque ille petet: num si petet auferat illa!
Nescio, nec concors exitus ista manet.
Quisque timet mærens, quæ nollet damna futura
Prospicit & capiti, quod licet vsque suo.
Vt pereat minimus quisquam de plebe tuorum,
Vix tanti Triuia est, totáq; virginitas.
Ah piget, & nollem dictum quod abominor; atque hæc
Vana precor ventis verba caduca fluant.
Sed populi pia cura tui, cape rursus eandem
Tu populi curam pectore sollicito.
Quod potes, & præstat, da: non indebita poscit,
Vtile sed solio postulat ille tuo.

Ne serò, postquàm defloruit orba senectus
Ipsa tuos malles, certa futura tuis.
Nullus enim nescit, quanta est fiducia sceptris,
Quæ tardè inuitus de genitore capit.
Hæc via tuta manet, longum est vt cætera cures,
Quò penitùs tota suspicione vaces.
Attamen hoc animo si stat tibi, nolle iugaleis
Ante foreis tædas stare tuas Hymenei,
Si tibi tam placeant vittatæ sacra Dianæ,
Thuráque vestali iuge adolenda foco:
Prospice virgo tuis: mater diceris ab actu,
Maternè foueas si tua membra caput.
Haud equidem reor hoc factum sine numine, letho vt
Proxima, sic letho millia surriperes.
Si memor humani casus, instantibus ausis
Dum licet, & possis consuluisse velis:
Ista tuo capiti maneat precor vsque corona,
Seráque sydereis sis socianda choris.
Quid vetat intereà, viuam viuentibus, omnem
Tollere dissidij lege monente viam?
Si scimus tua quos hæredes debita spectant
Sceptra, quis & primus, quísque secundus erit:
Hæc rata si populo fuerint, patribúsq; Britannis,
Vt certos statuant te præeunte modos:
Alma tuis mater, securáque tempora gignes,
Quósque piè seruas, tu tibi sic paries.
Intereà hæc imis iterúmque, iterúmque reuolue
Sensibus, ò patriæ spésque, decúsque tuæ.
Imperium genus, ingenium Natura dedere:
Magnum id, consilio maius vt hocce regat,
Iudicium, cultas teneræ doctrina per artes
Addidit, in raris quæque loquela viris.
Admiranda foret, seu te delectet Athenis
Digna loqui, Latio siue probanda foro.

Nam nihil (atque aliquid tamen est) moror altera linguæ
Dona, quòd externis extera visa places.
Vsque adeò vt non te peregrinam dicat Hetruscus,
Illáue molliculo Gallia blanda sono.
Nec moror arguti suauissima pignora cantus,
Nec fidibus digitos omnibus artifices.
Nec faciem, quam certè habet, aut Venus optet eandem,
Nec quam Reginæ Iuno probet speciem,
Nec quæ vix vni tot (si non omnia Diui
Contulerint) hospes dona tributa notet.
Plus moror insontes mansueti pectoris alto
Consilio curas, & sine labe manus,
Quas vel læsa cupis nullo fœdare cruore:
Perpetuò vt possis, Iuppiter ipse duit.
Hoc pietatis opus: iámque hoc spes certa resurgit
Te quandoque tuûm posse mouere preces
Tam iustas: quum non alieno poscimus ore
Nos tua gens, & quod poscitur (ecce) tuum est.
Coniugium? tuus ille feretur vir Ioue solo
(Vixque) minor: prolem? te puer ille beet.
Hæc si fata negent nostræ inuidiosa querelæ,
Quamuis illa sua stent ratione tibi:
Compositis non parua manet te gloria rebus,
Ne quæ viua aboles, mortua bella feras.
Viua tuos custodieris: manet altera funus
Gloria, successor ne vagus inde ruat.
Dixi. Hæc ô faciles confirment omnibus (oro)
Turba fabis Diuûm, & tu Dea certa tuis.
Méque pio hæc absens modulor qui carmina plectro
Præsenti constans sydere respicias.
Neue supercilio damnes mea carmina duro,
Vt deceat, nullo fastus in ore stetit.
Antè tuo quàm stet, quàm dedignere tuorum.
Pectora, stent medio sydera nulla Polo.

Erectis

Erectis erecta placent regalitèr: & te
Hactenùs æquanimi noscimus ingenio.
Túque adeò simplex (quum sis tam candida) pectus
Sponte velis sensus non reticere suos.
Si tibi displiceant puro de pectore prompta:
Ingenium vultu concidet omne tuo.
Da veniam facilis: non hæc tibi scriptitat hostis,
Aut fallax blando turpior ore Gnato.
Liber at ex totis qui seruit sponte medullis,
Henrici cineres per tua sceptra colens.
Parua quidem Dominæ missa est hæc strenula tantæ,
Magna voluntatis pignora at autor habet.
Te, si fata suis current æqualia votis,
Longùm nataleis ducere posse precor,
Sanam, fœlicem, lætantem prole, marito,
Diuitijs, regnis sub tua iura nouis.

AD EANDEM, PRO REDITV deprecatio. 1564.

Mittimus absentes, præsenti reddere dextra
Quæ cuperet Dominæ debita cura suæ.
Quàm foret hoc gratum, tam te statuente molestum est,
Parte mei præsens, parte quod exul ago.
Sæpè domum liber procincta mente reuertor:
Te sine non redimo, quod graue corpus abest.
Longa triennalis tulimus fastidia claustri,
(Ah miseri) Hispano congeminata solo.
Si quis in hijs absens Naso nunc degeret oris,
Forsitàn hic tristes conderet ille libros.
Cuique suum pulchrum est: non Pontum Barbarus ipsum,
Nec vellet patriam destituisse Tomon.
Cultus erat, Romanus erat melioribus vti
Suetus, qui glaciem non tulit (Istre) tuam.

Me mea terra tenet, Zephyris placidiſsima blandis:
Qui volet, ardentes perferat hic radios,
Atque orbata ſuis montana cacumina ſyluis,
Ruráque depexa ſquallida tota ſiti.
Et foſſas, vbi riuus erat torrentibus auctus,
Dum Notus hybernas incutiebat aquas.
Pòſt vbi flagrantem repetit ſol igneus axem,
Vix vlla Hiſpano flumina viua ſolo.
Si fons perpetuis ſcatebroſus bulliat vndis,
Si vernans læto gramine terra viret,
Piſcoſum patulo ſtagnum ſe porrigat orbe,
Germinet artificis conſitus hortus ope:
Miratur, ſtupet atque nouas turba inſcia dotes:
Quid faceret gens hæc rura Britanna videns?
Et volucres deſunt: nam deſunt arbore frondes,
Qua canat, & nidum garrula ponat auis.
Et deſunt piſces longinquo ex æquore vecti,
Hæc tardè ad patinas, putida præda, venit.
Nec niſi rarus adeſt vitulus, tener hinnulus, agnus,
Quid mirum? ſuccus lacteus omnis abeſt.
Quid faciat mater, ſteriles quæ paſta per herbas,
AEgriùs arenti prandia quærit humo?
Quicquid ad inſtructas lauti parat addere menſas
Inuitans, fruſtrà hic altile ferre volet.
Strigoſis ſtrigoſa manent macilenta macellis
Neſcio quæ, parca fruſtula ſciſſa manu.
Neue mihi obijciant, ſi quid magè dapſile talis
Fert ager, aut populus vnus, & alter habet.
Hic ego quæ deſunt paſsim, & communitèr vrgens,
Quæque iter ingrediens quærat vbique, noto.
Attamen aucupio (forſan) locus, aut locus hamo eſt?
Aut venatori ſtat ſua præda cani:
Iuro tibi intactæ pharetrámque, arcúmque Dianæ
Hanc Carpetanis nunquàm habitaſſe iugis.

Nam rarò quæ res capitur, non captaputanda est:
Illa volet prædæ diuitis exuuias.
Quid lepus, aut fossis latuisse cuniculus antris
Qui solet, ad iustas fecerit (oro) plagas?
Rarus adest ceruus: vix vnquam vulnificus sus:
Nulla trahit pictas tergore dama notas.
Quidnam igitur fecisse foris paret hospes, iniquæ
Quò tandem fallat tædia longa moræ?
Claudat in obscuris indignans ædibus artus?
Semper agens vno spongia fixa loco?
Hoc miserum est: immò hoc bis dicat, quisquis Ibera
(Ah nimis informi) cogitur esse domo,
Nec satis à rigidi Boreæ perflamine tuta,
Nec satis à flammis (Cynthie sude) tuis.
Quis putet? algentes non splendens ecce caminus,
Nec leuat exustas vnda, vel aura, cutes.
Et Natura premens extremo hos vrget vtroque:
Et tamen ars nullam dextera quærit opem.
Musca, culex, cimices graueolentia corpora, mensis
Et superant stratis (turba proterua) thoris.
Puluis, vbi est æstas, densissimus aëra complet:
Aspectum medio surripit ille foro.
Nec sinit egressis referentur vt ora, vel ocli
Circius, inuiso turbine sæpè furens.
Pòst, vbi venit hyems, immundius omnia cœnum,
Continuúsque altis occupat imber aquis.
Et subitò occurrunt soles vredine tristes,
Et subitò algenti Bruma inopina pede.
Aut riget immensùm, nimio aut calet aër ab astro
Torridus, hic medium vix reperire datur.
Nullus ab extremo descensus lenior isto,
Paulatìm assuetos illud adire docet.
Hinc (reor) hospitibus tam crebro examine febres,
Et pituita nocens corpora sollicitant.

Sudanti quandoque æstus pulmonibus ardent:
Pòst mucus madidis naribus egeritur.
Quære, quid edicat medicus? sua sanguine vena est
Exoneranda, (refert) cætera mutus abit.
Singula quid dicam? dico hoc quod sentio certè,
Quod nocet, hîc multum est, quod iuuat, exiguum.
Si placet ipsa sibi gens hæc, sique explicat alas
Illa suas: per me stent sua salua suis.
Non sum adeò ignarus, quin istis plurima tester,
Nam sua, deinde suo posse placere modo.
Attamen has quisquis longùm premet aduena terras,
Votiuum rediens thus, tabulámque dabit.
Iam verò, hæc modico per se constantia amano,
Ipsa (puto) comis gens reparare studet.
Hispanus? proh iura Iouis: (dare iura loquuntur
Hospitibus summum, nec sine iure Iouem)
Penè supercilio vitat consortia duro:
Nulla Charis mœsta ludere fronte solet.
Parca manus stringit, mens iracunda querelis
Suppetit, & crudo clamor ab ore tonat.
Deme salutantis phrasi condita recepta
Verbula, quum toties basia dat manibus,
Quid superest verè expositi, atque lubentis amici?
Quid volet ille tuum, nolit vt esse suum?
Mos suus est populo valdè diuersus Ibero
A reliquis, cultu, pectore, finitimis.
Vastus habet vastos saltus, & inhospitus ipse est:
Deserto latè plectitur atque solo.
Nec superest vltrà proprio quod demat ab vsu,
Vnde paret mensas hospitis oppiparas.
Nec demùm inseruire vlli dignatur, vt hospes:
Tantus & in quouis paupere fastus inest.
Fastus inest: hac se, ceu libertate tuetur:
Hoc sua rusticitas nomine tecta, placet.

Pectora

Pectora Nobilium meliori imbuta magistro
Excipio: vulgus rectius insimulet,
Quisquis ab extrema peregrinus tendere Calpe
Pergat ad algentûm claustra Pyrenicolûm.
Vnde fit, vt reliquos præ se qui despicit omnes,
Ipse parum reliquis gratus & esse solet.
Quid mirum? nulli qui sese accommodat, illum
Contubernalem nec suus ipse ferat.
Attamen hunc talem toto tolerare trienni
Tempore sustinui, dum tua iussa sequor:
Anglus ego. Satin' hoc vno loquor omnia verbo?
Quæritur, an dura est hic mea conditio?
Te propter patria careo, charísque propinquis,
Te propter libris, pignoribúsque meis.
Te propter patrios ritus, fora, templa, penates,
Deserui, & festis structa theatra iocis.
Te propter meliora ætatis tempora perdo,
Ante diem cura præcipitante dies.
Te propter stant crine niues, iámque albida barba est,
Dum torpet toto corpore sanguis iners.
Te propter nunc orbus ago, natósque requirens
Desponsa nequeo coniuge vir fieri.
Hoc nihil vt tangat reliquos, mihi vulnus amarum est
Rem partam, post me non dare posse meis.
Si tamen vt donem, reliquum hac legatio linquet,
Hic pereo, atque domi (me miserum) pereo.
Ære grauem exhaustas ædes repetisse alieno,
Hei mihi quid prodest? sed tamen ô repetam.
O mihi si per te liceat: redde optima serum
Poscenti reditum, dum licet, atque potes.
Crede mihi, paulùm si longius ipsa moraris,
Ipse moram æternam mortuus hic faciam.
Deficio, excruciant stomachi me tormina, iugi
Curriculo: excruciat calculus, acre malum.

Sanguine iam tenues venæ priuantur, & ille
Non ego qui fueram, vix mihi notus ego.
Tu quoque quum vultus nostros mirata requires,
Tangêris, miseri commiserata viri.
Eripe me hijs inuicta malis: per sydera testor,
Pérque tui cineres, Numina nostra, patris,
Pérque tuam, mihi quæ tacta est, veneratáque, dextram:
Prætuleram patrio quum tua iussa solo.
Per Geniúmque tuum te clementißima supplex
Deprecor, hic ne me longius esse sinas.
Quicquid in oppositum quisquam tibi dictat iniquus,
Crede mihi: (expertus plus scio) crede mihi.
Crede etiam causæ, quum sis iustißima, nostræ:
An patria, & vita, iustior esse potest?
Nonne etiam hunc superesse voles, qui pronus, & vltrò
Præstitit obsequium, rursus vt ille queat?
Si quid ab hoc istic nunc posco munere demi,
Adde alijs: non me sic tibi surripio.
Sed longùm inseruire velim. Sine fessa refecti
Membra queant iterùm pondera ferre iugi.
Sic tibi vernantes currant fœliciter anni,
Sic te Reginam dextera fata beent.
Sic tibi longæuæ succedat paruulus (oro)
AEneas, sceptris debitus Angliacis.

DEPLORATIO ACERBAE NECIS Heroidis præstantissimæ, D. Ianæ Grayæ Henrici Ducis Suffolchiæ filiæ, quæ securi percussa, animo constantissimo mortem oppetijt.

IAna luit patriam profuso sanguine culpam,
Viuere Phœnicis digna puella dies.
Illa suis Phœnix meritò dicenda manebat.
Ore placens Veneris, Palladis arte placens.

Culta

Culta fuit, formosa fuit: diuina mouebat
Sæpè viros facies, sæpè loquela viros.
Vidisset faciem? poterat procus improbus vri:
Audisset cultæ verba? modestus erat.
Ipsa sed, vt facies erat insidiosa videnti,
Lumina deiecto plena pudore tulit.
Ingenium (ô Superi) tenero sub corpore, quantum
Nacta fuit? nactum quàm benè et excoluit?
Vix ea ter senos obiens exegerat annos,
Docta, cathedrales quod stupuêre sophi.
Et tamen ipsa humilis, mitis, sensúsque modesti,
Nil vnquam elatum dicere visa fuit.
At quæ viua omnes mansueto pectore vicit,
Elato gessit pectore se moriens.
Constantésque animos supremo tempore seruans,
Nescio Socraticis cesserit anne rogis.
Quod si me vatum quisquam de more locutum,
Arguat hæc fictis amplificare modis:
Iuro tibi Veneris, per & omnia sacra Mineruæ,
Perq; Aganippeas, Numina nostra, Deas,
Quod nihil insinuo: non laudatoris egentem
Quorsum opus ampullis tollere mirificis?
Nouimus, & nostris hæc nuper vixerat oris:
Obiecta implacidæ blanda columba leæ.
Quam quia læserunt alÿ, quas debuit iras
Vertere in authores, fudit in innocuam.
Iudicet hæc iustus iudex qui pectora cernit:
Non quæ iura iubent, semper vt æqua licent.
Nec fuit, vt (si culpa fuit, quando inscia peccat)
Altera tam sæuis surgeret vlta modis.
Iuppiter æquanimis crudeles odit ab alto:
Hinc (puto) & vltrici fila minora dedit.
Languentiq; ægros longùm sub corpore sensus:
Conscia quò stimulis cederet acta suis.

Punijt & lenta primos Rhamnusia tabe
Autores, diri consilij ofa nefas.
Hunc hydrops, alium confecit calculus: isti
Stilla grauis capitis, illi alia ingruerant.
Discite mortales: Sortem reuerenter habete:
Calcata vltorem sæpè habet illa Deum.
Nec quia non semper manifestò Numen in iram,
Idque statim surgit, Numen inerme putes.
Linquo sed hæc alijs, quorum pia pectora fontes
AEterni laticis, Biblia sacra rigant.
Me decet Aönijs tantum indulgere corymbis,
Quantum Helicon vati, Pieridésque ferunt,
Concinere atque isti miseræ lachrymabile carmen,
Quæ perijt sæuis virgula tacta Notis.
O Iana, ô facies, ô pectus amabile duro
Cyclopi, aut si quid durius orbis habet:
Tene ità non animos saltem potuisse propinquæ
Flectere? nec demum flectere fœmineos?
Non ignara mali, non hæc miserata iacentem est,
Quàm pia dicta alijs, tam fera facta suis?
Non potuit quondam cultam tam culta mouere?
Non raræ dotes, donáque magna Deûm?
Qualia vix vni tot contribuere puellæ?
Nec nisi perpaucis contribuere viris?
Mitto ego, quid fidibus sciuit, numerísque sonoris:
Quid præstabat acu, pingeret aut calamo:
Quis putet? hæc Arabum Chaldaica verba loquelæ
Iunxerat, Hebræum scitè idioma tenens.
Nam Graio, siue Ausonio memorasse loquentem,
Paruum erit: has aliæ per loca culta sonant.
Gallus item & Thuscus sermo numerum auxerat Anglæ:
Si numeres linguas: bis quater vna tulit.
Inuideat Stridon, te Pentaglotte ferendo
Sancte senex, vicit nostra puella tribus.

Quod

Quòd si formoso veniens è corpore virtus
Gratior est, nihil est nobile stemma comes?
A proauis pater huic titulos dedit ordine longo,
Regales mater, læua per astra, dedit.
Hijs perijt, nec sponte tumens, nec sponte tiaris
Addita, sed Procerûm noxa peregit opus.
Hij se fortè suis rationibus vt tueantur,
Quid meruit pro tot sola puella luens?
Ignouit victrix alijs, sine vulnere sceptrum
Ablatum Ianæ, quæ Maria obtinuit.
Huic non ignouit, teneræ nec dura pepercit,
Nec consanguineæ (tam pia) nec grauidæ.
Ianam ætas, genus, & sexus, Procerúmque reatus,
Quicquid erat, culpa soluere debuerant.
Nec tamen hæc Mariæ potuerunt omnia sensus
Flectere: ceruices quò minus illa daret
(Proh dolor) albentes gladio generosa secandas,
Intrepidè indignam passa virago necem.
Qualis Achilleo mactata Polyxena busto,
Dedecus immanis iuge Neoptolemi.
Aut nimis vltricem quæ placatura Dianam,
Proxima iam cultris Iphigenia stetit.
Turba dedit lachrymas spectatum effusa: decori
Illa memor, moriens lumina sicca tulit.
Oráque tranquillo vultu suauissima pandens,
Verba dedit duras apta mouere feras.
Me miserum: nequeo vlterius, nam cætera fletus
Occupat. Heu tragicis Iana canenda modis.
Ah Maria immitis, fluuióque pianda noueno,
Par erat hoc saltem sanguine pura fores.

ENCOMIVM AVARITIAE.

Domino Io. Masonio.

ACcipe, sed fidum, multis deforme lituris
Exemplar: propria scripsimus ista manu.
Quis putet? hic non est scribam reperire fidelem:
Nil moror ipse notas, re tibi si placeo.

Paradoxa.

LVdimus indocti, doctique poëmate ficto
Quidlibet: hæc olim iura Poësis habet.
Nec decet ad normam Musas reuocare iocosas
In circumscripta si quid in arte licet.
Numen agit vates: agitante calescimus auræ
Afflatu, qualis Pythius ex adytis,
Nec mortale sonans, solito nec sobria vultu
Nec coma consueta cui statione manet.
Sed totum mutata Deum quum pectore cœpit,
Non intellectos fundit ab ore sonos.
Sic mihi, nescio quid iamdudum tale vagatur
Sensibus: in syluas auius abripior.
Abripior, tu Phœbe premens in deuia cogis:
Phœbe sequor quo non semita trita vocat.
Nec placet assueto quicquam de fonte petitum,
Vnde suos hausit cætera turba modos:
Gorgonas, Harpyias, Centauros, atque Chymæras,
Tantalon, & quicquid fabula prisca canit.
Ritè crepet veteris charta ampullosa Poëtæ:
Fons tunc Castalius plenior ibat aquis.
Nunc adeò exhaustus numerosa per ora bibentum,
Vix habet vnde nouas irriget vsquam hederas.
Dicta quidem toties, iterùm dixisse cauebit,
Qui placuisse hodiè, vel nouitate volet.

Tempora

Tempora si quando quicquam admisere nouati,
Hæc quoque sunt cœptis non aliena nouis.
Caluitium, Quartana, & inhospitus ille Busiris,
Si laudatores comperiere suos:
Fas fuerit nobis aliqua celebrare Camæna
Non minus insuetum quod Paradoxon erit.
Nec quia vix æquas primò porrexeris aureis
Quisquis es hæc sola pro nouitate legens,
Ponere contractam mox dedignabere frontem,
Mutato sensim si liber iste placet.
Ille palam rigido forsan damnabitur ore:
Fata luens dominæ dura Philargyriæ.
At tibi quum notos liber hic refricabit amores
Culpatæ quicquam si tibi dulce fuit,
Quantumuis pudeat, qua te vrit flamma, fateri,
Ne pigeat vati ritè fauere suo.
Quumq; vel exiguo concedis murmure veris,
Sat super hæc animum nouerit inde tuum.
Et facilis veniámque dabit, parcétque pudori,
Et dicet, studio tangitur iste mei.
Nos verò aduerso namus si flumine, & ipsis
Contendunt ventis hæc folia oppositis,
Parcite: difficili stat maxima palma labore:
Plusq; aliquid niti est, si voluisse sat est.
Laudamus, quod nunquam alij laudabile dicent,
Efferimus, longæ quod premit Inuidiæ
Consensus: culpante foro, vellente theatro:
Vt taceam (os durum) pulpita quid reboënt,
Aut quantis hanc contrà odijs it charta Sophorum
Iamdudum exploso nomine Auaritiam.
At si aliud lacerare palam est, aliud penetralis
Proscissam tacito suscipere hospitio:
Oro omnes non tam vulgo speciosa loquenti
Credere, quàm vulgus quod populare facit.

Scilicet indignum est solo de nomine quicquam
Damnari, vlterius si nihil inde neges,
Quod penitus totis non obuius arripis vlnis,
Natura affectus extimulante tuos.
Quòd si naturæ quodam tenus impetus, & vis
Argumentosa pro ratione valet:
Deme parum errorem solo de nomine tractum:
Æquior hinc ipsis iam (puto) rebus eris.
Nempè, velut sordens aliquà culpetur auarus,
Nemo tamen scitè culpet auaritiam.
Nec persona tibi vitiosa, & sordida, eodem
Rem quoque tractatam crimine conscierit.
Non magis, inuisus quàm quòd sit proditor, arces
Hostiles nolis proditione capi.
Multa quidem facie vel prima admissa, probantur:
Multa nisi expertis non placitura manent.
Tum quoque ab ingratis fructus quandoque leguntur
Arboris, inuiso nomine, præterita.
Nimirùm baccas gratantèr carpimus ipsas:
Longè alio mater carpitur ipsa modo.
Hic verò ignaros error ni fortè leuaret,
Omnibus hæc lymphis culpa pianda foret.
Attamen ignaros nec tute fatebere, factis
Reddere, quod linguæ culpa proterua silet.
Verba parum valeant: pro se res ipsa loquatur:
Ecce vides: credas auribus, anne oculis?
Quid refert dubiæ quæ sit sententia linguæ?
Pondus habent mores, totáque vita magis.
Hijs moueor, longo nam quod probat orbis ab vsu
Quà Sol Eôos lustrat, & Hesperios.
Vnius indignum est conuellat pagina docti,
Qui commune bonum somniet omne Sophi.
Scilicet vxores, prolem, & charissima vitæ
Pignora, quis cunctis hactenus exposuit?

Illáque

Illáque non potius priuata in munia vertit,
Quicquid, in obiectum, dogma Platonis habet?
Communi quicunque putat, communiter omnes
Tam faueant causæ, quàm sibi quisq; fauet:
Desipit, & magnas magno conamine nugas
Asserit, exemplis obrutus oppositis.
*Nemo etenim alterius, * æquè ac sua commoda, curat,* * Cæsura.
Rectiùs vt sensit dius Aristoteles.
Quin sua quum tractat, legum post euenit arte,
Vt sua det patriæ, se quoque, quisq; suæ.
Vtimur vt proprijs, quæ nostro parta labore
Adsint subsidio (pigra senecta) tuo.
Nec frustrà incertos metuit solertia casus:
Et formidatam vesperis esuriem,
Frigidus annoso torpet quum pectore sanguis
Vtilior partis, nec reparare valens.
Non omnes Fortuna beat: quin sæpè merentes
Ingratam videas destituisse rotam.
At gnauis Fortuna fauet: si niteris ipse,
Porriget hæc ambas auxiliata manus.
Cunctantes iam elapsa fugit, nihil ocyus illa est:
Aduersæ crines arripe: capta manet.
En, quotus est hodiè, fœlici sorte relictas
A proauis, longùm qui tueatur opes?
Rarius inuenias, gallinæ filius albæ
Idem etiam vt gnauo polleat ingenio.
Quod si inopes acri stimulo labor vrget habendi,
Copia securos semisupinat opum,
Ingenio certè fateamur ritè colendo
Materiam sacra promi ab auaritia,
Quæ iubet albentis iuuenes meminisse capilli:
Dúmq; licet, brumæ consuluisse suæ.
Hinc artes inuenta Deûm, mortalibus adsunt,
Subsidiúmque isto fonte perenne fluunt.

Ingenium præbet, largitor ad inuia, venter
Rhetoras hic peperit, Pæoniósq; viros,
Barbatósque super, pacta mercede, Magistros
Quantumuis vafri dissimulantèr agant.
Nam nec causidicos fuerit memorare necesse:
Agmina clamoso quæ dedit iste foro.
Nec moror hic plebis quo pellat corda minutæ
Intempestiuus cui nocet ipse pudor,
Nulla verecundi ratio vt seruetur egenti
Quid si Conscriptos incitat iste Patres?
Quid si alios, rigidæ celebratos pignore vitæ,
Nec tamen istius protinùs immemores,
Qui benè diuitias, magno quum pectore temnunt,
Sæpè prius spretis & superesse solent.
Omnia si memorem, quæ dictitat iste Magister
Insistam scrupos dicere littoreos.
Dicere Niliacæ foliosa volumina cartæ:
Quámq; operosa suis illa stetère notis.
Siue reuersurum Thamesim quota stipat arundo
Ludit oloriferis qua sinuosus aquis.
Scilicèt, inscitè crebrò caput insignimus,
Quærite? & in patinis sæpius illud erit.
Delicias animo quamuis meditemur inerti
Si semel hic latret, continuo excutimur.
Iamq; moras omnes tam sæua potentia rumpit,
Quaque iubet, velis, & properamus equis.
Quod si nulla foret duris in rebus egestas
Ex quo terra senex non nisi culta parit:
Nunc quoque gens hominum glandem ructaret inertem,
Nunc quoque speluncis corpora fessa darent.
Nimirùm agrestes priùs ac spes irrita glandis
Luserat, vlteriùs consuluisse putas?
Otia quum nostris tam sint innata medullis?
Otia securis pestis amica viris?

Verum

Verum hebetes sensus (sic Dij voluère) necesse
Tandem acuit, gnauis erudiitque modis.
Qualiter in silicis si quæ latet abdita venis
Scintilla attritu clarior exiliat
Proxima depascens sicca folia arbore dempta,
Inde petens totum, quum benè adulta, nemus:
Sic nobis latuere diu, tectásque volucris
Ingenij vires copia contuderat.
Ah simplex, nimiúmque aurato rustica sæclo
*Copia nunc maior * (ecce) negata subit.* * Cæsura.
Nempè suas tandem ratio compulsa retectas
Agnoscit vires, ingenióque micat.
Itque per ignotas tellure patente, latebras,
Atque triumphatæ viscera fossa petit.
Cogit & innumero victam parere ligoni,
Scinditur, & toto semina fert gremio,
Miratúrque suos tam crebro vulnere fructus,
Quódque suo intactum nunc sit in orbe nihil:
Paulatímque animo iam desinit esse maligno,
Spes & auarorum facta benigna fouet.
Namque laboratas tellus exercita promit,
Si piger expectes, ipsa recondit opes.
Semper inest ergò cupido vis tecta labori,
Ante diem vt curet, quæ vehit ipsa dies.
Et serat, in seri quod tempora colligat anni
Mox instans tremulo, tarda senecta pede.
Hoc verò, anne aliud quàm prospicientia pura est?
Maxima in humanis annumeranda bonis?
Cælitùs hanc homini diuinæ particulam auræ,
Quis dubitat dextrum contribuisse Iouem?
Mente nihil maius, cauto quæ præscia sensu,
Iam vitat, cuius non piguisse velit.
Ergò potes sensum plenè laudasse futuri,
Et potes effectus dilacerare suos?

Proſpicis, & vitas quæ nolles damna futura:
Anxius, & vitæ conſulis vſque tuæ,
Et tamen hanc animi pergis vim carpere cauti?
Vt ſimul & cures, curáque diſpliceat?
Quis putet? impendens capiti graue pondus ab alto
Declinas? & mox diſplicet ille metus?
Num timuiſſe licet? certè licet, anne periclo
Defungi? cur non? cur modus ergò nocet?
Nec tamen ille nocet: (recto ſi ſingula ſenſu,
Diſcutis) ambiguis vocibus error ineſt.
Mox tamen hæc. Nunc affectus mortalia corda
Quum pulſent, Odium, Spes, Amor, atque Metus:
Quæ bona ſunt, totis cupimus contingere velis,
Quæ mala ſunt, totis viribus effugimus.
Si tepet affectus, Ratio eſt: ſin ferueat, ægrè eſt
(Iudice te) læſi ſenſibus ingenij.
Et moderata iubes: & iam nimium ore refellis:
Et niſi non lento vis properare gradu.
Audio: ſed propriæ ſeruatrix cura ſalutis
In ſua non lentis commoda fertur equis.
Proſilit, atque animo verſat lymphata cupiti,
Spémque, metúmque inter, gaudia grata boni.
Nimirùm quô quid vitæ magè conuenit, aut quô
Hoc ſine deterior vita futura foret:
Acrius hôc nobis ſtimulos Natura potentes
Subdidit, id cunctis velle parare modis.
Mortales, viden' vt generis reparabile damnum,
Sollicitat blandis iungere membra toris?
Tunc animis ardor, viden' vt vehementior inſtet?
Et ſi non furor eſt, proximus haud dubiè eſt?
(Proh Venus) vt cupidis ſeſe ingerit alta voluptas?
Quàm fouet ille ſuam? quàm fouet illa ſuum?
Deme parum afflatis ſtudia hæc violenta medullis:
Et genitrix virtus tota iacebit iners.
Totáque

Totáque posteritas ratione iubente peribit:
Nempè quis inguinibus vtitur, atque sapit?
Aut sapiens stultos maiori ex parte puellos
Non generat? tanquam quod facit, haud faciens?
Nimirùm affectus si non aduertimus altos,
Infælix cœptis exitus esse solet.
Non minùs ac positis epulis ieiunus ineptè,
Si stomachus partes negligat ipse suas:
Atque gulæ tanquam formidet crimina tantæ,
Dimidio incipiat, quàm queat, esse minus:
Quid fiet? reliqui tabescent protinùs artus,
Ilia strigosis & macilenta fibris.
Nonne fuit satius genio indulsisse palati?
Versari, & plenis plenius in patinis?
Si nocet hæc auido gustu percepta voluptas,
Mirum, ni dicant, quòd nocet ipsa salus.
Tolle semel mensis ne quid conducat orexis:
Et damus affectus hic quoque vt eijcias.
Sin iuuat ipsa fames, nec & hac sine ritè comestum est,
(Nam lentos medicus nolit in ore cibos)
Improbe quid toties Cerealia munera vastè
Inuadens, animos corripis immodicos?
Tune sapis? sensu, Natura an fortè, profundo?
Quæ stimulos summis addidit ipsa bonis?
Nec paruos, nec inertis acuminis, aut moderatos?
Sed validos pleno, præcipitésque gradu.
Nimirùm dulces vitalis colligat auræ
Quisque libens haustus: vitáque nostra placet.
Támque placet totis, vt semper viribus vsque
Omne animal seruet séque suúmque caput.
Prima salus rerum est: memori hæc sub mente recurrens
Cuilibet è brutis prima tuenda venit.
Non insecta sequar: magni formica laboris,
Exemplum gnauis vt queat esse viris.

Nec parcis apibus quanta est industria pangam,
Curáue quæ coruos, sollicitétque canes.
Atque alia humanæ propiora animantia menti
Abdere, quæ rursus crastina mensa voret.
Hoc dico, nihil hìc frustrà molimine tanto
Naturam in minimis ædere bestiolis.
Quóque magis sensus monstrant vim bruta futuri:
Hoc magis humana nec ratione carent.
Quod si homo quantum homini differt quis fortè requirat.
Proximus ille Deo est, qui magis ante videt.
Dæmonia est aliquis longæua mente valere
Qui putet, & causas tempore nôsse magis.
Cernimus albentis senium venerabile barbæ,
Iudicio impubes ante venire genas.
Prodigus est iuuenis: parca est & auara senecta,
Futilis hic, catus hic, cui magè danda fides?
Dissipat hic solus centeno parta labore,
Colligit hic centum pòst regerenda viris.
Nam licèt vsuræ tantillæ insistat auarus
Dum viuit, partis immoritúrque bonis:
Pòst tamen innumeros prædæ pars tacta beârit,
Et populo superant, quæ reserantur opes.
Improbet hic quisquam dementis pectus auari,
Semper in alterius commoda solliciti.
Vellera sic alijs tondendas ferre bidentes:
Tollere sic pandos, non sibi aratra boues:
Nescio: nec tantum moueor quo suadet auarus,
Quàm quo sedulitas nos iuuet ista modo.
Congregat, & moritur: quid tum? res parta superstat,
Vix alio multis concilianda modo:
Multi adeò verbis in publica commoda prompti:
Non dant tantillam, cum venit vsus, opem.
Hic nihil vt spondet, sic linquit cuncta futuris
Súbque sui cura, posteritatis habet.

Fallitur

Fallitur, in populi populum qui fortè ſalutem
Coniunctis animis inuigilare putat.
Nunc commune nihil, ſaltem aut pauciſsima reſtant,
Occupat & proprij lex noua quemque boni.
Si nihil vlterius ferret pia cura Deorum
Auxilij, quàm quod nunc homo fert homini:
Neſcio tam crebras humana ſcientia clades
Noſtráue ſedulitas num reparare queat.
Impia conſumunt ſpes vanas arma coloni:
Proterit & ſpicas depopulator eques.
Grandinat aëria pater hâc Saturnius arce:
Fulminat hâc: ſtragem ſentit vtrinque ſeges.
Deplorat caſus gemmantis vinitor vuæ:
Quam ſæuo ſtrinxit dente pruina rigens.
Irruit hic pluuijs amnis torrentibus auctus,
Et pecus & pecoris obruit vnda duces:
Illic rimoſas torret ſol igneus oras,
Subtrahit & plantis roris, & imbris opem:
In tantis cœlóque minis, bellíque ruinis
Quum fremit ira Deûm, quum furit ira hominum,
Quid facimus? ſatin' hic tritis plebs ſtultula fidat
Subſidijs, nemo ſi ſapit vlteriùs?
Vt nihil in duros caſus ſolertia ſeruet,
Atque in ſperatam promat auarus opem?
Nos equidem Diuos nimium culpamus ineptè,
Si quid concepta ſpe minus obueniat:
Machina quum rerum diſcordi iuncta ligaclo
Non ſimul omne omni tempore, fertue loco.
Hic pluit, hîc riget, hic ſudo Sol torridus vrit,
Diſſonáque hæc ſcitè Numina conciliant.
Mens æquata Deo eſt: Rex Iupiter omnibus idem,
Et fouet ille Getas, & fouet Aſſyrios.
Numinis immenſa eſt ſapientia: nunc tibi pleno
Copia ſtat cornu: nunc tuus aret ager.

Collige quod supereſt in proxima tempora, triſti
Sydere poſterior ne neget annus opes.
Quem nimium fœlix rerum præſentia lactat,
Dignus erit ringi qualibet ille fame.
At ſtulti ſumus: ô nunquam benè cauta futuri
Pectora, mortales & ſopor altus habet.
Fidimus, atque animo ſperamus læta ſupino,
Nec metuiſſe malum poſſumus, abſque malo.
Iupiter hanc animis lethen miſeratus iniquam
Stertentûm paucos conſtituit vigiles.
Iuſſit & erectis animis ſpectare futura,
Neu ſe, neu cunctos perderet vna dies.
Atque ſalutiferi cellaria fixit auari,
Vnde penum eſuriens plebs aliquando petat.
Hic ſua cum merces, & quum ſua præmia quemuis
Iure manent, hominum qui generi auxilio eſt,
Si numero quandoque Deûm adſcripſiſſe merentes
Paruum erat, atque iſto creſcere & aſtra modo,
Cur inuentores primos dignaris Olympo?
Conſeruatores Tartara ad ima premis?
Quid iuuat egregium quicquam reperirier, & mox
Incuſtoditum fruge carere ſua?
Res (ais) ipſa placet, ſed non placet acris auari
Ingenium, ſordes, & manus vſque tenax.
Scilicet, iſta cupis, dubio pro tempore condi?
Diſplicet ille ſuo more, modóque tegat?
Quid? ſi non aliter, nec ni foret ardor habendi
Ille ſacer, tantis tu fruerere bonis?
Sol calet, & nimio radiorum diſplicet æſtu:
Te tamen an Phœbo poſſe carere putas?
Vrit iners frigus, torpenti corpora bruma,
Bruma tamen terris nec minus apta venit.
Haud ſecus, à nimia culpetur vt Euclio cura:
In rem cura tamen vertitur illa tuam.

Sin

Sin te iam illius miseret, quòd amore tenendi
Defraudat genium sordidus vsque suum:
Stultus es: illa homini parco fluit alta voluptas
Parcè agere, & veniens mente fouere bonum.
Tu cupis hoc præsens, præsentibus vteris, & mox
Differt ille alio gaudia consilio.
Corporis vna tibi ratio est, iam iámque fouendi
Ille animo longas ruminat vsque moras.
Et spes sæpè suas coquit immortalitèr vtens
Absentíque absens delicio fruitur.
Applauditque suæ, populus cum sibilat, arcæ:
Seruat & ingratis, & placet ipse sibi.
Quod si ita constituit secum, si ita viuere gestit,
Contentum planè nemo vocet miserum.
Immò equidem inuitus qui nil facit, atque futurum
Mente bonum anticipat, nonne beatus erit?
Non fælix? pulcher? sapiens? Rex denique Regum?
Omnia contento quum tribuere Dei?
Quod si etiam hic iterum vexes, & gaudia dicas
Non nisi præsenti tempore posse frui,
Spémque futurorum distincti muneris esse
Semi voluptatis ceu foret ista seges:
Quid sua si plenè iam gustet gaudia auarus,
Non minus ac quouis qui fruitur volupi?
Gaudet amans (credo) pathica quacunque potitus
Quum venit in tepidum dulcis amica sinum.
Miscuit & plexis lateri latus ipsa lacertis,
Iamque parat grati prælia prima ioci.
Si gaudet iuuenis spe non frustratus amatæ,
Quid faciat noster, cui Venus ipsa venit?
Aurea supponens vetulo, non lactea membra?
(Aurea ni frustrà dicitur ipsa Venus)
Nomen ab insigni tulit hoc non irritè Homero:
Credibile est ipsam suppeditasse Deam.

Culta Melesigenis placita, & genus omne Sophorum
Suspicit, & vatum quotque fuere prius.
Quótque hodie intextos capiti dant ferre corymbos,
Nec minùs hic palmam posteritate feret.
Ni cæcum dicas nihil hic vidisse poëtam,
Aurea tum Venus est, aurum & auara petit.
Quando igitur plenis auro superincubat arcis
Euclio, non Veneres possidet ipse suas?
Qúmque volutatus fuluo interlusitat auro,
An quisquam huic Venèrem dicat abesse suam?
Oscula dat flauæ toties repetita Monetæ
Oscula (Dÿ) pathicæ qualia nullus amans.
Comprimit ambobus dilectam sæpè lacertis,
Delicias dicit, nequitiásque facit.
Maiores teneræ quondam quàm Naso Corynnæ,
Et quàm tu dominæ, docte Catulle, tuæ.
Quod si ea cuique sua est, quò fert sua quemque voluptas:
Quid refert, specie qua placet alma Venus?
Candida seu niueo iuuenem magis illicit ore,
Siue senem flauis aurea tota genis?
Tu certè vt niueæ potiùs suspexeris ora,
Ipsa tamen vultu tangitur alterius.
Candidus ille color flauo redimendus habetur,
Prædásq; albentes aurea vincla trahunt.
Et faciles oculos dominæ perstringit auaræ
Hic nitor, in nummis quem videt aureolis.
Attonito, tua sum, proclamat conscia, vultu,
En tua sum, donis non neget vlla capi.
Testis erit Romæ Tarpeia, pacta nitentes
Armillas, patriæ præmia posthabitæ.
Testis erit pulchri specie quæ capta monilis,
Prodidit absconsum Graia Eriphyla virum.
Testis erit Procris, Pocri quid castius ante?
Dona tamen dubiam congeminata mouent.

Testis

Testis erit malo virgo Scheneia iacto
Passa moram, rapidis ocyor ante Notis.
Vos quoque frondosæ monstrantes vallibus Idæ
Corpora, tres vno tempore nuda Deæ:
Virginibus nostris (mirum) ni exempla dedistis,
Dona verecundus ne pudor apta neget.
Turpe leuet quamuis formæ contentio factum,
Arcano mali pectore imago stetit.
Aurea secretos mouit discordia sensus
Hanc præter, formæ (credite) nulla foret.
Quod si ita sit, Pluto seu iam Venus aurea prostat,
Candida seu precio prostituenda manet:
In Pluti certè positam fateamur vtramque
Arbitrio, qua vult, quin libet atque frui.
Ergò, voluptatum si nulla est maior, amanti
Quam Venus optatis porrigit illecebris,
Quem magis ipse beet, vel cui magis alta voluptas
Perpetuò obueniat nullus (opinor) erit.
Nempè, nec hoc nihil est: niuea si longiùs vti
Instituas, sensim quòd tuus ardor abit.
Fastidisque tuam Venerem, iam lassus amator,
Quando elumbe refers, emeritumque latus.
Noster amans flauam toties constantèr amicam,
Quum subigit, longas continuátque vices.
Quumque dies, annósque iterat, tunc fortius instat,
Et petit amplexus, immoritúrque operi.
I nunc, quisque suæ decantet gaudia sortis,
Et narret læto quod tulit hora pede.
Illi siue Ceres dubia lautissima cœna
Luserit, aut posito corniger ille mero.
Siue triumphatis Capitolia prisca quadrigis
Scanderit, aut circo vicerit omnisono.
Siue comas cinxit Pentathlus fronde oleastri,
Seu stupuere suos curua theatra modos.

Hauserit auscultans ipsius carmina Phœbi,
Spectet Apellea lintea picta manu.
Quis putet? aut breuis est, & non syncera voluptas,
Siue voluptatis mox satur ipse suæ est.
Tædia subrepunt: & rebus longa potitis
Gaudia, naturæ nausea non tribuit.
Sola tamen constans suprema ad funera auari
Lætitia vna manet, nec satur esse potest.
Nec bona iam sensu fastidit nacta remisso,
Nec quò plura tenet, hòc minus vsque cupit.
Inuide, iam tantis ergò hijs aut æquior esto,
Aut quibus oblatras, inuide tolle manum.
Nec quia difficilis fastum patientia vicit,
Constantem culpes, si patientèr amat.
Lais amatori cuiuis Ephyreia noctes
Non dedit: at cui non illa petita fuit?
Difficilem spretus potuit vocitare, superbam
Difficilis carpsit nemo tamen faciem.
Tu cupis, & velles tacitè, & tua gaudia damnas,
Sepositis vulpes qualis iniqua botris.
Hoc tibi si salsum est: iam nunc intelligo acumen:
Confice sexcentum, si potes, vsque stylis.
Quúmque Lycambæos contrà vibraris iämbos,
Æra tibi in cœnam vix tria zona ferat.
Quæritis, immerito mastyx cur deroget auro?
Quærite, cur vulgus, quo caret, inuideat.
Diuitibus multos, paucis maledicere egenos
Quid mirum est? inopi lingua tamen superest:
Hac sese solatur egens, sortémque negatam
Despuit, & Crœsos (creditis?) atque Mydas
Eleuat: at fosso thesaurum inuenerit aruo,
Thesaurum iniecta (creditis?) ille scrobe,
Rursus in æternas malit damnare latebras,
Quàm raptìm capsis transposuisse suis?

Non

Non tacet oblata latrator Cerberus offa?
Ignoscítque suis mitior inde bonis?
Nec iam dissimulat curis pallentibus actus:
Pallet amans omnis, pallet & iste senex.
Maxima zelotypo dominæ custodia restat:
Custodit dominam peruigil iste suam.
Et timet à ventis, propriáque exterritus vmbra,
Non atomos clausas vult penetrare fores.
Hinc Venus assidui demirans pectus auari,
Victáque solliciti sedulitate senis,
Sola fouet solum, iamque indulgentior, inquit,
Tam benè qui seruat, seruiat vsque mihi.
Intereà, hæc tacitæ sese dum diuitis arcæ
Seruandam fido collocat obsequio:
Amissam hâc, illâc, dominam per saxa, per ignes
Turba per & moles quærit auara maris.
Impiger esuriens in Auernum (iusseris) ibit,
Annuat inceptis hæc modò fausta nouis.
Non metuet Ditis sacrum temerare cubile,
Si redimi à Stygijs se velit ista locis.
Nec metuet tauros iaculantes naribus ignes,
Aurato Venus hæc vellere si lateat.
Nec metuet vigilis rabiem irritâsse draconis,
Fulgeat hæc malis dummodò ab aureolis.
Omnia pro domina patientior iste subibit,
Nec metuet summi tela trisulca Iouis.
Hinc (ni omnis delirat amans) fateamur, oportet,
Hanc non vulgari posse placere modo.
De qua iam totus toties contenderit orbis,
Philtra habet, & cesto non caret vsque suo.
Troäda si raptæ facies formosa Lacænæ,
Atque Mycenæos trusit in arma duces:
En Dea quid faciat toties hæc vnica amantûm
Zelotypo regum pectore bella serens?

Causa coronati toties hæc facta triumphi
Præda manet Marti sola petenda suo.
Gloria tum famæ causata obtenditur vmbra:
Hanc tamen, hanc quærunt intima corda procûm.
Hæc illa est adamata suis: seu nomine ficto,
Laudis amor dicta est, relligiône Deûm.
Hæc est ignotas nobis quæ protulit oras,
Et nunc non dubios ædidit Antipodas.
Quæritis auriferos quare nunc itur ad Indos?
Dicitur hæc illis Diua habitare locis.
Torrida quis subeat sitientis climata Phœbi?
Pectoreq; maiores ni ferat ipse faces?
Hac duce, ni audaci soluisset nauita puppi,
Maxima pars orbis delituisset iners.
Hæc noua disclusit surgenti sydera cælo,
Quà penes Antarcton, clare Canope, micas.
Hæc primum à syluis mores reuocauit agrestes,
Quum domita est culta barbara terra manu.
Victáq; barbariem ciuili pectore mutans,
Hinc coluit terras, hinc coluítq; Deos.
Ni pater Eôas penetrâsset Liber ad oras,
Et Gaditanum clauiger vsque fretum,
Nique feras olim Romana potentia gentes
Huius adegisset subdere colla iugo:
Simplicitas certè rudibus tam rustica sæclis,
Staret in hos etiam continuata dies.
Barbarus hæc domino mulctæ cum nomine, cessit,
Solamen, ritus, iuráque traxit heri.
Victorísque sui ciuis nouus additus vrbi,
Hac rursus vinci conditione velit.
Nimirùm sublimis equo, nutritus & aula,
Quid repetat paruos ditior inde lares?
Et sapit: & magnos geometres, pictor, aliptes,
Blanditijs nouit demeruisse Deos.

Et

Et patientèr agit captator funeris orbi,
Dum cadat in casses præda petita suos.
Tum verò in totum quando successerit assem,
Seque videt ternis crescere nominibus:
Quam citò fortunæ vultum componere fœlix
Nouit, & inflatis cuncta iubere genis?
Paretur: caudámque mouet seruiliter ille,
Qui fuit hesterno combibo symposio.
Rara Deæ virtus, sed adest sua gratia Diuæ:
Nec desunt Charites, cui Venus ista venit.
Extemplò nam pulcher erit, tum sanguine prisco
Æditus, & culto præditus eloquio.
Quicquid aget, laudatus aget, bona turba fauete:
Nec sileant blando mollia verba sono.
Mane salutatum cubito trudentia plebis
Agmina, quum soluit limine, prosiliant:
Hortentur, fascésq; petat, sellámq; curulem:
Quid dubitet niueæ vota subire togæ?
Nam leuis vt durum nil flexerit aura Catonem,
Diuersa populi parte tabella fauet.
Omnia diuitibus regina Pecunia præstat:
Mitior est donis hostis & ipse datis.
Crudus in Hectoreum (dum ferbuit ira) cadauer
Ille fuit, Phthÿ gloria prima soli.
At simul vt Priamo se Troica gaza ferente
Obtulerat, tumidæ mox cecidere minæ.
Lentiùs Æacides vlciscitur inde Patroclum:
Quid facias? magnos munera (crede) Deos,
(Crede) Deos placant, hominésque in fœdera iungunt,
Quamlibèt offensis iusta querela fluat.
Vmbra tibi ante oculos, versetur inulta parentis
Dona tibi occisor, nec moderata, ferat:
Vt semel ille decor tremuli radiauerit auri
Hærebunt dubio famáque, & ira luto.

Oderis indignum: dignißima præmia amabis,
Fama vale, valeant vltio, nexq; patris.
Auro opus est, dulci quis non ignouerit auro?
Flexile Caucaseos flexerit hoc silices,
Immanésque Getas, & ferrea corda Cycloplum:
Et dubium est cultis quid queat hocce locis?
Auri sacra fames quid non mortalia cogit
Pectora? libertas hoc licitante perit.
Emerat hoc ciues corruptor Iulius olim,
Venalis pretio Roma vel ipsa fuit.
Nunc aliud tempus: sed adhûc vetus obtinuit mos
Aurea vt AEneæ regnet in vrbe Venus.
Dic vbi non regnet? Paphus, & Gnydus omnibus oris
Nunc adolent tanta cinnama, thúsq; Deæ.
Templa Deæ quæris? mortalia pectora vise:
Templa tot inuenies hæc vbi fixa sedet.
Nec tibi tam præsens Numen mirabile quicquam
Suscitet: illa viros promouet, illa Deos.
Tentabat Danäen variæ sub imagine formæ
Iupiter, an maius quid Ioue mundus habet?
Num tamen obtinuit, gremióque acceptus amato est,
Ille prius nostræ quàm tulit ora Deæ?
Quem pater, & custos, & virgo dura reiecit,
Sensit præsentem flauus adulter opem.
Culpantur fragiles auro expugnante, puellæ:
Parcite: num contrà turris ahena stetit?
Aureus Acrysÿ gnatæ se miscuit imber:
Parcite: quis primum miscuit æra sacris?
* Synær. *An quia tunc fuco prælusit Iupiter aureo,**
Vulnera, quæ fecit, debet & ipse pati?
Dicite Pontifices, nam vos dare iura loquuntur,
Quod placet in sacris, corda prophana negent?
Pontifices, reges, satrapas, lectúmque Senatum
Aureus hic magnes quum trahit, & retrahit:

Miramur,

Miramur, populus magnorum exempla Deorum,
Tam benè si votis omnibus exequitur?
Regna, vrbes, & templa Deûm, nutúq; potenti
Cælum aperit: dubium est, quin & Auernum aperit.
*Hæc Dea si ramo quenquam donauerit aureo,** * Synær.
Aduertet facilem portitor inde ratem.
Inuia perrumpit lentor penetrabilis auri:
Veriùs hæc ergò est illa catena Iouis.
Cedite mortales, dominam reuerenter habete:
Viribus huic vestris, vis propè maior inest.
Durate: eueniet, quæ non sperabitur hora:
Aurea spes semper quid iuuenile refert.
Vos quoque pro numeris nummos sperate Poëtæ,
Mecænas nostro tempore si quis erit.
Herculè, si nemo est: magicas accingier artes
Proderit: hijs Daphnis ductus ab vrbe domum est.
Carminibus quondam cælo deducere Lunam,
Paruum erat, & manes eripuisse Stygi.
Nulláne cantando vis est hodierna Poëtis?
Quæ Mecænates euocet è tumulis?
Tercentum clamate Deos, Erebúmque profundum,
Atque informe chaos, tergeminámque Hecaten:
Et miscete preces, precibúsq; minacia verba,
Addite, sint diris carmina mixta suis.
Sic (puto) demulsis Mecænas versus ab vmbris,
Sarciet ingratæ posteritatis opus.
Aut demum hoc nullæ si sunt in carmine vires:
Ampliùs auxilij nescio quid superest,
Ni simul vt Musis, totóque Helicone relictis,
Dediscant artes pectoris ingenui.
Qui placuisse volent hodie, penetralibus ipsis
Admisśique suos demeruisse Ioues:
Quidlibet induerint, dum deposuisse pudorem,
Et niueam norint deposuisse fidem.

Auribus oblongis hodierna palatia regum
Prædita, Pantolabos præ tibi (Flacce) ferent.
Ipsa quidem (vt verum fatear) Venus aurea amantes
Non recipit, Pallas quos inimica probat.
Ergò agè: quo dominam diues mereare benignam,
Nec nimium ſapias, nec nimis eſto bonus.
Denique, vt hoc vno concludam hæc omnia verbo,
Sit tibi cura tuæ: ſit tibi cura tui.

NICOLAVS PHILANDREIVS Lectori.

QVum ex quatuor virtutum quas morales vocant generibus, ipſam honeſtatem, ex qua fama & omnis exiſtit honor, æquè manare conſtet: tamen quæ animosè, atque fortiter in bello præſertim geſta ſunt, ea neſcio quomodo à Poëtis, Hiſtoricis, atque Oratoribus, pleniùs laudanda certatìm arripiuntur. Hinc Thermopylarum, & Platearum, pugnæque Leuctricæ, & Salaminij trophæi gloria. Hinc decantati Cocles, Curtius, atque Decij, quique ſimili præſtitere virtute. Quæ virorum fortium celebratio, aut literarum monumentis conſignata commemoratio aliqua, ipſis Britannis adeò vſitata non fuit, vt Regis etiam Arthuri alioqui celebratiſſima vbiq; terrarum atque gentium militia, propriæ tamen, atque patriæ hiſtoriæ inopia pleriſque iam tandem fabuloſa videri cœperit. Et Iōannis Acuti Italorum literis, & ſtatuis clariſſimi, apud Anglos, niſi in domeſticis fortaſsè Scelleiorum abnepotum monumentis, vix vlla (quod ſciam) extat memoria. Quæ cum ita ſint, eáque iacere ſempèr ſoleant, quæ honore non alantur: magis eſt mirandum, eam inſulam omni ætate viros pro duxiſſe tamē bellica laude memorabiliores, quàm

quàm pro gentis vel diſciplina, vel pro militum vel præmio, vel gratia. Vt generoſa illa indigenarum vis atque natura magnoperè ſit profectò prædicanda, qui magnanimitatem hanc nulla neque præmij, neq; gloriæ ſpe colentes Reipub. ſolùm inſeruiunt, ipſamque vitam non pro laude (vt inquit ille) paciſci, ſed pro patria gratuitò quidem certè, & non grauatè profundere conſueuerunt. Atque hæc gentis huius magnanimitas quanquam & foris priſtinæ Anglorũ virtutis memoria ſatis ſit credibilis, & domi vel intrepida pereuntiũ nece aliquando probata: tamen quoniam exteris nationibus ſcriptorũ penuria ſatis nota eſſe non poteſt, laudabilem ſuſcepit operam in Hiſpanicæ legationis otio Orator Chalonerus, quum memorabilẽ Edoärdi Schelleij fortitudinẽ ad Scoticæ præſertim cladis (qua immortuus eſt) monumentum ita literis commendauit, vt eo in celebrando ipſe & pietatis laudẽ, & propriam etiam ingenij gloriam ſit meritò conſecutus. Qui ſi bellatoris arma, atque impetus heroico modorum atq; vocum ſono antiquo more decantaſſet, ſuperbo ille quidem aurium iudicio inſeruijſſet magis. Verùm quum celebrium facinorum æſtimatione, non numerorum compoſitione clarorum virorum admiratio efficiatur: Tibullina Elegiaco in genere concinnitate, quæ contigit, fruentes, Heroici carminis magnificentiam non magnoperè requirimus. Vale.

DE HEROICA EDOARDI SCHELlæi nobiliſſimi iuuenis Britanni fortitudine.

CLara decent claros homines præconia: ceſſet
Lingua memor, facti gratia nulla viget.

Est aliquid per se virtus: spreuisse triumphos
Magnanimo fortis pectore sæpè solet.
Authori liceat, dum pulchri conscia mens sit,
Laudantûm intactos præteriisse sonos.
Ne liceat nobis ingrato pectore ciues
Egregios per nos non superesse, rogo.
Quis fuit ille olim celebratus Mutius? aut quis
Curtius, in medio victima sponte foro?
Vos (Decij) si quod patriæ tribuistis, eodem,
Quo cineres busto conderet vrna breuis,
Non (inquam) hijs animis Roma, populúsque, patrésque,
Laudandos tacitè prætericre viros.
Sed meritis quantum potuit laus addere, fructu
Fortia facta ducum non caruere suo.
Ergò etiam egregios conatus illa iuuentus
Attulit, & titulo digna, triumphe, tuo.
Fœlices animis iuuenes, patriáque vicissim,
Talibus ô magnam te quoque (Roma) tuis.
Nos humiles obscura tegunt monumenta sepultos,
Quos procul à cultu barbara terra premit.
Namque ideò nostris pulchrum vix æditur oris:
Quòd labor it, merces nulla labore redit.
Redderet hoc regnum, populus quod reddere sueuit:
Curtius in nostro plurimus orbe foret.
At benè si gestis spes præfuit, atque sequuta est
Gloria, quæ à gratis sponte redire solet:
Illa quidem fortes gestorum fama superstes
Reddidit, in Latio qui viguere solo.
Nostra quidem si quos produxit terra Britanna
Hijs similes, simili non ratione tulit.
Nam benè quòd facerent, nostris dedit vnica virtus:
Cætera spes laudis tota iacebat iners.
*Eugè ergò ô propriæ certè (*SCHELLÆE*) salutis*
*Prodige, sed patriæ laus (*EDOARDE*) tuæ:*

Quem

Quem neque vel priscis animo præstante minorem,
Perduxit virtus conscia ad interitum:
Si tamen interitus succedens fama vocetur,
Iuge viro pariens post sua fata decus.
Quale sibi proprium statuat Gentilis, vt hæres
Addat & exemplis æmula posteritas.
SANGVINE *ab antiquo iuuenis non degener, ortus*
Hic fuit: aspiceres, forma virilis erat.
Viuida vis vultus, aciémque, oculósque micantes
Prætulit: aspiceres, fortis ab ore fuit.
Corpore non magno, fido sed pectore magnus,
Bellator Tydeus qualis & ante fuit.
Natus ad horrentis castrensia prælia Martis
Nactus erat voto tempora danda suo.
Vixque genas præcox signans lanugine prima
Gallica Caletis arma lacesserat.
Tum longo implicitos Anglos pars altera bello
Strage sua sensit sæpiùs esse viros.
Húncque vel imprimis famosa Bononia vidit
Ad se victrices sæpè referre manus.
Oh quoties pugnacis equi spumantia fræna
Flexit in exitium Galle animose tuum.
Oh quoties alacri socios sermone cohortans
Primus in aduersos calcar adegit equo.
Non animus, non ars; non actio defuit isti,
Castore talis eques iudice Castor erat.
Quoque etiam mirere magis, sors adfuit ausis,
Dextera conatus iuuit & intrepidos
Audacis iuuenis: cui quæ potuere timori
Esse aliis, animos hoc magis addiderant.
Haud aliter quàm quæ sub iniquo pondere pressa
Fortius in pondus surgere palma solet.
Vnde nec egregii deceat reticere duelli
Successus sæui quod pepigere viri.

Quum legeret miles Teruennæ mænia celsæ
Anglicus Austriaci Cæsaris arma fouens.
Landrisiúmque minax peteret: spectabat ab altis
Turribus ardentes Gallica turba rosas.
Signáque ab antiquo niueis contraria signis
Nec culpare potens, vidit, & ingemuit.
Hinc dolor à visu sensim ad præcordia serpens
Gliscere conceptis cœperat igniculis,
Indignánsq; pudor generoso pectore sæuos,
Hortantum studijs, trusit in arma viros,
Fidentes certósque animi seu vincere detur,
Seu patriæ ante oculos occubuisse suæ.
Parua manus, memoranda tamen, nec ab hoste per atram
Inuidiam titulis expolianda suis.
Quæ simul vt conscendit equos, hastásque trementes
Strinxit, & admissis prosiluit spacijs:
Prouocat æquatos totidem concurrere nostrûm
Nec studio pubes defuit Angla pari.
Pulchrum erat eximia specie, & constantibus ausis
Cernere protentis qualiter abietibus
Commissi iuuenes campo hinc atque inde patenti,
Fata ferebantur in sua præcipites.
Ordine seruato, geminos nam tessera iussit
Expectare sua prælia pacta vicis.
Et quater innocuo pro cursu fauit vtrisque
Sors sua, seu ventos irrita tela leues,
Seu peterent fidis tutos thoracibus artus
Tot modo de solida frustula facta trabe.
Quintus at elato congressus fauerat hosti,
Pérque latus ferro lancea vulnifico.
Arma sub axilla iuuenis malè fida Britanni
Perterebrans summo tergore promicuit.
Saucius ille tamen notas nec liquit habenas,
Nec tulit indecori pectora lapsa metu.

At leuitèr propriæ conuersus ad agmina turmæ
SCHELLÆVM hijs vltrò sollicitat stimulis.
Ecce vides: socij nunc te per vulnera testor,
Effice successu turba inimica breui
Gaudeat: in te vnum recidit sors vltima nostrûm:
Et potes, & vindex dextera sæpè tua est.
Ingemit, & chari sortem miseratus amici
Totus in vltricem procubuisse vicem
Festinat, versánsque animo, nec vulnera pauit,
Nec fouit gelidos corde tremente metus.
Sed casus sermone breui solatus acerbos,
Ipse tui (dixit) vulneris vltor ero:
Si pater ille volet, dubia Mars prælia sorte
Qui serit, & lancem sustinet ancipitem.
Tu modò lætitiam hanc Gallis ne crede perennem,
Siquid adhûc nobis quod doleant superest.
Intereà aduersa SCHELLÆVM parte lacessens
Strenuus, & magnis viribus, hostis ait.
Congredere: ingratas quid fando intercipis horas?
An quæ facta vides, ipse futura times?
Erubuit, dubium est magis, aut excanduit alter:
Sed rubor ingenuo maximus ore stetit.
Nec mora: protensis hastis concurritur: altè
Vulnere defixo (Galle animose) iaces.
Collapsæque manus moribundo corpore telum
Ter traxere: suum ter simul officium
Destituere: leues vita indignata sub vmbras
Dum fugit, & versis sors reuoluta rotis.
Laudabant socij, nihil ille elatior vltrò
Laudabat victum, Fors (ait) ista fuit.
Signum erat hoc verè fortis, sensúsque modesti:
Nunc cape, seruauit qua pietate suos.
MISSVS *erat lectæ ductor conualle cohortis,*
Hostilis latuit saltibus ecce dolus.

Omnibus insidiæ prorumpere partibus instant:
Atque impar tantis parua manus timuit.
Quod faceret propriæ motus ratione salutis,
Non fecit multis quò fuga tuta foret.
Vos (ait) ô socij, fugite hinc, me millibus vltrò
Obijciam, restans occupat atque pylas.
Euadunt comites, infestis millibus vnus
Obstat, & angustis faucibus vnus obest.
Improbe quid tantos vno mucrone lacessis?
Scilicet ad Manes quò nec inultus eas.
Ecce ruunt in te solum numerosa caterua,
Tu ruis infestis obuius ordinibus.
Plúsque animo, quàm per vires contendis, & vrges,
Vi virtus tandem sed superata manet.
Captus ad hostilis ductorem duceris alæ:
Miratur facinus, consiliúmque tuum.
Præmia virtutis laudem quis ab hoste requirat?
Virtutem acceptam sed tamen hostis habet.
Namque ità nescio qua semper ratione paratur
Magnanimum simili sponte fauere suo.
Ast ea magnanimum tulerant si tempora Gallum,
Inter præcipuos Biseus, vnus erat.
Cuius vt ante oculos steterat SCHELLÆVS *inermis*
Olim etiam Gallo notus ab ore Duci.
Tu ne (ait) & gladio stabis sine? vix ea fatus
Discinxit proprium Biseus ense latus.
Huícque dedit, multo verborum affatus honore,
Maior laudati laus stetit ore viri.
Non malè mulctatum tenebroso carcere clausit,
Non duro captum perdidit imperio.
Sed miti tristem properans sermone leuare
Lenijt, atque æquo restituit precio.
Alterius forsan tali mens tacta periclo
Cautior, & posthâc segnis ad arma foret.

Immemor hic instare sibi: & discrimina rursus
Poscere: tum gladijs obuius ire nouis.
Riserat ex alto iuuenis successibus amplis,
Lætatúsque animo Mars pater indomito.
Hunc (ait) indignum est torpere per otia: castris
Tam bonus hic miles militet vsque meis.
Atque vtinam: sed fata breues licèt inuida cursus
Huic tribuere meo: sit tamen vsque meus.
Quod superest, ego tela dabo: submisero & hostem,
Cuius transfixo corpore, victor ouet.
Dixerat, & sonitum clypeo collisus aheno
Dat capulus gladij, duro adamante rigens.
Quo Deus ille truces mortalibus incutit iras
Horrendum Æmonijs rupibus ore tonans.
Intereà incertis bellorum fluctuat vndis
Hinc ferus assertor lilij, & inde rosæ.
Qualis si Danais Sigeio littore contrà
Troica sub signis læta iuuenta ruat.
Alternis vincunt vicibus, cedúntque vicissim
Lento congrediens vtraque Marte manus.
Ipsa cruentatis funesta Bononia campis
Stat tanti precium, causáque dissidij.
At mea non horum suscepit Musa labores
Dicere, nec litis semina sparsa trucis.
Sufficit ob Regum plebem deliria plexam,
Non semel hoc periјt crimine vulgus iners.
Te potiùs ter clare iterùm SCHELLÆE *canamus,*
Et tua marmoreis prælia digna libris.
Fortè recens equitum aduentans longo ordine turma
Auxilium fessis hostibus attulerat,
Pulchra armis, virides simul ornatissima sagos,
Argenti varium fimbria clausit opus.
Distinctæ ex viridi atque albo stant vertice cristæ,
Bellator simili tegmine gaudet equus.

Illa VIDAMENSIS *Carnutum Regulus arma*
Ferre dedit, pictas & simul induuias.
Exultans animo, atque opibus, tum flore iuuentæ
Dux iuuenum, & dominæ tactus amore nouæ.
Hinc etiam comites ignem traxere medullis,
AEmula dum laudis pectora oberrat amor.
Quisque suas gestit vires per facta referri
Fortia, quæ rediens narret, amica probet.
Quisque alacri exoptans animo meditatur in hostem
Irruere, & propior voce lacessit item.
Hæc oculis cernens toruis SVRREIVS HEROS,
Quem penes Anglorum tunc stetit imperium.
Non tulit instantes nostris illudere Gallos,
Notáque SCHELLÆI *pectora sic acuit.*
Aspicis? & patere intactos sub mœnibus hostes
Insolita demùm laude referre pedem?
Vade age. Sed multis feruentem accendere verbis
Quorsum opus? aut alacri subdere calcar equo?
Quà data porta ruit: comitum fidissima præstò
Corpora spectatum circuiêre latus.
Vt propiùs ventum est, designat quilibet hostem,
Quem petat, atque animos colligit inde nouos.
Ipsa cohortantûm vox mutua, murmure sensim
Crescit, & æratis adstrepit aucta tubis.
Non ea mens hosti contrà, discrimine aperto
Ancipitem Martis velle subire vicem.
Quin potiùs notas fraudum superare per artes
Tendit, & insidijs vincere dispositis.
Namque sub vmbrosa peditum manus abdita valle
Incautos lautè cingere docta, stetit.
Hûc vbi Gallus eques sensim retrò acta referre
Lilia: fallacis cœperat arte fugę.
Extemplò expertos SCHELLÆVS *doctior astus;*
Angla iubet fixo sistere signa gradu.

Solus

Solſus & explorans anteit: pernicior illum
Hiſpana genitus ſtirpe ferebat equus.
Et celer, & leuibus curſu contendere ventis
Et ſolitus docta flexilis eſſe manu.
Sic tecti patuere doli: ſed iniquiùs hoſtis
Pertulit inſtructos non latuiſſe dolos.
Ergò etiam aduerſa veterator prodit ab ala,
Prouocat, & Partha mobilis arte fugit.
Rurſus & inſtanti ſimilis redeuntia vitat
Prælia, nec iuſto comminùs enſe ferit.
Sed variè ludens (qualis Mæander in vndis)
Ipſe ſuas repetit, rennuit atque vices.
Scilicèt incautum partem tracturus in illam,
Quà ſtetit exſpectans inſidioſa manus.
Hic equidem dubio SCHELLÆI *pectora motu,*
Spemque, metúmque inter, ſic reputaſſe ferunt.
Perſequar? & tantos non inſcius induar enſes?
Solus ego? an tanti vincere non fuerit?
Ergò aſtu noſtris impunè illuſerit armis
Subdolus? & nulla laude meos repetam?
Non faciam: fors ipſa fauet benè fortibus auſis,
Sentiat iſte mea vel nece vulnus (ait.)
Verba ſubit fremitus medio imperfecta furore:
Igne micant oculi, pectora anhela micant.
Qualis enim Hircano tigris ſpoliata receſſu,
Raptorem catuli quærit odore ſui,
Atque agili præceps fertur per deuia ſaltu,
Rugitu horrendas teſtificata minas,
Mox vbi prenſuræ ſimilis ſine vulnere ſentit
Prædonem rictus ludificare ſuos,
Et fremit, & rabidos vibrata exurgit in vngues,
Et repetit caſſas, térque, quatérque vices:
Talis ab eluſa iuuenis violentior ira
Fruſtrantis gyros non tulit vlteriùs.

Sed propior, certúsque animi calcaribus actis
Lusorem infesto comminùs vrget equo.
Euolat instinctu sonipes, conamine certo
Hasta petit vafri subdola terga viri.
Non illum vlteriùs technæ, non proxima texit
Vis comitum, aut ferro lamina structa duplo.
Quin medias inter costas, per & ilia acutæ
Cuspidis, altè acto vulnere sensit opus.
Fraxinus æthereas fragilis pars scandit ad auras,
At bona pars miseri tergore fixa stetit.
Intereà immensus telorum personat imber
Certatímque omni missile parte volat.
Hinc eques effusus SCHELLÆVM *indagine cingit,*
Hinc peditis flammas machina tacta vomit.
Dira lues tetro passim ferit aëra bombo,
Plumbatásque noua mittit ab arte pilas.
Si non cuique dies certo suus ordine staret,
Et nequit inuito quisquis obire Deo:
Tunc poteras SCHELLÆE *mori, quum quatuor ictus*
Vulneribus (domini fortè pericla luens)
Conciderat rediens sonipes: sed fata sororum
Annuerant parui temporis esse moram.
Sic tua te trusit manifesta in vulnera virtus,
Incolumem at socijs sors bona restituit.
Singula quid memorem? finem quis quæritet ipsum?
Vix dolor id patitur, sed memorare decet.
ANGLIA *Scotigenis rupto cum fœdere læsa*
Misceret Scoto prælia cruda solo:
Adfuit hic præstò, decus, & tutela suorum,
Pulcher eques, pulchro conspiciendus equo.
Riuus vt in medio paulo torrentior ibat,
Constitit hic castris vtraque turma suis.
Est locus ad fauces, pago antè ignobilis, at nunc
Scotorum effuso sanguine, nobilior.

Donec

Donec enim pugnæ poterunt meminisse nepotes:
MVSKELBVRGVE tuum lugubre nomen erit.
Consilium capiunt animo non dispare vtrique
Flumine transmisso conseruisse manus.
At rudis armorum Scotus, numeríque recensor,
Stultiùs instructos tempsit ab arte viros.
Mene (ait) hos patria primum non pellere terra?
Ibitur: & primus consita signa tulit.
Quæ fuit (ô Superi) turbæ properantis imago?
Impetus instantûm quis fuit ille pedum?
Structa per vndantes hominum quot millia campos
Vidimus hastatis iungier ordinibus?
Quæ Pellea phalanx longis inuicta sarissis,
Immoto scisset si benè stare loco:
Sed nimium properans, & iniquo colle subire
Contendens, proprio victa furore fuit.
Victa fuit, sed non nimium victoribus ipsis
Sic placuit lecto sanguine parta salus,
Quum neque vel totum quandoque ignobile vulgus
Vnius egregij portio digna cadat.
Si numeres, Scoti innumeros: sin pectora libres,
Nos paucis nimio plus quoque perdidimus:
Queis neque nobilitas animosis defuit ausis,
Exitus aut claris dignus imaginibus.
Hij nempè in prima cataphractûm fronte locati,
Cæde viam socijs apperuere sua.
Cæde viam, & proprio redimentes sanguine, ius est
Hos paucos multis millibus anteferam.
Téque vel imprimis (SCHELLÆE animose) perenni
Te dignum est celebret nomine posteritas.
Iussus es oppositos à fronte vrgere maniplos,
Hijs seges armorum densa sarissa stetit.
Non metuens hostem, sed pugnæ expensor iniquæ
(Namque equites contis quis temerè obijciat?)

Consulis obliqui potiùs conanime flexus
Securè impeterent hostis inerme latus.
Consilio hoc (si non alijs mens læua fuisset)
Angle ferox nullo vulnere victor eras.
Non placuit tutum tumidus: vox ista senili
Prodijt, at fatuo est ore reiecta tamen.
Atque aliquis dicto cautum stricturus iniquo,
Ista (ait) à timido cautio corde fluit.
Ingemuit recti mens huic benè conscia, probrum
Altius ingenuo pectore despiciens.
Me timidum (ô Socij, vos & mea vulnera testor)
Nulla dies vidit, nulla dies videat.
Verùm ego ne frustrà videar maiora loquutus,
Efficiam, quis sim nunc quoque facta probent.
Si qua tamen nostris fors hactenùs æquior ausis,
Nunc ô successus inuidiosa neget:
Vos animos nostro ne despondete periclo,
O comites cœpti cura suprema mei.
Quin quod ago potiùs mecum vnà agitote, nec vltrà
Quærite, deuotum hoc quæ vocet hora caput.
Nam semel hocce mori, si sit perferre necesse:
Pulchrum est pro patria, coram oculis patriæ.
Eia ergò ô memores nostris insistite cœptis:
Est aliquid gelidos deposuisse metus.
Fortitèr impulsus acies inimica ruentûm
Sentiat, & latam fecerit acta viam.
Neue mei dubitet quisquam calcare iacentis
Pectora, si turbis sternor ab oppositis.
Seruiat hoc vobis saltem pro ponte cadauer,
Quem super Angla meam palma eat vlta vicem.
Dixit, & ante omnes cursu se protulit vltrò,
Primus in hostiles insiluitq; sudes,
Certior interitus per tot propè spicula certi,
Attamen illustris certior interitus.

Nec

Nec ſatis hoc fuerat, quin ipſo viuidus auſu
Plus oculos in ſe verterat attonitos.
Obuia proſternens ſtridentis more procellæ
Quæ venit à rapidis ſæuiùs acta Notis.
Vidiſſes fuſos latè dare terga maniplos
Quà ferus vrgentis mole ruebat equi.
Vndique Vulcano fabrefacta per arma magiſtro
Tutior, atque imos ferreus vſque pedes.
Nec mora, nec cædis requies tunc vlla fuiſſet,
Ni ſua ſucciſis munera poplitibus
Liquiſſet ſonipes non vno vulnere tardus,
Fatáque defungens acceleraſſet heri:
Qui ſemel excuſſus poſtquàm cingente corona
Impiger inſtantes reppulit enſe viros:
(Viſa cano) pugnæ memorabilis arte pedeſtris,
Suſtinuit valida prælia dura manu.
Qualia Tydidæ decuiſſent fortè lacertos,
Nec niſi conſerta vi ſuperatus erat.
Quum ſoli innumeros concordes crebriùs ictus
Incuterent, plagas & ſine fine nouas.
Sic demum moriens, ſed non ſine teſtibus, auxit,
Ille ſuis animos, hoſtibus eripuit.
GENTIS *enim fortuna viri deuota per auſa*
Vicit, & exemplo laurea parta ſtetit.
Num Decios igitur, vel te fortiſsima Curti,
Siue alios, quorum fama coronat opus,
Maiorem vera laudem virtute paraſſe
Contendat, quiſquis ſæcula priſca notat?
Si te facundis ciuem eueniſſet Athenis,
Seu te Romano tale patraſſe ſolo:
Turba tibi ſtatuas ſumma vel in arce locaſſet,
Lyſippúſque tuo totus in ære foret.
Certatim illuſtres canerent tua facta poëtæ,
Facta theatrali concelebranda choro.

Nunc quoniam hos plausus te nec sperasse fatendum est,
Pluris erit toto nomen in orbe tuum.

DEPLORATIO BELLI CIVILIS in Gallia exuscitati, Anno. 1562.

BVccina terribilem disclusit ahenea cantum,
Et ruit infausto Gallia tacta sono.
Quà Bellona fremens, furijs comitata ministris
Excitat instantes in sua fata manus.
Saeua ducum monitu, crispantur & impia tela:
Impia, maternis abdita visceribus.
Non iuuat, ipsa cadens nunc hos miseranda quod oret,
Nunc illos, gladijs victima facta suis.
Signa etenim, atque acies cognatis viribus instant:
Tam malè cognato sanguine constat amor.
Quaerimus hinc, diro quae tanta licentia ferro?
(Quis putet?) ecce suos Styx habet hic superos.
Dux Erebus vexilla mouet: Caeliq; misertus
Ipse Acheron gnatas iam iubet esse pias.
Æmula Nobilium grassata potentia, zelo
Nescio quo, tacitam praetegit inuidiam.
Plebs ignara animi, ventísque volucrior ipsis,
Arripit oblati semina dissidij,
(Ah misera) expansis citiùs quam debuit vlnis:
Vix iterum longa concilianda die.
Relligio hinc, atque hinc animos facit: omnibus idem
Est furor, obtenta sub pietate latens.
Velle Deos superos, & caelum humana per arma
Asserere, atque humeris sustinuisse suis.
Scilicèt haec Superos cura ambitiosa fatigat,
Nec nisi nostrati caelum habitatur ope.
Pronus in hec laeto incumbit spectacula vultu
Iuppiter: & veterum lignea turba Deûm:

Quippe fouent pugnas, pugnis miſcentur & ipſi,
Atque iubent aras ſanguine ſtare ſuas.
Nos quoque ſi Diuos iſtos dignamur honore,
Signat decet ferro cingere ſacra ſacro.
Sin colimus nullo numen violabile ferro
Dicito, gens ſtudijs tam malè freta tuis,
An Deus ille Deûm, patria qui ſede profectus
Mortales læſis iungere cælitibus,
Ipſe inſons, ſontes tanta pietate ſategit,
Sanguine Tartareum diſſoluítque iugum:
Hoc docet? an ſacri vult ſic ſibi pagina libri?
Tale quid exemplo prodidit ille ſuo?
Scimus enim cœnæ præcepta nouiſſima ſacræ
Quo pepigit pacis fœdere diſcipulis,
Qui nobis proprio veniam, pacémque cruore
Reddidit, auerſo reſtituitque Patri.
Et ſemel amiſſæ poſtquàm ſuccedere vitæ
Iuſſerat, ô memores viuite pacis (ait.)
Pax ego ſum: ſempérque meis patientia caſtris
Militat: hæc palmam cuncta ferendo refert.
Ipſe ego conſtituens deuicto ex hoſte trophæum,
Nonne crucem docui vos quoque ferre meam?
Nil moror aſſenſus leuium ſine pectore vocum,
Quas timor aſtrictis exprimit enſe viris,
Sed benè perſuaſo prius, & mea iura valenti
Inſinuo: inuitus nullus in ære meo eſt.
Ergò, nec mi opus eſt populis per tela ſubactis,
Sceptra ego Rex animûm nec violenta gero.
Nec mi acies poſco, ſed verba fidelia: quid vos
Arripitis, poſitis, arma aliena, meis?
Si mihi non tellus, non & vada cærula ponti,
Et ſimul ipſa poli Regia ſyderei,
Si mihi non toto quicquid ſubſiſtit in orbe
Factori, & Domino redderet obſequium,

Si mihi quum iubeam, Geniorum sedula præstò
Non adsint atomis millia plura, vagis,
Esset opus vestro (forsan) mea regna tueri,
Et cælum humano cingere præsidio.
Nunc, ego ab æterno mundi moderator, adempto
Auxilio, solus singula, cuncta, rego.
Decreui, & satis est: non vlla mobile techna est
Decretum magni, consiliúmque Dei.
Taliter, humano, loqueretur si Deus ore,
Excuteret plebi tela proterua suæ.
Nam neque vel gladijs pax hæc tranquilla cruentis
Nititur, aut mitis prælia Christus alit.
Hostis at humani generis Cacodæmon, & hydris
Vndique Tartareis noxia Tisiphone.
Hic iubet, illa faces submittit sæua rubenteis,
Sæuiùs horrendos & ciet ore sonos.
Vnde truces resonant bacchata per arua tumultus,
Et fora pacatis vtiliora viris.
At benè si monitis sapientum fidere priscis,
Mens hominum sciret, deteriora sequens:
Non adeò impunes, iuris sub imagine tecti,
Iura darent sceleri seditiosa manus.
Quæ tamen illicitos postquàm sibi cinxerit enseis
Paucorum occultis exagitata odijs,
Heu malè quam pulchris nouit pars vtraque verbis
Consilij Lernam dissimulare sui.
Vincat amor patriæ, legum & veneranda potestas,
Hic ait: ille etiam sic ait, ore tenus:
Pectore sed tristes vindicta exuscitat iras,
Et recolit causas, ambitione furens.
Si tamen vlla malos cohibet reuerentia, ius est
Flectatur patriæ vel prece quisque suæ.
Flebilis, & cultos pridem neglecta capillos
(Heu pietas) passis GALLIA *stat manibus.*

Implorán sque

Implorásque suos fundit mæstißima verba
Verba quidem duras apta mouere feras.
Sic ait: ô nunquam longa fruitura quiete,
Gens mea, nec stabili sistere docta loco.
Ingenium sortita leues procliue per iras,
At sensim admissas ponere sueta minas.
Post varios casus, post mille pericula, rupto
Et toties læsos fœdere finitimos.
Nunc vbi bella foris desunt, furialibus ausis
An mea vos gladijs viscera inire placet?
Vt serpentigenas Medeæ crimine fratres
In sua congressos vulnera obisse ferunt?
Huccine longanimis recidit pars vltima cœpti?
ITALIA, & vana spe repetita fugax?
Insubrûm vt matres, Transalpinæque puellæ,
Iusta ferant vltis, vestra per arma, viris?
Quis pudor? olim ingens porrecti gloria sceptri:
Auxilium miserè, nunc vel ab hoste, petit.
Quem toties lædit, supplex nunc mulcet: & hæc est
Alternæ sortis tessera, & ordo vicis.
Ne nimiùm faustis mortalia pectora rebus,
Aut fidant partis desidiosa bonis.
Quid tamen hijs precibus tandem speratis ăb hoste?
Scilicèt, vt partis vulnere pars superet?
Vt mihi dimidio tantum sit corpore vita?
Dimidium truncent lictor, & exilium?
I nunc alta tui fac narres facta trophæi,
Quisquis es exitio victor inique meo.
Inscribásque tuis carmen lachrymabile lauris:
Corruit auspicijs gens mea victa meis.
Ergò ego quæ genui, vestro lymphata propago
Sanguine, puniceam cernere cogar humum?
Et mihi pinguescent per vestra cadauera campi?
Quo plorem? tanto crimine facta ferax?

Nec vos ſurgentis cohibet reuerentia regis,
Hæc olim forſan qui meminiſſe volet?
Ille quidem præſtat, quantum puerilibus annis
Eximio poßit rex puer ingenio.
Sed ſolet hoc regno vicium commune nocere,
Rex puer, imperio ſi minor ipſe ſuo eſt.
Quarè agite, ô nimiùm ſeri ſecura flagelli
Pectora, ſed ſero debita ſupplicio.
Dum licet, indulgete odijs: ſine vincat vteruis,
Tempus adeſt certè, quo breue victor ouet.
Nam repetet cauſas, tantique exordia belli,
Ille meus, præſtò vir, meus ille puer.
* Cæſu. *Tum neque ſat fuerit *aut hæc, aut illa referre,*
Purgantes patrij ſemina iacta rogi:
Quum penitus toto oſtendens mea ſtigmata vultu
In nequam ciues ipſa ego teſtis agar.
Expoſcámque meos, quos veſtris inſcius error
Miſcuit, at veſtro crimine diſsidijs
Tot pueros, matréſque vnà, miſeráſque puellas,
Et paßim cæſos occidione ſenes,
Et mea ciuili liuentia flumina tabo,
Oppida mactatis & violata viris.
Nec dubito comites quin arma infauſta ſequantur
Peſtis, & incuruis vnguibus alta fames.
Nec mihi profuerit gladios vitaſſe, reuerrant
Hæc mala collectas ſi mihi relliquias.
Quid? quod & extremum ſubeo iactata periclum
Vt ratis admiſsis ſiqua fatiſcit aquis?
Tot ſimul hoſtiles perflant mea turbine venti,
Et latera, & medios ſæuiùs vſque lares:
Vt dubitem (ſed vana precor ſint omnia) quorſum
Vindicta externis nititur auxilijs?
Scilicet arbitrio ſortis committitur, an ſim,
Quæ fueram, an dominis præda petenda nouis?

Dij melius: sed & hæc, aut hijs grauiora timebit,
Qui rudis in læsis spem locat ante viris.
Ne precor vsque adeò iuuet hoc vicisse periclo:
Ponite sedatis tela proterua animis.
Hactenùs insanisse sat est: exurgat vtraque
Parte ferens ramos, mitis oliua, tuos.
Et sanctum æterno fœdus connectite vinclo:
Hæc rata sit pacis formula scripta nouæ.
Primum equidem memores ne quisquam exerceat iras:
Longùm lethæis sed benè mergat aquis.
Si puer, aut virgo est maturis nubilis annis,
Connubijs firment mutua pacta duces.
Ne liceat dicto posthâc perstringere iniquo,
Qui tibi diuerso dogmate vota fouet.
Millibus hoc fas sit concedere: libera sunto
Ista quibus freti relligione ruunt.
Non vestrum (ô pueri) tantas componere lites:
Hæc Deus arcanis pensitat ipse modis.
Principio potuit forsan, medicina parari:
Tarda solet longæ cura subire moræ.
Vultis vt ex isto resecentur corpore næui
Vndique morboso, brachia, crura, pedes?
Vt malè chirurgis tandem medicata cruentis
Sic superesse queam, quid superesse datis?
Vix bene quòd laceri dignabor nomine trunci
Non placet hoc tanto vulnere parta salus.
Nec placet hoc criticis iactatum vocibus vnà
Dissimiles ritu non benè stare viros.
Mallem equidem similes: sed nulla, aut lentior extet
Flexio naturæ iam semel arboreæ.
Quid facias? si interna Deus sibi vendicet vnus?
Spectet & externos si Politeia modos?
Messis habet lolium, lappas, tribulósque, rubósque,
Separet hæc Dominus tempore quæque suo.

Intereà Iudæus, Arabs, Romanus, eiſdem
Mœnibus, aduertat qui regit, eſſe queunt.
Tam placidi vt nullis facies maris excita ventis
Arte caret, nequiens iungere diſsimiles.
Quid Deus? an mundi diſcors concordia pugnat,
Quominùs ipſa ſuo ſtent elementa loco?
Quid vafer in caſtris diuerſo milite ſeptus
Annibal? an turbam reppulit ipſe ſuam?
Qúmque tot oppoſitos cultu, patriáque tot annis
Duceret, an ſenſit ſeditione graues?
Quid memorem Conſtantinos? & qui priùs & pòſt
Cæſareis dignè præfuerant titulis?
Vrbibus an varios paſsi regalibus, vllo
Diſſona plexerunt pectora ſupplicio?
Si non inſigni petulantia turbida motu,
Læderet imperij publica iura ſui?
Hij fructum pietatis habent encomia ſæcli:
Nulla tyrannorum ſpicula tale ferent.
Nam Decij, Domitíque cruces, & cruda Neronis
Tempora quis Stygijs non notat apta locis?
Mitto ego ſed veteres, quid ſuadent facta recentûm
Cauſa eadem in partes nunc vbi vulgus agit.
* Cæſu. *Illic flauicomis quà turgidus it *Alemannis*
Rhenus, & expoſitis diffluit Albis aquis.
Vrbs vrbi, vir & ipſe viro contraria ſentit
Hijs ſuper, at nullus hijs ſuper arma capit.
Nec ſemel obloquitur, quin & connubia iungit,
Conuiua & multo conuenit (ecce) mero.
Tam faciles, facile ingenium, ſi reddidit illos,
Quid mea gens toruos hîc imitare Getas?
Ah pereat quicunque nouis exulcerat auſis
Lernæum, ſerpit quod magis inde, malum.
Si benè compoſita tandem ratione quieſſent,
Forſan & æternus hæc ſopor exciperet.

Crede

Crede mihi in vitio est tractatio praua iubentûm,
Plebs vbi inhumanum respuit imperium.
Scilicet excutitur metus, & reuerentia, maior
Si metus intentos quid vereantur, agat.
Relligio insidens animis euellitur ægrè,
Nec nisi persuasu cesserit illa loco.
Est aliud cogi per vim, per vincla, per ignes,
Est aliud blanda comitèr arte regi.
Quàm multos videas pressos contendere contrà?
Dimitte, & nullo languor ab hoste venit.
Vis malè cum toties cessit, tolerantia præstat
Mutua: lenibit multa ferendo dies.
Tempus habet vires, plus quàm medicamina centum:
Tempore fac cöeant vlcera hiulca suo.
Tempora quinetiam venient annalibus apta,
Quum serus releget sæcla priora nepos.
Miratúsque suos proauos: anne (inquiet) hæc est
Illa quidem tantis acta querela odijs?
Dispudet: & mallem ciues ciuilibus vsos
Ingenijs, talem non subijsse notam.
Alma super tales deplangens Gallia questus
Finierat, madidas imbre rigata genas.
Ter tonuit summa iaculatus Iuppiter arce,
Ter quoque commotum mugijt (ecce) solum.
Diriguere virûm pallentia protinus ora,
Conscia sollicitus corda timor subijt.
Quid faciant? durum est incepta relinquere bella,
Durius, aduerso continuare Deo.
At vos, ô proceres, tandem cöeatis in vnum,
Ne pigeat longas anticipare moras.
Longior hæc prima spe tela ordita cucurrit,
Infaustum rupto stamine sistat opus.
Si faciles positis dextras coniungitis armis,
Vt maneat prisco gratia vestra loco:

Extemplò renouæ ſtabit concordia plebi,
Rurſus & adnatis creſcet amicitijs.
Sanctiùs à memori pax clade redempta coletur,
Neſcierat pacis commoda, pace fluens.
Dulcis inexpertis damnoſi eſt alea Martis,
Expertus ſacris poſtibus arma dabit.

Autoris Diſtichon.

H*AE C cecinit, Galla qui non ex ſtirpe profectus,*
Pacis amans, Chriſti pignora vbique fouet.

AVLICÆ VITÆ AD RVSTICAM collatæ, vituperatio.

Q*V I rudis inflatos Tyrio miraris amictu,*
Ipſe per ambiguas inſcius ire vias,
Quique Palatinæ iuuenis ſpe tangeris aulæ:
Admoneo referas ad meliora pedem.
Flexilis eſt ætas iſthæc tibi: cerea ſunt hæc
Fræna, quibus dubium tu moderaris iter.
Si malè firmato per ſaxa latentia greſſu
Laberis: heu præceps quò ruiture cadis?
Eſt via (confiteor) mollis quæ ducit ad aulam,
Tota ſuper blandis ſuaue refulta roſis.
At tibi tam vaſtos ſubtùs recludit hiatus,
Vt modò ſtans, puncto temporis ima petas.
Ne verò confide cadens, neque poſce benignam
Alterius, pridem qui tibi amicus, opem.
Sortis erat, non ille tui ſectator: adempta
Sorte, Palàtinus nullus amicus erit.
Vnquàm etenim ſeruilis homo liberrima puræ
Iura colat, quæ nec nouit, amicitiæ?
Quum ſemper ficto incedat verſatilis ore,
Nunquàm non vafri Polypus ingenij?

Si nescis: totum sese tibi spondeat: insta,
Quando opus est: fractum negligit ille virum.
Quippe per alterius gaudet scandisse ruinam,
Captat ab augusta qui data dona manu.
*Et statione manet vultus vigil arbiter, aureis** * Synær.
Quo teneras verbis mulceat oppositis.
Nec dubitat laudare palàm, turpissima laudet
Illa prior stupido quem colit ore Thraso:
Rursus & impura lacerare vel optima voce,
Displiceant Domino si benè facta suo.
Quorsum ergò ingenuæ flagrans virtutis amore
Intras damnosæ conditionis iter?
Si nihil est quod des: pauper contemneris vltrò,
Si nihil attuleris: pauper abito foràs.
At tibi nummosa crescat si census in arca,
Crescet onus diræ sic simul inuidiæ.
Sic tua conciliat delator prædia fisco:
Cogit & innocuum ferre pericla caput.
Vt potiùs dempta tot agrorum mole, Philemon
Esse velis pauper, cui pia Baucis anus
Prandia non magno, præbebat parua, paratu,
Prandia conuiua rustica digna Ioue.
Scilicèt alma fides, probitas, candórque perennis
Et pudor, & puræ relligionis amor
Rura colunt: paruósque lares, tacitósque recessus
Syluarum, & fontes lenè fluentis aquæ.
At bifores vitant regalia limina valuas:
Illáque Penelopes atria plena procis.
Fraus vbi, & insidiæ, ridenti atque ore profundus
Liuor, & indignis artibus ambitio.
Omnia purpureæ penetralia protinùs aulæ
Præuenère, bonis ne locus esse queat.
Ergò nec aspecta tutum est diuertere porta
Ingrediens planus, quà planus egreditur.

AEgide, falcata, sumptísque talaribus, harpe,
Et benè ceratis auribus illi opus est,
Qui tot monstra simul, solo comitatus honesto,
Confidat patrio pellere posse loco.
Mitte suis AEnea Harpyias viuere regnis:
Atque alias sedes (Trospie) quære tuis.
Est locus: Ausoniam sacri dixere Poëtæ:
Saturnus priscam rexerat Ausoniam,
Innocuísque viris, medio vel rure, sub ipsis
Aureáque arboribus sæcula constituit.
Hanc pete, quacunque est: dudum vetus illa profanis
Amisit nomen, trita tot hospitibus.
Saturnique sui præsentia Numina perdens,
Dedidicit mores, aurea sæcla simul.
Quære, fides vbi sit? probitas? candórque perennis?
Et pudor? & puræ relligionis amor?
Illic Ausoniæ portus intrasse recentes,
Téque puta fessis figere templa Deis.
Sique fides, probitas, candor, pudor, & pia Diuûm
Relligio agrestes nunc subière lares:
Ruris amor Diuos (inquam) si mouerit ipsos
Mutasse incultis oppida culta casis:
Tu quoque tranquillam, terris iactatus, & alto,
Ausoniam ruris sedibus inuenies.

DE TEMPLI DIVI PAVLI TOTIVS Angliæ celeberrimi conflagratione. Quarto die mensis Iunij. Anno 1561.

Ad vrbem Londinum Apostrophe.

VRBS antiqua situ, domibus, populóque superba
Londinum, Thamesis præterlabentis & vndis,
Tot regum longo variorum regia tractu:

An quòd amœna tibi facies hinc, inde viretis
Clauditur? arboribúsue frequens quòd villa sub ipsis
Mœnibus erigitur, patulis vmbrosior hortis?
An quia nauigero refluum tibi flumen in alueo * * Synær.
Innumeras toto merces conducit ab orbe?
An quia nubiferis tibi tanta palatia surgunt
Turribus? an potius tibi quòd numerosa caterua
Itque, reditque vias, atque ipsa vndantia complet
Compita? siue alio tandem te nomine iactas?
Anne (inquam) posthâc iacturæ conscia tantæ,
Ausa eris vlla tuis admittere gaudia curis?
Donec magna graui casu domus illa Tonantis
Illa domus (reliquis ceu Phœbe augustior astris)
Quæ cœlo caput attollens inferre solebat,
Mole sua minor est toto nunc vertice, sæuos
Traiectu horrendo quà passa est fulminis ignes?
Vnde vel ambustos tendens ad sydera vultus,
Nunc quoque, nescio quid mirandum clade stupenda
Exprimit, atque oculis mater miserabilis affert
Mœrorem ingentem nostris: dum cana perustis
Marmoribus, vellet, si non oppleta fauilla
Exerere arentes in verba querentia fauces,
Auxiliúmque tuum, ni tu bis saxea torpes,
Implorans adeò, flagranti exposcere voce.
Sæpè quidem tristes sensisti noxia clades,
Omina sæpè etiam nimiùm prænuntia veri,
Præmittente Deo, nimium resupina, tulisti:
At nunc alta tui capitis quum gloria, tali
Tota quidem irati flagrârit Numinis ira:
Quid dubitas, tremulis tundens tua pectora palmis,
Agnouisse scelus? quo tu temeraria tandem
Mite Dei pectus vindicta armaueris alta?
Quam (ni vana fides eludit seria risu)
Iam parat: hæc pœnam non vana ostenta minantur.

Ergo (si quis adhûc precibus locus) exue mentem
Marmoream: largóque rigans tua lumina fletu,
Pectore fac vnà ducas suspiria ab imo,
Prona Deum venerans, & multo squallida sacco,
Fassa etiam meruisse, Dei diuerte flagellum.
Si pudet, & peccâsse piget, miserebitur vltrò.
Nam faciles cedunt animis cœlestibus iræ:
Nec punisse iuuat, quorum est conuersa voluntas.
At si inuersa manes, si delectaris iniquo,
Iamque habitum indueris: ferus omnia Iuppiter Argos
Transferet, inque nouos soluet se Troia campos.
Hac igitur primò placabis Numina parte
Procurans. Age, Lerneas videamus Echydnas
Vndique cœnoso stagnantes pectore ciues
Euomere, & pura cordis penetralia lympha
Expurgare, vices nouies abluta nouenas.
Intùs agant solidis hæc vera piacula sacris:
Intùs habent, Argum quod non latet omniuidentem.
Nil iuuat (an sperent cœlestia Numina falli?)
Nil iuuat externus niueo candore ligustra,
Vincat item canos paries gypsatus olores:
Si domus interior limosis obsita crustis
Fœda sit, ac scopæ vix dum laquearibus vllæ
Euerrisse queant telas quas pendula Arachne
Induxit, tabulísque situ squallentibus alto.
Mundis munda placent: quid Numine mũdius ipso est?
Succedet Pater hospitio, renitescere plebi
Vsquequaque tuæ videat si pectoris album.
Naribus offensis vitat loca fœtida: sordes
Non amat, & fucum vitat cane peius, & angue.
Te verò an vultus quisquam putet obdere fuco?
Assimulare super, verbo tenus, illa minori
Quæ digito sensus nunquàm demittis in imos?
Eloquor? an sileo? sed enim admonuisse sat esto.

Differis

Differis egregiè, Stoæ miranda vel ipsi
Facta probent, quod lingua sonat, nihil amplius addo.
Parte alia immiti quoniam ter maxima flamma
Ipsa ante ora ruens ædes veneranda tuorum,
Funesto sacras fœdauit stigmate turres,
Vnde hodiè fœdo totum decus vrbis hiatu
Scinditur, aut potius tanquàm ingens littore truncus,
Turpis mole sua est, capitis cui gloria desit:
Ne reputes (famæ prudens si parcis auorum,
Siue tui quicquam tangit te cura) futurum
Amplius insignes inter numereris vt vrbes,
Ni satagas oblita ioci, somníque, cibíque,
Indefesso animo, & totis incumbere neruis,
Maius vt exurgat, tectísque insignius amplis
Quàm fuit olim ingens, ante illa incendia fanum,
Fanum equidem toto quo nil augustius orbe
Ipsa peregrinis vox linguis ædita fassa est.
Nec dubito: sparsit longinquas fama per aures
Excidium delubri atrox, & tristia fata
Paulini, gemitúsque absentûm pectore seuit.
Vnde etiam, si quis longinquis vectus ab oris
Quondam hospes, notas oculis quæsiuerit arces,
Pyramidémque ipsas ferientem vertice stellas,
Tale videns penitus fato decus vrbis, & orbis,
Concessisse graui, tales hic pectore questus
Aut dabit, aut potuisse putabitur: Heu quibus, eheu
Casibus humanos conatus Parca fatigat?
Et quid non posthâc fluxum, & mortale putandum est?
Postquàm etiam istius structura adamantina templi,
Quod stetit, atque tulit nongentis amplius annis
Agmina ventorum toties aduersa furentûm,
Tot nubes, totis iaculantes viribus imbres,
Tot sólésque, hyeméſque, & quicquid ab æthere durum
Dura solet tandem penetrare in saxa, trisulci

Non tulit (heu fatum miserabile) fulminis ictus.

Templi Deo gratissimi reparatio.

Longa dies adimit mutato tempore multa,
Quæ pòst mutato tempore stare iubet.
Quæ collapsa iacent operosi pondere cultus,
Stabunt natiuæ simplicitatis ope.
Deme peregrinos tota de mole paratus,
Internam & fido marmore sterne domum:
Quò Pater omnipotens, hominum commenta perosus
Purior in pura gaudeat esse domo.

DE PACE, INTER PAVLVM quartum Caraffam, Pont. Maximum, & Philippum secundum, Hisp. Regem Catholicum sancita: Anno. 1550.

VEnit ab Italicis nuper gratissimus oris
Nuntius, albenti referens signanda lapillo,
Pontificem, solio Petri quem Roma vetusti
Suscipit, antiqua genitum de stirpe Caraffa,
Et (quo te iactas fœlix Hispania) magni
Fortia Caroliden superantem facta Parentis,
Seposito lenti tandem conamine belli,
Pacatas lætos iunxisse in fœdera dextras.
Mirum equidem potuisse dolos fallacia corda
Gallorum leuium tantos fabricare, susurris
Astutis, dum Paule, tibi nil tale timenti
Inculcant, teneras captantes molliter aures,
Nescio quid, tantæ vix dignum nomine turbæ.
Qua tamen alma dies, dudum mortalibus ægris
Vix concessa, iterum perturbaretur ab imo.
Hinc semel immissæ indulgens procliuius iræ

Tentasti

Tentasti ancipitis, grandæuus, prælia Martis,
Zelo animi (fas est sic credere) belligerantis
Pro patria, & triplici, quam gestas (Paule) corona.
Te licèt auxilij, deceptum nomine falsi,
Promissis largus, sed Gallus viribus impar,
Propulerit socium, socia agmina iungere, & vnà
Ingruere in placidi pacata silentia regis
Hesperij, inuito, mitémque lacessere bello:
Qui tamen vt decuit, pius & placidissimus hostis,
Continuit sese, monitis bella aspera mulcens
Albani Ducis, instantis, iam iamque ruentis,
In dirum Romæ exitium, per & ilia tristi
Iam confecta fame, mox danda & pectora ferro,
Abnuit inuisos de te celebrare triumphos,
Hoc Petri augustæ tribuens (ô Paule) cathedræ.
Quippe resistentum læsus non corda superba
Excidio vlciscenda putans, (decet vltio crudas
Præcipitata feras) lenta at mitissimus ira
Prætulit expectans cunctando vincere, puras
Quàm temerare manus, resperso sanguine plebis,
Immeritò alterius luituræ crimina culpæ.
Vsque adeò teneris multum est assuescere ab annis
Imbutum pietate virum, & virtute paterna.
At tu Paule senex, populi, morúmque magister,
Cuius ab exemplis passim tot millia pendent,
Ne reputes nullas tanto hoc pro pignore laudes
Esse tuas positis, quod nunc pax alma, querelis
Mercatorem auidas, spe plenum, trudit in vndas,
Agricolam duro, impigrum commendat aratro,
Pastorem pecoris, deducit montibus altis
In valleis, vbi læta ruunt per prata iuuenci,
Rusticus ad calamos plaudens pede saltat agresti,
Vrbanus reparat ludos per vasta theatra,
Lacte fluunt amnes, dudum quæ sanguine, cornu

Copia Amalthæum rursus depromit, amænis
Cuncta iocis, multóq; sonent quod sparsa cachinno.
Hæc tua (si lacerum Christi iam cogis ouile:
Si satagis seruare gregem de fauce luporum)
Hæc tua sunt propriè, potius dignissima, pastor
Munera, mortales per te quod pace fruantur.
Pax igitur, pax ô, florenti tempora lauro
Cincta Latinorum peragrabit cultior vrbes.
Præcipuè te Roma, tuásque ascendit in arces.
Quo me Musa rapis? video (ni fallor) & absens
Aspicio populi, vndantis per compita, cursum.
Ecce micant pingui domuum fastigia tæda,
Et displosa tonant tormenta minantia cælo,
Dum clangente tuba, resonatur grande, & acutum.
En flores plebs spargit ouans, pictísque tapetis
Atria nobilium, & multo noscuntur ab ostro.
Clamat Iô pars hæc, pars hæc tibi concinit hymnos
O Christe, en pueri imberbes, castæq; puellæ
Fundunt ore preces, puro & de pectore, pacis
Te largitorem, qui pax es vera, ferendo.
Ipse manu senior Paulus, comitúmq; caterua
Cardinis à titulo, quos ardens purpura vestit
Thuribula excutiunt auro fulgentia: nares
Gratus odor Superûm penetrat, ferit æthera cantus.
Salue festa dies. Salue ô Pax optima, salue.

In Decoctorem mollem.

Mollia semiuiri vis stragula Sardanapali,
Et pluma fultos, mollior ipse, thoros.
Dura reformidas posuisse cubilia viuo
Cespite, vel simplex quod tibi sternit humus.
Fastidis genuina (nepotum maxime) perdunt
Te noctes Sybaris, perdis & ipse dies.

Fercula

Fercula corrumpis medicato rara sapore,
Vina voras, iterùm tentior ipse vomis.
Hûc hûc maiorum processit cura tuorum,
Hæc est antiquæ maxima palma domus.
Quæ multos fuerant olim ægrè parta per annos,
Mensibus en paucis distrahit iste nepos.

Ad Rufum medicum.

MAne soles summo Phœbum præuertere Rufe:
Surgis enim dum nox non benè tota abijt.
Esse quid hoc dicam? languentis tu (scio) dicis
Quòd stomachi vires surgere mane acuat.
Sic puto: nam medicus dum centum consulis ægris,
Edicísque cibis à quibus abstineant:
Macra priùs tibi zona refert sestertia centum.
Siccine languentem (Rufe) acuis stomachum?

In eundem.

EGregiam verò laudem, solidósque triumphos
Rufe refers, mira est effrictæ gratia frontis:
Hoc salsum esse putas? vis sic vrbanus haberi?
Non inuitatus mensas conuiua alienas
Inuadens, tanquàm Menelaus Homericus? ergò
Fercula dum immiti percurris singula dente,
Pocula dum exiccas vinique tricongia, buccas
Dumque ambas reples, buccellis Pamphagus amplis,
Et sapis arguto morsus variare palato:
Distento, quàntum satiata cruoris hirudo,
Ventre abis, & te non posthâc tria lumina Phœbi
Conspiciunt, trinis epulis caua cuncta refertum,
Tergeminum satagis dum somno extertere villum.

In Astrologomastigas.

SAEpè solet monstris Titanum terrea proles
Insurgens, ipsos sollicitare Deos.
Num centum Briareus manibus diducere cælo
Conatus Superos, & violare Iouem,
Enceladúsue ferox, aut cætera turba Gigantum
Plus poterant, ausis in sua damna truces,
Quàm cælo audaci, atque astris conuitia lingua
Ingerere, atque alti temnere signa Dei?
Certa catenatis quem constat singula causis
Efficere, & nullam poscere sortis opem.
Sint licèt occursu qui constantissima cæco
Astra putent temerè munus obire suum.
Corpora nec vires vllas cælestia nostris
Corporibus motu subdere posse suo.
Hæc olim audaces Epicuri de grege porci
Dicta, Gigantæis asseruere modis.
Impius est, cæco qui volui singula casu
Asserit: & nullos, aut nihil esse Deos.
Qui nullos statuit, cælum tueatur, opacis
Luminibus magnum concelebrare Deum.
Ordine tam certo labentia sydera, quisquis
Numen habere negat, numina nulla putat.
Qui frustrà, & nullos contendit sydera in vsus
Tot Zonis vasti cingere septa poli:
Dignus erit nullos astrorum cernere cursus,
Cæcus at in tenebris viuere Cimmerijs.

Epitaphium D. Ioannis Cheki.

Tu nunc exuuias liquisti corporis huius
Cheke, Deo viuens, lux noua iuncta polo.
Fulsisti inter nos lumen radiantius, & nunc
Astra tuo exortu, languidora micant.

TRANSLA-

TRANSLATIO QVORVNDAM CARminum quæ Gallico primum sermone conscripta, à serenissima Scotiæ Regina in mutuæ amicitiæ pignus, vnà cum excellentis operis ANNVLO, in quo insignis adamas prominebat, ad Serenifs. Anglię Reginam Elizabetham missa fuerant.

Adamas loquitur.

NON quia duritie superem ferrúmque focúmque,
Sculpta nec artificis glorior ipsa manu,
Nec quia gemma nitens operoso cingar ab auro
Pura quidem, & Phœbi sydere candidior:
Sed potiùs cordi similis mea forma, quòd ipsum
Cor Dominæ, excepta duritie, exhibeat.
Nam quod ab oppositis non vincitur, & sine næuis
Candida quod tota est, his ego, & illa, pareis.
Credere quis possit? postquàm me emiserat illa,
Mi Dominam rursus posse placere nouam?
Sed placet: hoc faustæ fælix en debeo sorti,
Me Regina iterùm, nec minor ista, tenet.
O vtinam ambarum benè possem adamantina vincla,
(Ore fauete omnes) cordibus inijcere.
Quæ neque liuor edax, neque falsis acta susurris
Suspicio, aut caries temporis vlla, terant.
Tunc ego ab Eois dicar celeberrima gazis,
Hîc etiam gemmas vincere præcipuas.
Tunc ego perstringam tremulo fulgore coruscans,
Adstantûm, immissis lumina seu radijs.
Tunc ego seu pretio, seu quæ me prouocet arte,
Gemma, adamas firmo robore prima ferar.

EPITAPHIVM D. THOMÆ PARRII Equestris ordinis viri, Serenissimæ Angliæ Reginæ Elizabethæ Consiliarij.

Parrius antiquo didicit pro more, fidelis
Esse, quibus votum præstitit obsequium.
Magnum erat, hunc magno Crumvvello prima iuuentæ
Tempora laudatis attribuisse modis.
Maius erat, quòd res regalis ritè puellæ
Oeconomus, tanto tempore, disposuit.
Quòd tibi neglecta propriæ ratione salutis
Adfuit, & rebus (Elisabetha) tuis:
Quum fera ab offensa manantia iussa sorore
Innocuam, indigno carcere condiderant.
Maxima sed meritò sibi laus debetur, adultæ
Quod Dominæ placuit iam magis, ipse senex.
Pectore quòd placuit nudo, sermonis amator
Nudi, & subtristi candidus ore tamen.
Quòd placuit multis, multorum sedulus vltrò
Quòd fauit causis, nullius obfuerat.
Hinc Regina potens, vnum hunc prolixiùs, vnum
Culta memor veteris officij coluit.
Atque ità quòd fatis hoc concedente, rigasse
Ipsa suas fletu dicitur vsque genas.
Fælicem Domina te (Parri) tunc pietatis
Illa tulit fructus, tu simul officij.
Sic properent alij, Dominæ præstare merenti
Rem, vitam, & si quid charius esse potest.

EPITAPHIVM D. GVLIELMI PAgetti Baronis de Beaudeserto.

Collocutores. Genius. Viator.

Genius.

Ossa tegit tumulus, mens cælo emissa potitur:
Hæc olim iunget, sed meliora, Deus.

Fata

Fata viam inuenêre, manet post funera facti
Gloria, tu violis sparge viator humum.
Sparge rosas, nec parce croco, cumuletur honore hoc
Quòd gremio tantum pignus opaca fouet.
Inde oculos ipsis intendens fixiùs astris
Sparge preces: animam hanc non malè vota decent.
Quæ benè cum vixit terrenæ subdita moli,
Nunc leuis est puris addita stella globis.
AEternùm salueto ergò, dic atque valeto,
Vir memorande tuis, vir memorande aliis.
Vixisti hic clarum patriæ decus: hinc tua viuet
Fama rogum superans, viua per ora virûm.
Liuor iners falsis potuit te onerare susurris,
Dum vixti, hinc abiens maior es inuidia.
Pœniteat viuos: tu iam securus Olympo es:
Nos desiderium sæpè, magísque premet.

Viator.

Q*Vorsum hæc? quis (quæso) de tot vel millibus vnus*
Promeruit fatis sic superesse suis?

Genius.

Q*VI viuus voluit virtutem extendere factis,*
Qui patriæ curam prætulit vsque suæ,
Qui iuuit multos, qui læsus leniùs ipsos
Pertulit ingratos, nec grauis vltor erat.
Qui dextrè ingentes rerum direxit habenas,
Hic meruit fatis sic superesse suis.

Viator.

P*Romeruit, si talis erat: si tempora tales*
Ista ferunt: paucos quid vetat esse, tamen?

Sint aliqui, demus, media inter millia cygni
Coruorum: durum est dicere, nemo probus.
Iste tuus si cygnus erat, ne pluribus (oro)
Suspensum teneas, nomen at ede viri.

Genius.

SI nescis Pagettus erat, cui fila sororum
Fluxerunt paulò quàm potuere minus.
Inuida quandoque est Lachesis: nunc pollice blando
(Vt reor) optantis stamina dissecuit.
Æger, & impingens non in sua tempora, soluit
Ritè senescentem iam satiatus equum.
Nunc lapis hic loculo sacer est, & manibus: illum
Fausta quies vndis æquoris eripuit.
Consilio, eloquio, pietate, & pectore largo
Præstitit: hijs tenues artibus auxit opes.
Prole, vxore, domo, numeroso & iugere fælix,
Si tamen hijs fælix dicier vmbra potest.
Vmbra sumus: fuit hic ingens: quod denique restat,
En quanti cineres quàm breuis vrna capit.

Viator.

ILlius? vrna leuis placida premat ossa quiete:
Ossa (precor) longùm non temerata cubent.
Tam benè, quàm patrium reduci mens æthera saltu
Scandit, & est supero pars numerata choro.

EPITAPHIVM THOMÆ PHAYRI
Medici.

PHayrus erat longis noster dignissimus annis,
Indigna peryt noster at ille nece.
Nam domini culter, quis vitet fata? cruorem
Hauserat, hæc lapsus culpa proterua fuit.

Hoc

Hoc Nymphæ fleuere diu: syluæque virentes
Deposuere comas: sanguine terra rubens
Erubuit: Musæ vati lachrymabile carmen
Crinibus effusis concinuere suo.
Quod placuit Musis, Musarum cultor Apollo
Hunc plectro, hunc medicis artibus instituit.
Huic dedit ipsa Hecates pallentia nosse venena,
Omne quod & Lybicis reptile serpit agris.
Huic etiam Pallas naturæ arcana retexit,
Quicquid Arabs docuit, quicquid & Indus habet.
Non illum latuit Circæa potentia versus,
Nec Bactri magicis quæ docuere libris.
Et tamen hæc studij causa rimatus honesti
Scire satis duxit, non nocitura tulit.
Ingenium tribuit par magnis Iuppiter ausis,
Ausus erat carmen vertere Virgilij.
Cætera quis nescit? nunc Anglum se Maro factum
Miratur, ciues plaudite, Phayre vale.

Epitaphium Ioannis Brenni.

SI potiùs meritis, quàm ficto nomine stirpis
Antiquæ quisquam debeat esse aliquid,
Si non esse aliquid maiorum nomina donant
Ignauo, at virtus, quem sua nobilitat:
Quis potiùs nostro mereatur stemmata Brenno,
Cui laus ingenuo parta labore manet?
Acre viro pectus, mens culta, & gnaua libellos
Transtulit ad clypeos: dexter vtrisque fuit.
Sic Martem coluit, Musis vt proximus esset,
Sic Musas, vt non Martia negligeret.
Sed belli, & pacis, Musarum & Martis alumnus,
Vtile quid patriæ præstitit vsque suæ.
Donec ab ardentis correptus acumine febris
Intempestiuos decidit in cineres.

Brenne vale: ignotis cinis es, mihi notior, idem
Viuus es: officium iuge rependit amor.

Epitaphium Edoärdi Camerarij.

NObilis, antiquóque satus de stemmate, factis
Nobilior, iacet hic Camerarius ille, animoso
Pectore, qui Gallos exosus, hoc miser vno
Nomine torquetur, quod nunc malè grata Caleti
Mœnia circumdent tumulum, cinerésque sepultos,
Mœnia nunc Gallis, olim possessa Britannis.
Mortuus hic igitur, inimica in gente moratur
Gallorum, viuus quos tam capitalitèr odit?

EPITAPHIVM NOBILISSIMI Equitis D. Tho. Viati, Senioris.

ERgóne supremum rupit Parca inuida filum?
Soluit & in cineres populi decus omne Britanni?
Et quid non posthâc populatrix ista reuellat?
Si neque cana fides, neque mens intacta, nec vlla
Gratia dicendi, nec carminis aurea vena
Scribendi in patrio sermone decenter, & aptè,
Nec poterant mores faciles, nec viuida virtus
Ingenij, vigor aut spirans sub pectore forti
(Mille alias taceam vt dotes, quibus ille refulsit)
Non (inquam) poterant congesta hæc omnia in vnum,
Vnius à Parcæ furijs seruasse Viatum?
Quin immatura consumptus tabe periret?
Credo equidem superos humana ad commoda natum,
Dignum sed meliore loco rapuisse Viatum,
Inuidia, atque metu dubios: ea cura premebat
Scilicèt, inter nos tam clarum ob sydus obortum,
Quo duce Brittannûm pubes, de more Gigantum

Sursum

Surſum iter ad cælos, meliori aſt arte, pararent.
Illum ergò indigetem Superi fecere, decoros
Ornantes artus, radiantibus vndique ſtellis.
Atque ità vel moriens, vitæ incrementa recepit.
Nam licet internos verſatus, & aditus vnà
Non potuit viuens ſtimulos ſuperare potentis
Inuidiæ, quæ ſæpè comes virtutibus aſtat:
Nunc tamen hijs functus tenebris, bis, térque reuixit,
Viuet & in maius, ſe attollens gloria rerum
Geſtarum, ſubijt quas hic per mille labores,
Donec laudis amor animos impellit honeſtos,
Aut poterint quicquam in nobis præconia famæ.
At nos intereà memores mæremus, inerti
Pectora tundentes planctu, lachrymíſque viciſſim
Ora madent, patriæ tam charum ob pignus ademptum.
Et dubitamus adhûc, an & hoc quod vidimus, vmbræ
Idolum potiùs, quàm res non ficta putetur:
Neue graui ex ſomno quamprimùm reddita nobis
Eſt acies ſenſus, vigiles ea cuncta loquamur,
Anteà dictabant quæ nobis ſomnia vana.
Sic ſubitò quoniam ſe oſtendit, & abſtulit vnà.
Sed fuit, ô vtinam ſemper foret illi Viatus
Fælix, heu nimium fælix, tantum potuiſſet
Extremam pulchrè cæptis ſuperaddere limam.

EPITAPHIVM CAROLI BRANDOnij Ducis Suffolciæ.

LEctor ſiſte gradum, tacitáque hæc mente reuoluens
Exemplum raræ proſperitatis habe.
Carolus hic ſitus eſt Brandonius, intimus ille
Qui fuerat Domino, nec ſine iure, ſuo.
Regis opus, namque illum Henricus maximus vſque
Euexit longo ſtamine amicitiæ.

Secum vnà iuuenes exegit dulciter annos,
Grata sibi & cani nec minus ora viri.
Illum clara ducis gestare insignia iussit,
Iunctum germanæ coniugio Mariæ.
Illo vsus sacri magno rectore palati,
Illo etiam arcani Præside consilij.
Omnia ni dederat, certè rex iste dedisset,
Obstitit ast tantis improba Parca bonis.
In primo ingenti belli molimine, Gallos
Depelli à Morino littore quo placuit,
Dum designato functurus munere, summam
Ruminat imperij, pectore sollicito,
Dum struit arma, enses, arcus, tormenta, phalanges
Expectans voto tempora danda suo:
Occidit, instantis confectus cuspide Parcæ,
Hoc debes fato Galle inimice tuo.

EPITAPHIVM MARGARETÆ NEuillæ virginis tam formæ, quàm indolis eximiæ.

IMproba, dum teneræ populata est virginis artus
Atropos, immiti falce (Neuilla) tuos:
Quam benè condigno cœlum insigniuit honore,
Tam malè nos tanto priuat acerba bono.
Nil potuit lætis, succedere tristius vnquam
Auspicijs de te, quæ propè certa dabas.
Tanta puellaris fuerat præstantia formæ,
Tam præstans varijs dotibus ingenium.
Quid quod inexhausto sitiebas pectore Christum,
Immoriens sacris nocte diéque libris?
Sic tamen vt vitæ potiùs conamine sanctæ,
Non obscura tui signa dares studij.
Et iam ter senis turgebas nubilis annis,
Certatim crebro spes repetita proco.

Quum te zelotypæ telum immedicabile Parcæ
Surripuit terris, restituitque Deo.

Ad D. Io. Masonium amicum.

PLus valet exiguum largo de pectore donum,
Eruta quàm parca millia multa manu.
Nam quod ab inuito donum extorquetur auaro,
Non datur: exiguum largior ergò dabo.
Et largo mea dona dabo, quem pectore prono
Non pigeat pronæ dona fouere manus.
Hoc demum fuerit, culto committere amico
Inculta, at puro prodita dona sinu.
Exiguum plenis nam candor laudibus effert,
Hoc nihil à toto suscipito ergò tuo.
Tam mihi sit nullo concessum tempore falli,
Quàm scio te vero veriùs esse meum.

NAVIGANTIS AD INDIVIDVAM Trinitatem precatio: cum exhortatione, ad nauigationis comites.

SVmme Pater, cunctorum opifex, fili vnice, imago,
Ménsq; patris, quiq; amborum cœlestis ab ore
Spiritus vnanimi prodis, Deus vne per æuum,
Trine etiam, imperio coniuncte, & numine compar:
Vos ego iam tumidi per tanta pericula ponti
Ad patriam tendens, terræ dudum hospes Iberæ,
Testor, & imploro supplex (quæ vestra potestas
AEtheris, aurarum, telluris, & æquoris, vno
Comprendit pugno molem, & moderatur ab alto)
Has haurire preces, auré sque aduertere votis.
Non aliena peto: terris iactatus, & alto,
Post varios casus, post sæua pericula morbi,

Dulce solum patriæ, postésque reuisere auitos,
Vestra (Deus) si fata sinunt, profusiùs opto.
Si vultis, dabitur: fato stat vestra voluntas,
Fata regens, Parcísque potentior omnibus vna est.
Nutu igitur tumidos pelagi componite vultus,
Nutu, quo media sol versus nocte serenat
Nubila, subsidunt montes, terra acta tremiscit,
Et cedunt siccis imo maria abdita arenis.
Nunc ô, sed toties, immitte classibus Austros,
Absistant toto contraria flamina cœlo,
Prora secet fluctus spumantes leniter, vnctam
Pellat agens ventus tensa inter vela carinam:
Læta sonet transtris repetita thalassica pubes
Nautica, submissa vestrum & prece numen adoret,
Spe potior, sed multa timens. Quis nauigat, & non
Concretum gelida gestat formidine pectus?
O spes infirmas hominum: confidimus vmbræ,
Nitimur & stipulæ, dum res Fortuna secundat:
At simul vt sæuæ moles voluuntur aquarum,
Diuersíque ruunt fratres, furit æstus ab imo,
Vt tonat æthereo vibratum fulmen ab axe,
Stridulàque obscura consurgit nocte procella,
Horrorem ingeminans atra caligine tinctum:
Relligio immanes, posita feritate, Cyclopas
Tunc facit esse pios, & ferrea pectora pulsat.
Nos olim de fonte sacro meliora superni
Qui cultus documenta accepimus, an decet horam
In seram differre preces? Non semper habendus
Ante oculos tute es, qui præsens omnia cernis
Non visus, tangísque etiam non tactus ab vllo.
Ocyùs ergò malo iuuet occurrisse futuro,
(O socij) dum Phœbus adhùc non occubat vmbris,
Dum superest lux multa, nec vltima præcipitat nox.
Infœlix qui sera preces in tempora differt,

Tendere

Tendere nec didicit palmas, nisi verbere passo.
Tu (Genitor) miserere tuûm. Non brachia cœlo
Tensa, nec intutis oculos deflectimus astris,
Libantes tanto regi pia carmina, tristes
Lenitura iras. Mitesces carmine fuso
Ipse ingens: cœlóque etiam, pelagóque ministri,
(Millia quot totis non æquat littus arenis)
Vt Domini demulsum animum, & placida ora videbunt,
Absistent pœnis miserorum: debita noxæ
Tela reponentur, iam procurata petentûm
Vocibus, & lachrymis, gemitúque, & pectore tunso.
Rectius (ô socij) de cœlo hæc aura petita est:
Cœlitùs adueniet, prælatior omnibus auris.
Ecce venit: secúmque trahit placata sequaces
Atque Notos, Eurósque super. Concordia fratrûm
Tam benè mixta iuuat, soluentes littore Ibero
Vt patrius condat, tridui post carbasa, portus.
Oro fauete omnes, valeat (precor) omnibus omen.
Terra procul (socij) ni fallor gurgite vasto
Emicat, obscuros & promit cærula vultus.
Nauclerus senior nostram asserit. O bona salue
Terra parens: ô salue iterum: iam proxima facta es:
Nôsse datur portus patulos, simul oppida, & agros
Floribus intextos, viridantésque arbore syluas.
(O socij) iam vota iterent: gratésque profundæ.
Quæsistis patriam? pone hanc quam quæritis, eccam.
Vobis, pontigradæ puppis statione relicta,
Mox dabitur natale solum pede tangere fausto.
Vixque etiam plantas figetis littore primo,
Quum vos turba virûm medios, cingente corona
Quæsitis largè inuadet. Vos dicite duros
Quos passi casus: quæque Hespera terra ministrat.
Dicite terribiles æstus, & torrida regna:
Squallentésque situ, tot vasta cacumina, montes,

Arentes fluuios, & non tractabile cælum.
Ipse redux onerem donis solennibus aras,
Iam propè me accingens (Genio suadente) quieti
Optatæ, quæ sera annos refouebit inertes.
Ite, quibus feruet circum præcordia sanguis
Multus adhûc, primáque salit lanugine barba.
Vestrum opus, & vestro seruat se hæc palma labori,
Ignotas lustrasse vrbes, ignotáque regna.
Me, bis bina isto qui tramite lustra peregi,
Ritè senescentem, ne extrema peccet arena,
Soluere equum deceat. Posthâc præsepia fessus,
Et stabula, & multo surgentia stramine strata,
Molior, exosus rauci spatia vltima circi
Iam toties vitata rotis. Quid carcere prodest
Sisyphios crebrò emissum renouare labores?
Tuta quies laribus, plausu procul. Hic ego fixis
Herculis ad postes armis, Veianius agro
Delituisse velim, secura per otia: sed non
Immemor aduersæ, media inter gaudia, sortis.

EVLOGIVM CLARISSIMI DVCIS, Domini Thomæ Poyninghi, quem virtute, rerúmq; gestarum gloria ciuibus suis acceptissimum, in ipso virilis ætatis flore mors immatura eripuit.

V*Idimus (ô ciues) Poyninghum Heroibus æquum*
Antiquis. Si pulcher eques crispauerat hastam,
Castor erat. Si fortè pedes vmbone cateruas
Retrò ageret, plantis agilem simulabat Achillem.
Sin, nec frustrà, oculos ipsos mucrone feriret,
Hector erat. Ducis at clarissimus artibus, illos,
Paruum erit vt tollat quos de grege miles honores
Castrensis meruisse potest vel quilibet, acrem

Intrepide

Intrepidè pugnans clypeo qui ſuſtinet hoſtem.
Longè aliam egregius ductor cui cura negoci
Totius incubuit, re fortiter & benè geſta,
Captiuis, ſpoliiſque ingens, tum finibus auctis,
Quum redit, à populo & patribus pro iure coronam
Accipit, vt quarto deinceps cognomine fretus,
Ipſe ruber niueis Capitolia celſa quadrigis
Scandat, laurigeros obiens de more triumphos.
Dux bonus, & fœlix (quid enim fortuna nouerca
Si fuerit, nudo præſtat conamine virtus?)
Dux (inquam) hic igitur, qui ſic præſtabat vtroque,
Quantum hodiè quiſquam, aut quiſquam qui floruit olim,
Si ducibus Graijs, me iudice, ſique Latinis
Confertur, nec adhûc ſoluuntur iuſta merenti,
Parcite ductores Graij: neque ferte Latini
AEgriùs, antiquis nouus hic ſi tempora lauris
Incinxit: dedit ipſe manu dedit ipſe Gradiuus:
Et dixit, (Poyninghe) feras me dante virentes
Hos ramos: age cinge comas: maiora merenti
Poſt tribuam, ſi fata volent, contraria votis
(Heu) perſæpè meis. Sed te palma inclyta Olympi
Ad iuga ſumma feret: celebrabere & omnibus æui
Curriculis, viuéſque tui poſt buſta ſepulchri.
Hæc Deus: & verſis, iam tum præſagus, habenas
Curribus immiſit, delubráque Thraca reuiſit.
Lætior aſt Heros donis, & iudice tanto,
Immortale decus, poſt & ſuperantia vitæ
Prætulit acta breui: totúſque ingentibus auſis
Incubuit. Neque fors aptam fortuna negauit
Materiam votis. Nectebant prælia reges
Ingentes animis ambo, tum viribus ambo.
Suaſit amor laudis, regnúmque, & conſcia virtus,
Nec ſemel arcta nimis gignens vicinia litem
Sæpè leui ex cauſa, coniunctos inter, acerbam.

Vrbs antiqua manet: Morinorum littore vastum
Despectans propè contiguis pro mœnibus æquor,
Frugifera, & cultis opulenta Bononia campis.
At nunc facta ferax, madefactáq. sanguine, dirùm
Luxuriare potest: segetémque infamis opimam
Proferet illa diu: tot corpora clara virorum
Condit, qui duro cæsi sub Marte, nefastis
Occubuere aruis, vrbis sub mœnibus altæ.
Hanc prior Henricus, gentis decus, arxque Britannæ,
Vi multa aggressus Rex occupat: ardet adempta
Franciscus, par ipse animo, Gallísque tiaris.
Certatur: retinere parat possessor opimum
Viribus adnisus spolium. Fremit alter, & acres
Concipit indignans furiata mente dolores.
Hæc mouet, illa mouet: nunc pleno Marte minaces
Educit turmas, disponit & ordine longo
Ferratos tormenta globos mittentia nisu
Igniuomo, tentátque nouis æquare ruinis
Mœnia iacta solo: nunc obsidione frequenti
Sollicitat, vallósque, & propugnacula crebris
Extruit insistens castellis: feruet ab omni
Parte opus. E contrà septi obsidione resistunt:
Erumpúntque etiam, castrísque hostilibus instant.
Intereà, si crebra velim certamina, & ipsos
Congressus, pugnásque virûm describere, longum
Esset opus. Summa quondam qui pronus ab Ida
Ille Tonans lento vidit collisa duello
Agmina ob Oebaliæ raptum certare puellæ,
Mirum, oculos isthûc flectens ni dixerat, ipsos
Hîc etiam Danaos, Troianáq robora, rursum
Propugnasse suis, hinc castra, hinc Ilion armis.
Nec Simoënta isthic galeásque, & scuta sub vndis
Voluentem tepidis morientem sanguine, quisquam
Defore [illegible]asset, toties qui flumina rubro

In

In mare vidisset decurrere tincta colore.
Mars Pater, ancipitem Iouis vt manus ardua lancem
Librabat, pro sorte data nunc prætulit istos,
Nunc illos: neq; enim hocce meum est, tacuisse vel hostis
Promeritos, si quid præclarè gessit, honores.
At neque nostratûm corda imperterrita, fræno
Quàm stimulis propiora, nec illum spiritus vltrò
Acer, in arma ruens, animis qui pruriit imis,
Nec decet vltrices per tela, & vulnera dextras
Intempestiui digito pressisse silenti.
Vera canens, moderata canit. Laudauimus ipsos
Aduersa de gente viros: fraudabo merentes
Laude meos? quisquámne suis ingratus haberi
Vsque adeò insistat? Meruistis nobile (ciues)
Vestra Polo ferret Mauortia facta poëma
Antiqui vatis: si quis nunc versus ab vmbris,
Illa tuba grauiore sonans, rem passibus æquis
Exprimeret. Nam si non vobis deforet alter
Siue Maro, aut Graio cecinit qui Pergama plectro,
Forsan & ista seges foret Ilium, & alta Latini
Regia. Vos primi panxistis talia, vates,
Atque Aganippæo ter tincta in fonte dedistis
Viua per ora virûm fama iactata nitere.
Muta silet virtus, desit facundia linguæ:
Et iacet obscuris, tenebrosa, ignobilis antris.
Te verò (Poyninghe) vnum cui paruit omne
Præsidium, cuique vrbs commissa Bononia fidis
Recta sub auspiciis, Anglorum signa rubentes
Prætulit arce Rosas, & Gallica Lilia tempsit,
Quo celebrare stylo? quo tandem dicere versu
Condignè potero? Quod miles fortitèr egit,
Quòd vicit, palma (ecce) tua est, qui fida monendo
Autor eras palmæ: ductoris semper habetur
Consilio, auspiciis, fortunæ gratia: terna hæc

Præstitit hic solus. Non me Verona Catullum,
Non scatebrosus aquis Nasonem Sulmo fluentis,
Mantua non omni maiorem laude Maronem
Progenuit. Non vlla meis Hyblæa labellis
Densa insedit apis, vatem testata futurum.
Tu tamen vt docti resonantia plectra Catulli,
Ingenióque Ouidi decurrens diuite venam,
Virgiliique tubam dignè potes armisonoram
Poscere cantandis tot te vincente trophæis:
Sic pius ipse aliquo tantum talémque meorum
Splendorem, sæclíque huius, si carmine pango,
Tantisper, dum quis calamo præstantior illum
Ritè ferat, cultis seu diuitis inserat hortis
Historiæ, aut sacro vehat ad vaga sydera versu,
Non equidem lusisse operam, neque functus inani
Officio videor. Saluebis, & vsque valebis,
Æternùm celebrande tuis, mirande alienis
Dux bone, Dux rebus fortunatissime, gestis.
Tu tamen ipse tibi florenti ætate, tuæque
In medio cursu fortunæ erepte per atrum
Liuorem triplicûm, morbo grassante, Sororum.

EPICEDIVM, DE VIRTVTIBVS ad exitiosam vsque inuidiam insignibus, Edoärdi Bellingami.

TE quoque magne canam (te BELLIGHAME *canenti*
Sit licèt & numeris opus, & testudine vatis,
Iliacum vena panxit qui diuite carmen)
Gesta Deo similem cui bellica munera curæ:
Siue ducis pectus cauti miremur & artes,
Siue manu prompti præstantia militis ausa.
Sæpè suos, claro iuuenis qui sanguine prodit,
Assimilare solet: cognato stemmate creti

Hic,

Hic, & belligero SCHELLÆVS *pectore fretus,*
(Ille, decus patriæ, vota qui morte, periclum
Propulit à iugulis, Scoto insurgente, suorum)
Vnanimes iunctas concordi fœdere dextras
Firmarunt. Etenim nec Thesea Pirithous, nec
Sanctiùs ille suum Pylades seruabat Orestem,
Alter in alterius quàm istorum commoda promptus
Extitit: arcano Naturæ ad mutua sensu?
Namque animis similes eadem fert sæpè voluntas.
Iam verò hic, (te nostra aliàs SCHELLÆE *Thalia*
Seiunctim cecinit) mihi nunc memorabitur vnus:
Vnicus ille super, si fortia pectora quæras,
Ingenuam aut morum seriem, constantiáue ora,
Semper, ab æquali se demittentia filo,
Seu sors læta parum, seu verso dextera vultu
Tentaret iuuenem infractum, tentabat vtrisque.
Mirandum fidi marmor sed pectoris, auxit
Mira viri species, proceri & corporis artus,
Vibrantésque oculi, frontísque immota seueræ
Asperitas: quamuis nihil illo comius esset
Moribus, alloquio, conuictu, & pectore toto,
Quisquis in illius sese consortia iunxit
Dignior, atque amor idem animo cui insedit honesti.
Cætera terribilis, (fateor) nec turpibus vnquam
Arridens: odio alto agitans mendacia, vanis
Insita blandiloquæ nunc sectatoribus aulæ.
Atque ita, qui nihil in sese committere turpe
Sustinuit, quique abstinuit congressibus insons
Impuris. recti ob studium pulcherrima adeptus
Eulogia, infractum præ se tulit vsque Catonem:
Laudatus vel ab ore virûm, quos inclyta virtus
Nunquam adiens, quodam tamen impulit ipsa pudore
Hactenùs, vt digno non digni sponte fauerent.
Ergò illum Henricus numero adiunxisse ministrûm

A a

Selecto instituens, propiùs quos principis arcta
Colloquia, ipsiúsque fouent secreta cubilis,
Delectu hoc docuit Rex prudens quantus in isto
Extaret vigor, & scintillans pectore virtus.
Nec sua spes Regem de tali admissa fefellit.
Quippe loco semel vt potuit spectatus aperto
Se exerere, & totas populo producere dotes,
Arduus ingenito sublimia robore tractans
Arma, aciésque datas, non vnum propulit hostem,
Dux bonus, imperio accepto fœliciter vsus.
Vnde, vel & (fatis postquam Rex optimus, orbum
Ante diem gnatum linquens, concesserat atris)
Hunc studio gnatus refouendum duxit eodem:
Iussit & Hyberno præfectum denique regno,
Prorêgis fidum dubio pro tempore munus
Exercere, vagos redigentem in verba rebelles.
Tum variè ingentes Iuuernia passa tumultus,
Omaurique minas, gladiósque Ochonnore sensit
Sanguinolente tuos. Quis lurida pinxerit ora,
Horribilésque oculos, impexo crine, tyrannûm
In coniuratas venientûm fœdere dextras,
Imperium, & fasces contrà, noménque Britannum?
Dira virûm species toruo sese effera vultu
Protulerat, tacitis tunc confertissima lustris
Exiliens, campóque ausa est se immittere aperto,
Omnia barbarico vastans quassata furore:
Ira, odium, & prædæ sitis vt sine lege ferebant,
Atque duces, atque indomitûm fera corda ministrûm.
Crudeles natura facit fore crimine auito
Hybernos, media quamuis se pace quietos
Assimulent, etiam per somnia rursus imago
Armorum, cædísque redit, stupri, atque rapinæ,
Tanta per ingenitos feritas stat barbara sensus.
At melior dux hic causa, & præstantibus armis

Lectorum comitum (namque illi militis Angli
Non temnenda manus fuerat superaddita eunti)
Vt primùm (Iuuerna) tuas prora appulit oras,
Imperióque dato ritè est de more potitus,
Imprimis veteres studuit reuocare cohortes
Angligenûm, admisso qui iam stipendia luxu
Plurima in Hyberna frustrà regione terebant,
Rursus ad antiquam, reparato milite, formam:
Legitimisque iterùm docuit succedere castris,
Et pugnare loco, nec se statione mouere
Palantes, qui fecisset, quos fugerat hostis
Speraret comitûm vltores mox proditur enses.
Tum verò conuersi animi: manifestáque lætis
Militibus summissa iterum fiducia creuit.
Poscere dehinc hostes, vltrò atque lacessere tendunt
Conferti: nec tam fuerat calcaribus exhinc
Quàm frænis opus. Ardebant generosa pudore
Corda, resarcitis iterùm succedere palmis.
Dux cautus, Dux idem altis fortissimus ausis,
Iam satis armigeræ factum quum nouerat arti:
Egregiam instructis legionem protulit armis,
Et rectà hostiles populatum duxit in agros.
Illi alios, spe falsi, illis in finibus olim
Induperatores nostros, ambage recepta,
Et quos insidijs positis frustrare solebant,
Tunc etiam aduenisse rati, sublato vlulatu,
Crispantésque suis de more hastilia pilis,
Primò equidem leuibus tentabant eminùs ausis:
Hinc propiùs conferre gradum, retróq; reuerti
Protinùs, implexis & corpora condere syluis,
Aut etiam loca nota sibi, non cognita nostris
Cœno, & limosa properant vitiata palude
Indugredi, incauto manifesta pericla sequenti.
Noster at vt vera vicit virtute, nec vllis

Artibus, insidiisue locum perspexerat hostis
Esse, sed incensos superare incendia lucos,
Stagnáque deductis diuerti in proxima fossis,
Nec latebras superesse fugæ, aut in prælia vires,
Quin etiam opportuna locis castella propinquis
Erexisse ducem Angliacum, sua, verbere sæui
Tormenti igniuomo glandes iaculantis ab ore
Ferratas, æquata solo, fœdata ruinis
Oppida, spes miseri protritas strage coloni,
Cunctáque ab infestis prosterni denique diris,
Tandem animos, quanquam inuitus, laxare ferinos
Cœpit, & hinc veniam demissa voce petebat.
Euge tuo (victor Dux BELLINGHAME*) trophæo.*
Captiui Omaurus, trux atque Ochonnerus Anglas
Spectandi effusis nuribus mittuntur ad vrbes.
Approbat egregiam læto rex pectore palmam:
Hoc proceres festa confirmant vndique voce:
Famáque vicinas petijt celeberrima gentes,
Ingeminánsque albis transcendit ad astra quadrigis.
Tu verò, non hinc lenta torpescere dextra,
Passus es incensos victoris militis æstus:
Ast instare sibi, nouáque actis nectere bella
Instituis, si quis votis sese offerat hostis.
Hinc alta satrapæ Hyberni formidine tangi,
Victricésque manus, nec non victricia signa
Cœperunt, geniúmque viri exhorrescere tanti.
Haud secùs ac ripas albens si cygnus ad vdas,
Colludens, comitum media inter millia olorum,
Sentiat impressos aquilæ de nubibus vngues
Demissæ impigro per inania vasta volatu,
Extemplò totum insolitus pauor occupet agmen,
Et vix vel medijs spem saluam ponat in vndis.
Vnius ergò viri populum præsentia cunctum
Continuit grauiore metu indignantibus instans.

Et

Et dedit antiqua rursum ditione teneri
Compositos. Tanta se maiestate ferebat
Magnanimum, impigrum, vigilique oculatiùs Argo
Rimantem cœtus, & conciliabula prima:
Inde nouis citiùs truncantem semina cœptis,
Mittitur à torta quàm glans balearica funda.
Denique, pacatis placidum, & super omnia iustum
Se tulit: ipse sui largissimus, idem alieno
Absistens: sordésque sagax, & nomen auari
Præsidis euitans, solo & contentus honesto,
Non repetundarum tremuit formidine purus,
Personæ memor ad calcem seruasse decorum.
Heu, quid at extremos carpsistis fata malignè
Successus? medio quidnam Clotho improba cursu
Fila viri truncas longo dignissima fuso?
Túque adeò instabili constans Fortuna, merentem
Plurima, sperata quid fraudas messe laborum?
Liuentúmque premis, virtuti ingrata, susurris?
AEger, & indignans, (qualis qui læsus iniquæ
Scipiades patriæ Linternum prætulit vdum)
Decubuit mœrore animi: quique omnia pridem
Pertulit inuicto constantis robore sensus,
Non tulit ingratos ciues. Hinc lenta secuta est
Tabes lethifico carpens præcordia morsu.
Occidit: haud facile æqualem cui nostra tulerunt
Tempora, degeneri sensim euanentia prole.
Agnoscunt ciues iacturæ vulnus acerbæ,
Heröa & cassum nequicquam lumine lugent.

DE VIRO VNDEQVAQVE DOctissimo Christophoro Calueto Stella, Barcinonensi.

BArcino Christophorum Caluetum lucida Stellam
AEdidit: hinc aucto clarior igne micat.

Ante quidem illustris, longè præluxit Iberis
Vrbibus, vt cunctis Cynthia syderibus.
Nunc tantum, bis clara, suo de lumine lumen
Quæ dedit, illuxit, præuia facta sibi.
Et patria ornauit Stellam: stellatus & ipse
Ornauit patriam, lux noua, luce sua,
Quæ medias inter tenebras radiantia fundens
Lumina, inextincto pollet ab ingenio.
Illatásque faces tam docti pectoris vmbris
Prætendens, noctem discutit Hesperiam.
Vnde senis culti vincent monumenta sororum
Stamina, venturo fulgidiora die.
Liuor iners aliquid, nunc & sors inuida possunt
Demere plus merito, quàm tribuere sui.
Nil demet virtuti olim consensus, ab omni
Orbe sonans, Stellam qui vehet vsque polo.

De Fabullo fure.

VRbani (moneo) hospitem Fabullum
Clausis & foribus, simul tabernis,
Vitetis. Digitos Fabullus omnes
Visco collinit: & manus reuinctas
Vel post terga gerat, nec otiosas
Discus comperiet, cyphus, patella,
Nec mantile, nec ipsa strata lecti.
Nam vestis, petasus, parúmue theca
Custodita, vel arca diligenter,
Conclamare potest. Fabullus vni
Furtis, nequitijs, dolis proteruis
Cedat Mercurio: secundus ipse est:
At primo propior, ferè & gemellus.
Tardè tertia subsecuta classis
Furûm, vix stadium tuetur imum.

At verò, ille aliquid licentiosè
Ablatis (quoniam cupit videri
Iure egisse bono) solet susurro
Obtendisse breui, monens in aurem,
Quod communia cuncta amiculorum
Debent & bona dici, & esse, prisco
Exemplo Samij sophi, silentes
Olim discipulos foro, fabisque,
Qui iussit satis anxiè abstinere.
Tun' hoc asseris, optime ò Fabulle?
Sic te Pythagoræ iuuat seueram
Tam sanctè renouasse disciplinam?
Vrbani (moneo) cauete ab isto
Fidenti nimis, & parato amico:
Non istos amo, queis vel ille priscus
Cedens Autolycus, nouis magistris
Tradat lampada: quos nec ipse seruet
Centum luminibus, nec vsque centum
Custos Arctorides. Fabulle, mappam
Dudum sustuleras: quid (oro) mensam
Intentus citriam tuere limis?
Absoluisti opus: ipse curiosus
Ni plusquàm satis es: manum rogamus
Istam tam vigilem atque diligentem
Iam tandem à tabula (Fabulle) tollas.

EPITAPHIVM D. PHILIPPI A Gueuara, qui Didaci Pater fuit.

CVi sacer est tumulus, si quæris fortè viator:
Pestanis spargi dignus hic vsque rosis,
Dimidius Gueuara hospes terit ista Philippus
Limina: dimidius tecta superna terit.
Quis fuit, an quæris? Musarum, & Martis alumnus:
Mars prior hunc iuuenem, Musæ habuere senem.

Quid præstaret equo, tremulam vt crispauerat hastam,
Nouit belligerûm laus hodierna virûm.
Hoc decus vt fesso vergens iam dempserat ætas
(Ante diem morbus nam senium attulerat)
Quàm breue profecit, studijs dum totus honestis
Incubuit, norunt pectora docta virûm.
Historiæ antiquæ vindex acerrimus, æui
Cana situ, rursus tersa nitere dedit.
Hinc, quæsita domi veterûm monumenta tot vnus,
Quot poterant vrbes condecorasse, habuit.
Concursu studium vnius gens tota probabat:
Si quis & adueniens doctior hospes erat.
Macte tuis opibus (generose Philippe) Philippos
Non sitiens aurum propter, at artis opus.
Macte magis viua superantis imagine gnati:
Si tamen hunc post te Sors superare facit.
Vix facit: & modici vsuram post temporis (eheu)
Fit comes en patrio Didacus ipse rogo.
Didacus, omnigenas hausisse fideliter artes
Vixdum pubentem, quem stupuere senes.
Quid faciat vidua mater desertior æde?
Heu mater, duplici funere tacta suûm?
Puluere sparsa comas, planctúque miserrima tristi,
Optet & ipsa mori tertia iuncta suis.
Vos (animæ illustres) patrio requiescite cœlo:
Ossa tegat verno cespite molle solum.

EPITAPHIVM IVVENIS NATALIbus, eruditionéque clarissimi, D. Didaci à Gueuara, Philippi filij.

QVòd patrio comes est illatus Didacus, atra
Ante diem Parca sic statuente, rogo:
Pierides sparsis per liuida colla capillis
Delicium flerunt (Hespera terra) tuum.

Mæstæ

Mæstæ etiam positis Charites planxere corollis,
Cui norant Clarij credita plectra Dei.
Naiades totas lacrymis (miserabile) fusis
Implèrunt vrnas, (vuide Ibere) tuas.
Vranie ante omnes morientem excepit alumnum,
Astricolámque astris intulit ipsa suis.
Hunc (ait) æthereæ tantum qui lucis habebat,
Perpetuò dignum est æther vt ipse habeat.
Annuit assensu capitis Saturnius almo:
Hinc Gueuara nouis iam sua syderibus
Interstincta stupet radiantia membra, superno
Proximus & votis, clarus in orbe micat.
Culte puer, diuine puer, tu maxima dudum
Hispanûm fueras gloria, nunc gemitus.
Quid quòd & externis humentia lumina fletu
Sollicitas? tanti est esse, quod esse velis.
Plurima, sed ficto, multis stat gratia, vultu:
Hic toto simplex pectore gratus erat.

DE RARISSIMI HEROIS, D. Henrici Kneuetti equitis Britanni virtutibus, Epicedium.


TV mea si insignem lecto celebrare Kneuettum
Carmine Musa cupis,
Pyndaricum expediásque melos, plectrúmque sonorum:
Vix quoque sic poteris
Pectoris aut digna candorem efferre Camœna,
Purpureúmue decus
Mansuetæ virtutis, in illo plurima vultu
Quæ genuina stetit.
Intactæ primum vel virginis (ecce) pudorem
Ille vir exhibuit.
Fulmineo Marti tamen assimilandus in armis,
Vt tuba pertonuit.

Illic ingentes poterant stupuisse ruentem,
Hector, & AEacides,
Solus in obuersos dum tot contenderet hostes,
Per media arma furens.
At semel vt tristes posuit Bellona tumultus,
Atque iterum rediit
Pax bona, tranquillo pelago sedatior idem,
Mitis, vt antè, fuit.
Tum fidum thoraca sacris nam postibus aptans,
Artibus ingenuis
Magnum habuit, culto fidisque incumbere cartis
Pectore. Doctus enim
A puero fuit: hinc media versatus in aula,
Stemmatis & titulis
Illustris, florénsque fauentis principis arcto
Alloquio, atque comes
A camera aßiduo Regem pro munere stipans,
Non tamen ipse librum
Ferre manu armigera quicquam tulit esse pudori,
Qua prius hasta tremens
Marte ferebatur nondum ad iuga cana remisso
(Hæme niuose) tua.
Sic alternanti mirum popularia vota,
Nobiliúmque virûm,
Quo studio fauere. Kneuetto liuor & ipse
Officere erubuit.
Auxerunt studia ista virûm facundia linguæ,
Comis & ore lepos,
Innocui & risus non irridere parati,
Promptáque sedulitas
Officio ignotos etiam adiutare, decentis
Corporis inde decor
Rarus erat: faciésque nec vni optata puellæ:
Larga sed illa manus

Omne

Omne tulit punctum. Solidas donabat vt vrbes
(Namque Monarcha fuit)
Pellæus iuuenis, victor qui sub iuga misit
Totum Orientis opus:
Sic isti imperium in populos si fata dedissent,
Tute Philippiades
Dixisses, mihi par datus est, aut vincor ab isto.
Rara sed ista Deûm
Pignora (veh miseris) tantùm ostenduntur, & instar
Fulguris æthereas
Inde petunt sedes, cognatáq; sydera, noto
Sydera & ipsa gradu.
Occidis ante diem votis repetite Britannûm
(Large Kneuette) tuûm
Non minùs, humani quàm quem sua Roma vocabat
Delicium generis.
Tu nunc vt pedibus nubes, & sydera calces,
Nil miserétne, tuis,
Mærorem, & lachrymas, quòd & hæc suspiria linquis?
Heu redimende nouem
Pactolis, totidémque Tagis, si fata reuerti
Manibus annuerent.

EPITAPHIVM THOMÆ CHALOneri Equitis, à Gualtero Haddono Legum Doctore, Serenissimæ Reginæ Elizabethæ à supplicum libellis, iamdiu conscriptum.



Natura Thomas Chalonerus, & arte valebat,
Vtilis & patriæ vir fuit ille suæ.
Publica cum magna suscepit munera laude,
Laude pari libros scripserat ille domi.
Sic patriæ vixit magno, dum vixit, honore,
Sic patriæ magno concidit ille malo.

FINIS.

Errata ſic corrigenda.

Pag.	Ver.	Pro	Lege
29	12	*arerctas*	*arrectas*
80	26	*Argicolas*	*Agricolas*
92	21	*Tridenter*	*Tridentifer*
109	4	*prælia*	*inprælia*
154	7	*placabit*	*placabat*
302	12	*conſcierit*	*conſociet*
362	9	*immitte*	*immittite*
56	33	*armis*	*aruis*
75	24	*ſpectãtibus*	*ſpectandas*
270	26	*ſuóſq;*	*tuóſq;*

